BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXVII*
D
81
NAPOLI

210
LVI
40
37

XXVII*
D
81

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES

PRAEFECTORVM VRBIS

AVCTORE

EDVARDO CORSINO

Digitized by Google

176

Digitized by Google

EDVARDI CORSINII

CH. REG. SCH. PIAR. ET IN ACADEMIA PISANA JAM HVMANIORVM LITERARVM PROFESSORIS CELEBERRIMI

DE PRAEFECTIS VRBIS

Sive Series Praefectorum Vrbi, editis, ineditiſque marmoribus, et conlatis, emendatiſque innumeris Vett. Scriptorum locis expoſita et conſtituta, qua ſupplentur

FASTI EDITI A PANVINIO, BOVCHERIO, CONTELORIO, ALMELOVEENIO &c.

Et augentur ex noviſſimè repertis

CXLIII. PRAEFECTORVM NOMINIBVS

Et plura proferuntur quae Pagii, et Tillemontii Errata corrigant, Chriſtianas Antiquitates inluſtrent, et Legum Romanarum Interpretationi mirificè inſerviant

ADDITVR

DISSERTATIO

DE PRAEFECTORVM VRBANORVM ORIGINE, DIGNITATE, IMPERIO, JVRISDITIONE, MVNERIBVS, ET DE VARIIS EORVM MINISTRIS, ET OFFICIALIBVS.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

PISIS MDCCLXVI.

EX TYPOGRAPHIO AUGUSTINI PIZZORNO PRAES. ADPROB.

Digitized by Google

FRANCISCO
DE. COMITIBVS. GVIDIS

PISARVM. ARCHIEPISCOPO
IN. CORSICA. ET. SARDINIA
PRIMATI
ET. APOSTOLICAE. SEDIS. LEGATO
AB. INGENIO. A. DOCTRINA. A. PRVDENTIA
AB. EGREGIIS. OMNIBVS. ANIMI. DOTIBVS
COMMENDATISSIMO
QVI
NOBILISSIMA. GENTE
IN. QVA. PLVRIMI. SEMPER. HEROES
QVA. BELLI. QVA. PACIS. ARTIBVS
ORNATISSIMI. FLORVERVNT
PROGENITVS
OMNES. MAIORVM. SVORVM. LAVDES
IPSE. AEMVLARI
AC. IN. SE. CONPLECTI. ITA. VOLVIT
VT. EAS
EXIMIO. PIETATIS. AC. RELIGIONIS. STVDIO
OPTIMARVM. ARTIVM. SPLENDORE
DOCTORVM. HOMINVM. PATROCINIO
AVGERET. ATQVE. AMPLIFICARET
IDEO.

Digitized by Google

IDEO. QVE. MERITO
PER. VARIOS. HONORVM. AC DIGNITATVM
GRADVS
AD. ARRETINVM. MOX. QVE. AD. PISANVM
PONTIFICATVM. EVECTVS
IN. EO. NOBILIORA. QVAEQVE
SVPERIORVM. ANTISTITVM. EXEMPLA
ECCLESIASTICAE. DISCIPLINAE. CVLTV
EFFVSA. IN. PAVPERES. MVNIFICENTIA
SINGVLARI. IN. OMNES. COMITATE. ET. AMORE
RENOVAVIT.

EDVARDVS· CORSINVS
PRAESVLI. AMPLISSIMO
DE. SE. AC. VNIVERSO
SCHOLARVM. PIARVM. ORDINE
DE. DISCIPLINIS. OMNIBVS
DE. PISANA. ACADEMIA
PRAECLARE. MERITO
NOVAM. HANC
PRAEFECTORVM. VRBIS. SERIEM
A. SE. CONTEXTAM
GRATI. ANIMI. ET. HONORIS. CAVSSA
I. M. Q. CONSECRAT

CONSPECTVS OPERIS VNIVERSI

PRAEFATIO IN QVA DISSERITVR

§. I. *De Praefectorum Vrbis origine, & inſtitutione* Pag. IX.
§. II. *De Praefecto Vrbis Feriarum Latinarum tempore* P. XII.
§. III. *De Praefecti Vrbis duratione* P. XIX.
§. IV. *De dignitatum ordine, quibus ad Praefecturam Vrbis aſcendebatur* P. XXI.
§. V. *De variis Vrbani Praefecti nominibus, titulis, & inſignibus* P. XXVII.
§. VI. *De Praefecti Vrbis auctoritate, iuriſdictione, & imperio* P. XXXV.
§. VII. *De praecipuis, ac nobilioribus Vrbani Praefecti muneribus* P. XXXIX.
§. VIII. *De variis Vrbani Praefecti Miniſtris, aut Officialibus* P. XLIV.

§. IX. *De Praefectorum Vrbis Serie, quae a Cuſpiniano, & Bucherio edita, vel a Panvinio, & Almelovenio contexta fuit* P. XLIX.

§. X. *De Praefectorum Vrbis nominibus, atque temporibus, quae a Gothofredo, ac Tillemontio illuſtrantur* P. LIII.

§. XI. *De Praefectorum Serie a Contelorio omnium poſtremo adornata* P. LV.

§. XII. *De methodo, qua haec nova Praefectorum Vrbis Series a me contexitur, ac illuſtratur* P. LIX.

Praefecti Vrbis P. 1.

Series Chronologica Praefectorum Vrbis P. 393.

Series Alphabetica Praefectorum Vrbis P. 405.

Index rerum memorabilium P. 417.

IN

IN
PRAEFECTORVM VRBIS
SERIEM
PRAEFATIO

§. I.

De Praefectorum Vrbis origine, & inſtitutione.

ETSI plurima Praefectorum Vrbis nomina in variis Romanae Hiſtoriae Scriptoribus, in antiquis Marmoribus, in Auguſtorum Legibus, in Sacris etiam Eccleſiae Faſtis, ac veteribus Monimentis aliis frequentiſſime occurrant, nullus eſt tamen ex Hiſtoricis illis, qui vel primam Praefectorum Vrbis originem, vel eorum inſtituendorum cauſſam expreſſerit, ſi Tacitum unum excipias; cuius illuſtrè teſtimonium in ipſo Faſtorum

Digitized by Google

limine mox aſſerendum putavi ubi de Romulio Dentre Praefectorum primo diſſerui (a).

Oſtendi nimirum, Tacito ſplendidam hanc facem praeferente, quod a Romulo Romanorum Rege haec ampliſſima Vrbani Praefecti dignitas inſtituta, ac Romulio Dentri collata fuit; eiuſque exemplo ab aliis deinde Regibus, moxque, pulſis Vrbe Regibus, partaque Romano Populo libertate, a Conſulibus dignitas, ac poteſtas illa ſpectatiſſimis Civibus conceſſa fuit.

Quum enim Regibus ipſis, moxque Conſulibus ſupremis Romanae Reipublicae Magiſtratibus id unum vel maxime cordi foret ut finitimos Populos aſſiduis incurſionibus, ac perenni fere bellorum impetu vexarent, atque imperii fines victricibus armis longe lateque protenderent, ineunte vere quotannis milites, hoc eſt cives ipſos certo quodam ritu delectos, ex Vrbe in aciem educere conſueverunt. Itaque, ne Regibus, aut Conſulibus domo profectis, dum in eiuſmodi bellicis expeditionibus occupati militiae imperabant, Romuli faex, ut optime vereque vocavit Cicero, hoc eſt univerſa Populi multitudo, quae domi relicta fuerat, ſine duce, ac imperio degeret, ideoque nulla poenarum formidine coerceretur, ex primori Civium ordine quiſpiam ingenio, prudentia, rerumque uſu ſpectatiſſimus eligebatur, qui tunc temporis Vrbi praeeſſet, tumultus compeſceret, in ſontes inquireret, lites dirimeret, omnia moderaretur, ideoque regiam, aut Conſularem poteſtatem, ius, ac imperium ſibi conceſſum exerceret.

Ita quoque, ſi pro novis Conſulibus eligendis Comitia habenda fuerant, eaque de cauſa tumultus, aut diſſidia ſuborta forent, Praefectus ille vel a Conſulibus, vel a Dictatore, vel ab Interrege conſtitutus Comitiis illis praeſidebat, novoſque Conſules in Comitiis ipſis electos renunciabat. Haec, aliaque id genus plura perſpi-

(a) Pag. 2.

Digitized by Google

perſpicuis exemplis illis oſtendi, ac illuſtrari facile poſſunt, quae in hac ipſa Praefectorum Serie a me contexta ſuis in locis ſervato temporum ordine proferentur (*a*); quemadmodum etiam exemplis aliis demonſtrabitur id, quod a Cicerone (*b*) dictum accepimus, quod nimirum *Praetores Vrbani*, *quum Conſules abeſſent*, *Conſulare munus ſuſtinebant*. Siquidem aliquando profectis Vrbe Conſulibus non Praefectus Vrbis eligebatur, ſed univerſa urbanarum rerum adminiſtratio Praetoribus Vrbanis committebatur: quemadmodum certe ipſis etiam Auguſti temporibus Praefecti Vrbis Feriarum Latinarum tempore munus Vrbanis Praetoribus commiſſum fuit. (*c*)

Vbi vero univerſa Imperii ſumma in Auguſtum unum pervenit, raroque Conſules Vrbe excedere, aut a Senatu abeſſe caeperunt, pulcherrimo Maecenatis conſilio *Praefectus Vrbis* inſtitui caepit, qui tum Auguſto, tum Conſulibus etiam Romae degentibus Vrbi praeeſſet, plurimiſque rebus ad aequitatem, civium fauſtitatem, Vrbis cuſtodiam, & tranquillitatem, ſontium poenas, iudiciorum leges ſpectantibus ſupremum fere ius, ac poteſtatem exereret, ut perſpicue, accurateque mox demonſtrabitur (*d*).

Quamvis autem in eiusmodi muneribus, quae ab Vrbis Praefecto obeunda fuerant, aliqua poſt Auguſtum ipſum varietas invecta fuerit, ſemper tamen Praefectus ipſe veluti peculiaris quidam Magiſtratus haberi conſuevit, cui munera, negotia, curaeque plurimae commiſſae forent; ut ille ſolertia, gravitate, prudentia, auctoritate ſua pluribus proſpiceret, de quibus accurate §. VI. dicturi ſumus ubi de Vrbani Praefecti iurisdictione, muneribus, & officiis agendum erit.

Interim vero obſervari, atque coronidis inſtar adiungi debet quod Vrbis Praefectus initio quidem florenti-

(*a*) Pag. 7. &c. (*b*) Orat. adv. Plan. (*c*) Pag. 18. (*d*) Pag. 19.

rentibus adhuc Reipublicae Romanae rebus *Dictatoris* vel *Interregis* inſtar extraordinarius quidam Magiſtratus erat; Caeſarum vero temporibus, vel poſt Auguſtum ordinarius eſſe caepit; Eumque olim vario prorſus, ac incerto temporis ſpatio ea poteſtate vel munere fungeretur, poſteris tamen aetatibus eius regimen, ac diuturnitas a ſolo Auguſtorum arbitrio pendere caepit.

Ita quoque Praefectus ipſe non amplius a Conſulibus, aut ab alio, quam ab Auguſtis, eligebatur. Hinc maximae Severi Alexandri clementiae, & humanitati adſcribi debet, quod eiuſmodi Praefectorum eligendorum poteſtatem Senatui conceſſerit, ut teſtatur Lampridius (*a*): *Praefectum Praetorio ſibi ex Senatus auctoritate conſtituit, Praefectum Vrbis a Senatu accepit.* Eiuſmodi tamen exemplum nullus omnino ex poſteris Auguſtis aemulari voluit; quemadmodum ipſi quoque Gothorum Reges, qui in Italia imperarunt, Vrbani Praefecti eligendi ius ſibi reſervarunt, ut ad annum 494. alibique oſtendetur.

§ II.

De Praefecto Vrbis Feriarum Latinarum tempore.

CVm Tacitus in exprimenda cauſſa, & origine, qua Romae a primis uſque temporibus Praefectus Vrbis inſtitui caepit, eiusmodi moris, ac inſtitutionis imaginem in *Feriarum Latinarum Praefecto* ſuis adhuc temporibus conſervatam eſſe dixerit, ac plurimi *Feriarum Latinarum Praefecti* tum in Hiſtoricis, tum

(*a*) In Alex. c. 19.

tum in Marmoribus etiam memorentur, e re futurum putavi ſi breviſſime de Praefectis iſtis hic diſſeram, ut deinde cetera, quae ad veros, nobilioreſque Vrbis Praefectos ſpectare poterunt, perſpicua quadam, ac perenni ſerie complectar.

Itaque a Dionyſio, Plutarcho, aliiſque Romanarum rerum Scriptoribus erudimur quod iam inde a Tarquinii regis aetate Feriae quaedam inſtitutae ſunt, quae, cum Romanis, ac Latinis omnibus communes eſſe deberent, *Latinae* ſunt appellatae.

Quum enim Tarquinius ipſe ab Equis, Volſcis, ceteriſque Latinis Populis impetraſſet ut inito foedere certis quibusdam, ſtatiſque legibus cum Romano Populo devincirentur, ut eiuſmodi foederis inter eos inſtituti memoria perennis foret, a Latinis ipſis obtinuit ut illa quotannis ſacris quibusdam ritibus excitaretur; ideoque auctor fuit ut ineunte vere quotannis in Albano monte, qui velut in ipſo foederatarum Gentium meditullio poſitus a Populis ipſis circumquaque conſpicitur, a Romanis, ſimulque foederatis Latii Populis, qui XLVII. numero cenſebantur, Sacra, Feſta, Certamina, Feriae communibus omnium ſumptibus agerentur. Itaque Dionyſio teſte (*a*) ex Populis, qui Feriarum participes erant *οἱ μὲν ἄρνας, οἱ δὲ τυρὺς, οἱ δὲ γαλακτός τι μέτρον, οἱ δὲ ὅμοιόν τι τύτοις πελάνυ γένος. Ἑνὸς δὲ ταύρυ κοινῶς ἐπὶ πασῶν θυομένυ, μέρος ἑκάςη τὸ τεταγμένον λαμβάνει quidam agnos, quidam caſeos, quidam lactis certum modum, quidam conſimile liborum genus conferebant. Communis omnium victima erat taurus unus, de quo cuique Populo ſua certa portio tribuebatur.* Eiuſmodi vero victima *Jovi Latiari*, ſive, ut ab aliis vocatur, *Latiali* immolabatur, ac ritus omnes eidem Numini veluti foederis aſsertori, ac vindici dicabantur.

Quod

(*a*) Lib. IV. num. 49.

Digitized by Google

Quod ſi fortaſse vel quidpiam inauſpicatum contigiſſet, vel ritus aliquis omiſſus, aut violatus eſſet, Latinae Feriae Pontificum decreto inſtaurari debebant. Hinc Livius ait (*a*: *Feriae Latinae Pontificum decreto inſtauratae ſunt quod Legati ab Ardea queſti in Senatu erant ſibi in monte Albano Latinis carnem, ut aſſolet, datam non eſſe*, idque Laurentibus etiam querentibus alias contigiſſe teſtatur (*b*). Ita, dum *Latinas ſubito coorta, & intolerabilis tempeſtas in monte turbavit, inſtauratae ſunt decreto Pontificum* (*c*); alibique (*d*) docet Tribunorum vitio ſacrum in Albano monte, Latinaſque Ferias non rite conceptas, ideoque Tribunos exauctoratos fuiſſe. Haec autem ea quoque de cauſſa adnotaſſe nunc libuit, ut in depravato Suetonii loco voces *ſacro Latinarum* a me reſtitutas (*e*) hoc illuſtri Livii teſtimonio confirmarem.

His Feriis, quae Tarquinii regis aetate unica ſolum die peragebantur, ſecundus etiam dies a Romanis adiectus fuit cum patriae libertatem pulſis Roma Regibus adepti forent; cumque deinde Plebs, quae Senatui infenſa in Sacrum Montem ſeceſſerat, Menenii conſilio, pactiſque conditionibus in Vrbem rediiſſet, tertius Feriarum dies in eius foederis, pacis, initaeque ſocietatis memoriam inſtitutus fuit; tandemque, cum tumultus inter Patricios, ac Plebem Camilli Dictatoris aetate coortus tranquille demum compoſitus foret, viſum fuit *ταῖς καλυμέναις Λατίναις μίαν ἡμέραν προσθέντας ἑορτάζειν τέσσαρας* ut Ferias, *quae Latinae vocantur, una adiecta die, quatuor celebrarent*. Hinc Feriarum Latinarum dies, qui anno V. C. 230. unicus erat, anno V. C. 244. duplex evaſit; mox anno V. C. 263. tertius, atque anno demum V. C. 387. quar-

(*a*) Lib. XXXII. c. 1. (*b*) Libr. XXXVII. c. 3.
(*c*) Lib. XXXVIII. c. 14. (*d*) Libr. V. c. 17.
(*e*) Vid. Pag. 40.

Digitized by Google

quartus dies additus fuit; idemque numerus ad ultima quoque Ethnicorum Caeſarum tempora permanſit.

Illud tamen hic obſervandum eſſe putaverim quod in veteri ſolum unicaque die, quae a Tarquinio rege inſtituta fuerat, Latini Populi ſtata legitimaque die intereſſe conſueverant. Reliqui nimirum Feriarum dies, ut a Romanis ſolum inſtituti fuerant, ſic a Romanis ipſis peragi, ac indici debebant. Hinc anno V. C. 270. quo L. Aemilius Conſul erat, *Latinae edictae a Conſule ſunt in ante IV. & III. & pridie Idus Novembres;* ideoque non quatuor, ſed tribus ſolum diebus celebratae. Ceterum, licet Feriarum numerus a Romanis auctus foret, & quamvis ipſi Latini Populi Romanorum imperio ſubiecti iam forent, ideoque non foederati, vel ſocii, ſed ſubditi viderentur, Feriaeque ipſae non a Latinis, ut antea, Populis, ſed ab ipſis ſolum Romanis agerentur, priſtinum tamen *Feriarum Latinarum* nomen conſervarunt, ut optime proinde dixerit Dionyſius (*a*): *Ταύτας τὰς ἑορτάς τε, ϗ τὰς θυσίας μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τελῦσι Ῥωμαῖοι Λατίνας καλῦντες* *haec Sacrificia, & has Ferias Romani ad noſtra uſque tempora celebrant, Latinas Ferias eas vocantes.*

Ita quoque perenni conſtantique more ſervatum fuit ut ad Ferias illas rite, ſancteque celebrandas olim Reges, mox Conſules, & Magiſtratus omnes Vrbe ſecederent, atque in Albano monte Latiaris Iovis templum adirent. Hinc Dionyſius ipſe (*b*) ubi de Tribunis Plebis diſſerit, perſpicue teſtatur quod iis nefas, vetitumque fuerat extra Vrbem pernoctare, niſi ſolo Feriarum tempore: *ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύϛσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τῦ Λατίνων ἔθνϛς τῷ Διῒ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνϛσαι. τῦτο διαμένει μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τὸ ἔθος niſi quodam ſtatuto*

(*a*) Libr. IV. num. 49. (*b*) Libr. VIII. n. 87.

tuto tempore, quo omnes Populi Romani Magiſtratus in Albano monte pro Latinorum gente Iovi commune ſacrificium faciunt, atque hic mos ad noſtram uſque aetatem permanet.

Neque modo Feriis ipſis Magiſtratuum aliorum inſtar Tribuni Plebis intereſſe debebant, verum etiam earum rite peragendarum cura Tribunis ipſis committebatur, ut Dionyſius ipſe teſtatur: *τὴν δὲ προςασίαν, ϗ τὴν ἐπιμέλααν τῶν ἐν αὐτοῖς γενομένων θυσιῶν τε, ϗ Ἀγώνων οἱ τῶν Δημάρχων ὑπερέται παρέλαβον, οἱ τὴν νῦν Ἀγορανομικὴν ἔχοντες ἐξυσίαν, κοσμηθέντες ὑπὸ τῆς Βυτῆς πορφύρᾳ, ϗ θρόνῳ ἐλεφαντίνῳ, ϗ τοῖς ἄλλοις ἐπισήμοις, οἷς εἶχον οἱ Βασιλεῖς munus autem, procurationemque Sacrificiorum, & Ludorum, qui in illis Feriis fiebant, Tribunorum Plebis miniſtri acceperant, qui nunc Aedilitiam habentes poteſtatem a Senatu praetexta, & ſella eburnea, & reliquis regiis inſignibus ornantur* (*a*).

Quandoquidem ergo Feriarum Latinarum tempore Magiſtratus omnes, ac ipſe quoque Vrbis Praefectus, quum vel annuus, vel diuturnior eſſe caeperat, Vrbe ſecedere, ac in Albano monte Sacris intereſſe debebat, ne interim Vrbs, ac univerſa populi multitudo, quae domi relicta fuerat, ſine Magiſtratibus omnibus, ac imperio degeret, Praefectus alius pro ſolo Feriarum tempore eligebatur, qui proinde *Praefectus Vrbis Feriarum Latinarum*, ſive *Praefectus Vrbis Feriarum cauſſa*, ſive, ut in Suetonio legendum exiſtimo, *Praefectus Vrbi ſacro Latinarum* dicebatur, ut ex Scriptoribus, ac Marmoribus illis apparet, quae variis in locis opportune proferentur (*b*).

Interim vero illuſtrem Pomponii locum ſubiecisſe iuverit, quem a Iuris Interpretibus vexatum eſſe conſpicio. Quum enim accuratiſſimus ille Iuriſconſultus

(*a*) Lib. VI. n. 95. (*b*) Pag. 57. 85. 98. 102. 142.

Digitized by Google

tus dixiſſet in Vrbe ius a Conſulibus, Praetoribus, aliiſque Magiſtratibus reddi conſueviſſe, repente ſubdit: *Et haec omnia quotiens in Republica ſunt Magiſtratus: quotiens autem proficiſcuntur, unus relinquitur, qui ius dicat, iſque vocatur Praefectus Vrbi: qui Praefectus olim ita conſtituebatur, poſtea vero Latinarum Feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſervatur.* Cl. Faber in hoc eximio Pomponii loco pro vocibus illis *qui Praefectus olim ita conſtituebatur*, legendum aſſerit *qui profectis iis olim conſtituebatur*, ut nimirum eadem Taciti verba, quae Pomponius exſcripſiſſe videtur, accuratius exprimantur. Ego vero nihil mutandum eſſe putaverim. Quid enim Pomponius ubi perſpicue iam dixerat quod *quotiens proficiſcuntur; Praefectus Vrbis conſtituebatur*, iterum repeteret quod profectis iis conſtituebatur? Quanto concinnius dicetur quod Praefectus Vrbi olim *ita*, hoc eſt ob diuturnam, & incerti temporis Magiſtratuum abſentiam, conſtituebatur; deinde vero ſola Latinarum Feriarum cauſſa, certis nimirum, ſtatiſque diebus introductus fuit?

Quamvis autem id muneris plerumque gravibus, ſpectatiſque Viris committeretur, aliquando tamen Adoleſcentibus, qui vel ingenio, vel genere, vel dignitate excellerent, concedebatur; ut Druſi, Neronis Caeſaris, Pompeii, Silvani, aliorumque exemplo demonſtrabitur (a). Quinetiam tenerioribus quoque, ac impuberibus pueris aliquando graviſſimam hanc dignitatem tributam eſſe conſpicimus. Certe Strabo (b), qui Auguſti, ſimulque Tiberii temporibus floruit, ubi de Albano monte, deque Latinis Feriis ibi celebratis agit, perſpicue teſtatur quod *τῇ πόλει ἐφίϛησαν Ἄρχοντα πρὸς τὸν τῆς θυσίας χρόνον τῶν γνορίμων τινὰ νέων illuſtrium Iuvenum aliquem ſacrificii tempore Vrbis Praefectum conſtituebant.*

c Ita

(a) Vid. pag. 30. 39. 40. (b) Libr. V. pag. 229.

Ita quoque poteſtas illa, vel Praefecti dignitas non uni ſolum, ſed aliquando pluribus, quorum unus alteri ſuccederet, conceſſa fuit; quae tamen omnia veluti indecora, ac priſtino Quiritum mori contraria ab Auguſto ſublata ſunt, ut opportunius alibi (*a*) demonſtravi. Quamdiu vero liberior illa conſuetudo obtinuit, ut impuberes etiam, vel Adoleſcentes ipſi Feriarum tempore iuri dicundo, vel Vrbi praeeſſent, ad eiuſmodi Praefectorum tribunal leviſſimae ſolum cauſſae, tralaticiae, umbratiles, ac interdum etiam fictae deferebantur, ut ſuis in locis opportune oſtendetur (*b*).

Ceterum an ludicris Praefectis iſtis, qui ſolo Feriarum Latinarum tempore Vrbi praeerant, una cum poteſtate, ac imperio curulis etiam ſella, faſces, aliaque id genus veri Praefecti ornamenta concedi conſueverint, in tanto veterum Scriptorum ſilentio definiri non poteſt. Non plurimum tamen fallar ſi haec omnia ipſis etiam Feriarum Praefectis conceſſa fuiſſe dixerim; ut quemadmodum nempe Praefectis iſtis idem omnino tribunal, eadem iuris dicundi poteſtas, eadem iurisdictio tribuebatur, ita quoque idem etiam Praefectorum ornatus, eademque pompa conceſſa fuerit. Certe perſpicuo Gellii (*c*) teſtimonio erudimur quod Adoleſcentibus etiam, qui Feriarum tempore Praefecti forent, Senatus habendi facultas tributa fuit; ideoque multo ſane facilius Praefectorum ornatus, ac univerſa dignitatis inſignia iis conceſſa cenſeri debent.

§. III.

(*a*) Vid. pag. 24. (*b*) Pag. 30. (*c*) Lib. XIV. c. 8. Vid. pag. 41.

§. III.

De Praefecti Vrbis duratione.

QUaecumque fere de prima Praefectorum Vrbis origine, eorumque inſtituendorum cauſſa iam diximus, manifeſte nobis oſtendunt, quod Magiſtratus ille nullis omnino certis, ſtatiſque temporum finibus circumſcribi poterat; ſed eiuſmodi Praefectorum auctoritas, ac duratio modo brevior, modo diuturnior eſſe debebat.

Quum enim Praefectorum Vrbis auctoritas, munus, ac iurisdictio nonniſi *profectis domo Regibus*, aut Conſulibus inciperet, iiſque domum reverſis illa deſineret, pro vario temporis ſpatio, quo Reges ipſi, vel Conſules abeſse poterant, ipſa quoque Praefecti diuturnitas modo maior, modo minor habebatur. Ita quoque, ſi Comitiorum habendorum cauſſa Praefectus Vrbis eligebatur, novis Conſulibus iam conſtitutis univerſa Praefecti auctoritas extinguebatur, ut in exemplis illis apparet, quae ſuis in locis de primis Vrbis Praefectis expoſui.

Vbi vero tranquillis, ac felicioribus Romanae Reipublicae temporibus belli gerendi cura non Conſulibus ipſis, ſed copiarum Ducibus, exercituum Imperatoribus, & Auguſtorum Legatis committi caepit, ideoque Conſules integro Magiſtratus tempore Romae degebant, Praefectus Vrbis eligebatur, non ut univerſis civilibus rebus, ac negotiis, abſentium Conſulum loco, praeeſſet; verum potius ut peculiaris quidam Magiſtratus, qui aliorum inſtar, muneribus ſibi commiſſis in Vrbe, finitimiſque Romae Provinciis fungeretur, ut de Cilnio Maecenate, Vipſanio Agrippa,

aliiſque pluribus oſtendetur. Itaque Praefecti electio, eiuſque diuturnitas a ſolo Caeſarum arbitrio pendebat, ut innumeris fere exemplis demonſtratur. Quamvis enim Maecenas Auguſto auctor fuerit, ut Praefectus Vrbis, qui veluti *novum officium* ab Auguſto inſtitutus videbatur, quemadmodum etiam *Subcenſor* ad vitam eligeretur, compertum eſt tamen quod maxima in eligendis illis, & conſervandis perturbatio, ac varietas invecta fuit, ut in illis ipſis apparet, qui ab Auguſto, Tiberio, ceteriſque Imperatoribus proxime conſequutis inſtituti memorantur.

Quid vero quod infauſtis nequiſſimorum Caeſarum Commodi, Caracallae, atque Elagabali temporibus Vrbis Praefecti non modo ex infima populi colluvie aliquando ſumebantur; ſed etiam ipſorum aliquot inique exauctorati in ordinem redigebantur, & aliquando temere prorſus in menſes ſolum, atque horas eligebantur, ut innumeras varietates alias omittam, quae in hoc illuſtri, graviſſimoque munere contigerunt. Plerumque tamen tranquillis, pacatiſque rebus Praefectus Vrbis per plures annos ſive continuos, ſive interruptos eo honore potiebatur; viciſſim vero Praefectus alius aliquando uno, eodemque anno plures ſucceſſores habuit; &, quemadmodum in Conſulatu *Suffecti* Conſules honoris cauſſa induci caeperunt, ita quoque in Praefectorum ſerie Praefecti quidam Praefectis aliis ſubſtituti ſubinde occurrunt.

Vbi tamen incertas, atque inconſtantes varietates illas exceperis, Praefectorum Vrbis Magiſtratus plerumque annuus eſſe conſueverat, ut in veteri Praefectorum Serie conſpicitur, quae Praefectos omnes ab anno 254. ad annum uſque 354. complectitur, de qua accuratius §. IX. agendum erit; idemque mos ſub Gothorum Regibus obſervatus videtur, ut ſuis in locis opportune oſtendetur.

Quam-

Quamvis autem Praefectorum diuturnitas, aut eiuſmodi Magiſtratus duratio variis de cauſſis abrupta fuerit, ut opportune oſtendetur, aliquando tamen Praefectos ipſos non alia de cauſſa eo munere ſolutos eſſe crediderim, quam ut ipsis ad nobiliores, ſuperioreſque dignitates alias, nimirum ad *Praetorii Praefecturam & Conſulatum* aditus patere poſſet; quamvis hac etiam in parte mira varietas haberetur, ut proximo loco oſtendetur.

§. IV.

De dignitatum ordine, quibus ad Praefecturam Vrbis aſcendebatur.

NIhil eſt certe, quod in optima Imperii forma rite conſtituta accuratius obſervari debeat, quam perſpicua quaedam, & conſtans honorum, munerum, ac dignitatum ſeries; ordo nimirum, quo cives ab humilioribus ſenſim ad ſuperiores, nobilioreſque dignitates aſcendant; atque ubi levioribus muneribus decore, laudateque perfuncti illi fuerint, gravioribus etiam exornentur. Itaque a primis uſque, aureiſque Romanae Reiblicae temporibus inſtitutum fuit, ut inter plurimas Reipublicae dignitates certa quaedam ipſarum ſeries, & ordo heberetur; ideoque nemo ad Praefecturam Vrbis accederet, ſive Praefectus Vrbis eligeretur, qui in minoribus dignitatibus aliis obeundis ingenii, ſolertiae, dexteritatis, prudentiae, aequitatis illuſtre iam ſpecimen non edidiſſet. Hinc ubi Maecenas Auguſto auctor fuit ut Praefecturam Vrbis veluti *officium novum* inſtitueret, perſpicue diſerteque monuit ut is ſolum Praefectus eligeretur, *qui omnes Magiſtratus*, *quos geri ante hunc convenit*, *geſſerit* (*a*).

Inge-

(*a*) Pag. 20.

Ingenue tamen fatendum eſt quod eiuſmodi graduum, vel dignitatum ſeries neque a Maecenate expreſſa, neque ab ullo ex antiquis Hiſtoricis memorata fuit, neque certe omnibus omnino temporibus haec ſemper una, eadem, ac perennis conſervata videtur; ſed potius variis temporibus varia uſurpata conſpicitur, ut exemplis innumeris oſtendi poſſet, quorum aliqua ex Hiſtoricis, atque ex ipſa Praefectorum noſtrorum Serie ſuis in locis opportune, ac breviſſime proferentur.

Atque, ut ab Hiſtoricis ipſis exordiar, Trebellius Pollio, cum Cenſorinum, qui anno Chr. 270. invitus, ac pene reluctans ad Imperium evectus fuit, *antiquae in Curia dignitatis* fuiſſe dixiſſet, varios honorum, ac dignitatum gradus ab illo emenſos enumerans ait (*a*): *Bis Conſul, bis Praefectus Praetorio, ter Praefectus Vrbis, quarto Proconſul, tertio Conſularis Legatus, Praetorio ſecundo, Aedilitio quarto, Quaeſtorio tertio* fuit. Itaque ex Trebellii ſententia dignitatum ſeries, & ordo, quo tandem ad Conſulatum veluti honorum, ac dignitatum omnium ſupremum aſcendebatur, ita diſponi debet

1. *Quaeſtor*	5. *Proconſul*
2. *Aedilis*	6. *Praefectus Vrbis*
3. *Praetor*	7. *Praefectus Praetorio*
4. *Legatus Conſularis*	8. *Conſul*

Haec ipſa dignitatum ſeries in eximio Vettii Agorii Praetextati Elogio (*b*) fere conſpicitur. Etenim poſt ſacras plerumque dignitates alias accuratiſſime in Marmore expreſſas fuiſſe ille dicitur

1. *Quae-*

(*a*) Cap. 33. (*b*) Pag. 243.

1. *Quaeſtor Candidatus* 4. *Praefectus Vrbi*

2. *Praetor Vrbanus* 5. *Praefectus Praetorio*

3. *Proconſul Achaiae* 6. *Conſul deſignatus*

Ita *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius Conſularis Campaniae*, *Proconſul Africae*, *Praefectus Vrbis*, *Praefectus Praetorio*, *Conſul ordinarius* appellatur (a).

Quandoquidem ergo Trebellius evidenter adeo gradus, vel dignitates illas enumerat, eadem ſeries in Agorii Praetextati, & Olybrii Marmore confirmatur, eamque Salmaſius Trebellii Interpres probavit, plane non video quid Hagembuchium impulerit, ut ille Praefectum Vrbis Praetorii Praefecto nobiliorem, ac ſuperiorem fuiſſe putaverit (b). Optime quidem novi quod Praetorio Praefectus in paucis aliquot Vrbis Praefecto concedebat, ipſique inferior videbatur. Siquidem Praefectus Vrbis, veluti *Senatus caput*, eiuſque *Praeſul*, ſemper Senatui intererat, omniumque primus in Senatu loquebatur, ac ſententiam dicebat; Praetorii vero Praefectus nonniſi Alexandri Severi beneficio Senator eſſe, vel in Senatum cooptari caepit (c); ſed in illo tamen poſt Vrbis Praefectum ſedere, & loqui debebat. Quamvis autem perſpicua, & explorata illa ſint; nihilo tamen minus Praetorii Praefectura ſemper Vrbana nobilior, gravior, ac ſuperior cenſebatur, atque ab Vrbana plerumque ad Praetorianam veluti ſublimiorem aſcendebatur; quemadmodum ab Vrbis Praefecto aliquando appellari poterat, quod a Praetorii Praefecto, eiuſque ſententia fieri non licebat.

Quamvis tamen perſpicuis teſtimoniis, & exemplis illis aperte contra Hagembuchium oſtendatur Praetorii Praefecturam ſemper Vrbana nobiliorem haberi con-

(a) Pag. 247. (b) Ad Dypt. Brixian. (c) Lamprid. Alex.

Digitized by Google

conſueviſse, ingenue fatendum eſt quod utriuſque Praefecti dignitas, quemadmodum etiam *Magiſtri Militum*, par, *indiſcreta*, & aequalis propemodum cenſebatur. Hinc ubi plures tum Vrbis, tum Praetorii *Ex-Praefecti*, vel *Ex-Magiſtri Militum* ſimul convenirent, ille veluti nobilior in ſedendo, loquendoque praecedebat, qui prius eiuſmodi vel Praefecturae, vel Magiſterii munus ſuſceperat, aut Vrbi, vel Praetorio, vel Militibus praeeſse caeperat: perinde ac ſi in dignitate ipſa, vel munere nulla fere diſparitas haberetur, ſed ſola temporis praerogativa in ipſorum ſingulis ſpectanda foret. Hinc aliquando ab ipſa Praetorii Praefectura ad Vrbanam veluti nobiliorem, aditum patuiſſe conſpicimus; unde Ruſius Ceionius Voluſianus ita *Ex-Praefectus Praetorio*, *Praefectus Vrbis* appellatur, (*a*) ut prius Praetorio, mox Vrbi praefuiſſe videatur; & Lampadius, cum *Ex-Praefectus Praetorio* foret, *Vrbis Praefectus* electus fuit (*b*). Ceterum Praetorii Praefecturam, ſi ipſius poteſtatem ſpectaveris, longe Vrbana ſuperiorem fuiſse inde quoque deduci, ac intelligi poteſt, quod Praetorio Praefecti non uni ſolum, ſed aliquando etiam pluribus Praetoriis praeſiderent, ut *Vettius Agorius Praetextatus Praefectus Praetorii Italiae, & Illyrici* memoratur (*c*), ac interdum etiam Italiae & Illyrici, & Africae Praefectura recenſetur.

Itaque mirari non poſsumus quod Gothis etiam Regibus Romae imperantibus Praetorii Praefectura longe Vrbana nobilior, ac illuſtrior, haberetur; ideoque ex earum dignitatum Formulis, quae a Caſſiodorio conſervatae ſunt, perſpicue oſtendatur quod iis temporibus, quibus honores, ac dignitates aliae recens invectae veteribus aliis adiunctae fuerant, dignitates ipſae hoc ordine cenſebantur

1. Co-

(*a*) Vid. pag. 229. (*b*) Vid. pag. 235. (*c*) Grut. pag. 1102. n. 2. Vid. pag. 243.

1. *Comes Patrimonii*
2. *Comes Rerum Privatarum*
3. *Comes Sacrarum Largitionum*
4. *Magiſter Officiorum*
5. *Quaeſtor*.
6. *Praefectus Vrbis*
7. *Praefectus Praetorio*
8. *Patricius*
9. *Conſul*.

Quin etiam proxima Zenonis Auguſti aetate recens illa *Patriciatus* dignitas omnium graviſſima, & ſuprema cenſebatur; ideoque Auguſtus ille decrevit (*a*) ne quiſpiam ad *Patricii* dignitatem aſſumi poſſet, qui prius Conſul, Praefectus Praetorio, vel Vrbi, aut Magiſter Militum, & Officiorum Magiſter non fuiſſet: cui tamen Legi a Iuſtiniano Auguſto derogatum fuiſſe conſpicimus ubi conſtituit (*b*) *Illuſtres Viros*, etſi neque *Conſulares*, neque *Praefectorii*, alterutra nempe Praefectura functi, forent, *Patricios* tamen eligi, vel creari poſſe.

Antequam tamen haec dignitatum varietas, ac perturbatio ſequioribus Seculis invecta foret, vertente iam quarto Eccleſiae Seculo adhuc Conſulatus ipſe honorum, ac dignitatum omnium culmen habebatur. Hinc Ammianus (*c*) de Mamertino anno Chr. 362. Conſule loquens ait, quod ille primum *Sacrarum Largitionum Comes*, & *Praetorio Praefectus*, mox *Conſul* fuit. Ita Libanius (*d*) Iuliani Auguſti tempore aſſeruit quod, ſi fortaſſe cuipiam contigiſſet Conſulatum ante Praefecturam ſortiri, de Praefectura ipſa gloriari, vel efferri non poterat: perinde ac ſi nihil prorſus ſplendoris ex Praefectura ipſa poſt Conſulatum iampridem geſtum accederet.

Aliquando tamen florentibus etiam Romani Imperii rebus, & incolumi adhuc veteri dignitatum maieſtate Cives aliquos obſervavi, qui prius *Conſulatum*, mox

d

(*a*) Cod. Libr. XII. tit. 3. (*b*) Novel. de Senator.
(*c*) Libr. XXI. c. 17. (*d*) Orat. VIII. p. 230.

mox *Vrbis Praefecturam* adepti ſunt, ut ad annum V. C. 785. de L. Lamia (a), & de Coſſo ad annum V. C. 787. demonſtravi (b). Interdum etiam unus idemque Civis *Praefectus Vrbis*, ſimulque *Conſul* occurrit, ut de Sanquinio Maximo (c), Anicio Paulino (d), aliiſque oſtendetur (e). Ita quoque nonnulli ſimul, eodemque tempore tum *Vrbi*, tum *Praetorio* praefuere, ut ad annos Chr. 347. 348. duoſque pone ſequentes obſervabitur; quodque mirari quis poſſit, nonnulli quoque nobis occurrunt, qui utramque ex Praefecturis illis una cum Conſulatu adepti videntur, ut in Vlpio Limenio contigiſſe vidimus (f).

Quemadmodum vero plurimi, qui Conſularibus Faſcibus decorati fuerant, emenſo iam Conſulatus tempore Proconſulatum, & minores honores alios obtinebant, ita quoque plurimos extitiſſe conſpicimus, qui adminiſtrata iam Vrbis Praefectura inferiores etiam dignitates alias ſortiebantur. Sic Aemilius Paulus Regillus cum Praefectus Vrbis fuiſſet, mox Tiberii Auguſti in Hiſpania Quaeſtor occurrit (g); idque ſaepiſſime contigiſſe erudimur: ne ſpectatiſſimi nempe Viri ſublimioribus iam muneribus egregie perfuncti ab honoribus aliis, licet obſcurioribus, arceri, ideoque Reipublicae bono deeſſe viderentur.

Quandoquidem vero in pleriſque Marmoribus una cum Vrbis Praefectura plurimae dignitates aliae promiſcue recenſentur, definiri certe non poterit an dignitates illae Praefecturam praeceſſerint, vel depoſita iam Praefectura ſuſceptae illae ſint: quemadmodum certe obſcurum prorſus, & incertum ſupererit quo potius ordine ipſarum ſingulae Civi contigerint. Video quidem Cl. Oliverium exiſtimaſſe (h) quod eiuſmodi dignitates eodem prorſus ordine ſuſceptae fuerint, quo in Mar-

(a) Pag. 36. (b) Pag. 38. (c) Pag. 39. (d) Pag. 185.
(e) Pag. 140. 154. 158. 170. (f) Pag. 207. (g) Pag. 26.
(h) Marm. Piſaur.

Digitized by Google

in Marmoribus recenſentur, idque ſaepiſſime factum eſſe libens conceſſerim. Aliquando tamen eam temporis ſeriem, atque ordinem perturbatum fuiſſe exemplis innumeris oſtendi poſſet, quae facile ex Marmoribus, aut ex Scriptorum teſtimoniis mox proferendis diligens, & accuratus Lector intelliget.

§. V.

De variis Vrbani Praefecti nominibus, titulis, atque inſignibus.

ETſi Magiſtratus ille, qui Vrbi Romae praeerat, a Graecis quidem Ἄρχων (a) Ἔπαρχος (b), Πολίαρχος (c), Πολιάρχων, Φύλαξ τῆς Πόλεως (d) Πολιόνομος (e), Ἡγεμὼν (f), Ὕπαρχος (g), a Latinis autem plerumque *Praefectus Vrbi*, *Praefectus Vrbis*, aut aliquando *Praefectus Vrbanus* diceretur, ſubinde tamen in Auguſtorum Legibus, aut in Scriptoribus, qui ſequioribus praeſertim temporibus floruerunt, tum elegantiae ſtudio, tum honoris etiam cauſſa variis aliis nominibus is deſignatur.

Sic, ut a Legibus ipſis exordiar, Praefecti munus, ac dignitas aliquando *Vrbanum Iudicium*, *Illuſtre Vrbanum Iudicium*; aliquando vero *Vrbana Sedes*, *illuſtris Vrbana Sedes*, *Vrbanae Sedis Praefectura*; aliquando denique *Vrbana Praefectura*, *Vrbicaria Praefectura* vocata conſpicitur.

Quandoquidem vero Praefectus ipſe univerſae Vrbi praeerat, is aliquando *eximiae Vrbis Praeſul* (h), *Vrbis Moderator* (i), *Romam regens* (k) *Vrbis Rector* (l),

 Vrbem

(a) Pag. 77. (b) Pag. 9. 12. 106. (c) Pag. 13. 15. 18. (d) Pag. 34. (e) Pag. 14. 16. (f) Pag. 160. (g) Pag. 91. (h) Pag. 229. (i) Pag. 235. (k) Pag. 213. 214. 247. (l) Pag. 131.

Vrbem aeternam regens (*a*), *Vrbis Cuſtos* (*b*), *Vrbis Villicus* (*c*), *Vrbis Romae Curator* (*d*), *ſecuritatis Vrbanae Cuſtos* (*e*) appellatus fuit.

Neque modo Praefectus ipſe univerſae Vrbi, ſuburbicariis Regionibus, ac omni fere Italiae praeerat, ut inferius oſtendetur; ſed auguſto quoque Romano Senatui praeſidebat. Hinc ille *Senatus Praefectus* dicebatur; ut optime proinde Sidonius, ut innueret ſe Vrbis Praefectum electum fuiſſe, ait *ut me Praefectum faceret Senatui ſuo* (*f*). Ita quoque *Senatus Praeſul* (*g*) a Caſſiodorio Praefectus Vrbis vocatur; quemadmodum alibi *Senatus Caput* (*h*) *&* *in arce Senatus praecipuus* (*i*) a Caſſiodorio ipſo, aliiſque Scriptoribus appellatur, quorum teſtimonia ſuis in locis in hac Praefectorum Serie opportune iam protuli, quae modo numeris margini inſcriptis indicantur.

Atque ita quidem Praefectus ille Senatui, univerſiſque Senatoribus praeerat, ut ipſorum quoque Cenſor, ac Iudex foret; ideoque Senator, qui aetatis veniam impetraverat, apud illum de morum ſuorum honeſtate docere debebat; Senatorum cauſſas ipſe cognoſcebat, atque ab ipſius iudicio, ſive ſententia, ſi paucos ſolum caſus exceperis, appellari non poterat. Si tamen de Senatoris alicuius capite, ſeu vita ageretur, ideoque iudicia de Senatoribus inſtituta criminalia forent, Praefectus Vrbis ex Valentis Auguſti decreto, quinque Senatores alios adſciſcere, unaque cum illis ſententiam ferre tenebatur, unde iudicium illud *quinquevirale Iudicium* dicebatur (*k*).

Quum ergo Praefectorum Vrbis auctoritas, dignitas, & excellentia tanta foret, ut *ſumma iuxta Praefectos Praetorio fuerit* (*l*), ut nimirum, ſi *Conſulatum* unum, & *Prae-*

(*a*) Pag. 213. (*b*) Pag. 31. 48. (*c*) Pag. 47. (*d*) Pag. 31. (*e*) Pag. 34. (*f*) Pag. 353. (*g*) Pag. 251. (*h*) Pag. 266. (*i*) Pag. 265. (*k*) Vid. Not. ad Sidon. Lib. IV. ep. 22. pag. 140. (*l*) Vid. Goth. de P. V.

& *Praetorii Praefecturam* exceperis, ceteras dignitates omnes longiſſime ſuperaret, mirari certe non poſſumus ſi Praefectis ipſis in Romanae Hiſtoriae Scriptoribus, in Marmoribus, quodque gravius eſſe debet, in ipſis etiam Auguſtorum Reſcriptis, aut Legibus, quae ad Praefectos Vrbis ſaepiſſime diriguntur, plurimi honoris tituli concedantur, quorum ſingulos ex Legibus ipſis accuratiſſime Gothofredus expreſſit, noſque ex uberrimis Gothofredi fontibus hauſtos hic ordine complectemur.

Itaque Praefectus Vrbis plurium aliorum Magiſtratuum inſtar *Illuſtris* dicebatur, ideoque ſaepius in Legibus ad ipſum datis occurrit *illuſtris auctoritas tua*, *excellens auctoritas tua*, *illuſtris Praefectura Vrbana*, *illuſtris Magnificentia tua*, *illuſtris Sedes tua*, *magnifica Sedes tua*, *Eminentia tua*, *Eminentia tua ſublimis*, *Eminentiſſima Praefectura Vrbana*, *Gravitas tua*, *Magnitudo tua*, *Sinceritas tua*, *laudanda tua Sinceritas*, *magnifica Sinceritas*, *praecelſa Sinceritas tua*, *Sublimitas tua*, *Culmen tuum*; ac Praefectus ipſe a Iuſtiniano Auguſto *glorioſiſſimus* appellatur: quodque nobilius, atque illuſtrius cenſeri debet, in Legum titulo poſt Auguſti nomen repente Praefecti nomen ita ſubiicitur: *Ave N. Parens cariſſime, atque amantiſſime.*

Ita quoque Praefectus ipſe honeſtiſſima *Viri Clariſſimi* appellatione decorabatur; quae tamen appellatio, honoriſque titulus pluribus etiam aliis inferioris quoque ordinis Magiſtratibus tribui deinde caepit, ut in plurimis tum Scriptorum, tum Marmorum teſtimoniis obſervabitur. Quandoquidem vero Tillemontius exiſtimavit eiuſmodi *Clariſſimi Viri* nomen aliquanto ſerius, ac nonniſi tertio Eccleſiae Seculo invectum fuiſſe (a), obſervari plurimum velim quod titulus ille longe antiquior

(a) Vid. Pag. 79.

quior fuit, ac ineunte fere primo Chriſtianae Aerae Seculo uſurpari iam caeperat. Siquidem, ut exempla cetera omittam, quorum aliqua ad annum Chr. - - - proferentur, in *C. Perpernii Nautiani* Elogio, quod anno Chr. 29. exaratum fuit, perſpicue legitur (*a*)

C. PERPERNIVS. C. F. NAVTIANVS

V. C. PRAEF. VRB. CVRATOR. VIARVM

Quod ſi fortaſſe quis reponat hoc Marmor ex Gudio, fonte nimirum pluribus ſuſpecto, prodiiſſe, aut ſiglis illis V. C. quidpiam aliud nobis incognitum indicari, indubium exemplum aliud afferri a me poterit. Siquidem apud Reineſium (*b*) in aerea Lamina duo Decreta exarata conſpiciuntur, quorum unum HOSIDIO GETA ET L. VAGELLIO CONSVLIBVS, ideſt anno V. C. 800. ſive 801. quo Conſules illi Claudii Auguſti aetate *ſuffecti* fuerunt, aliud vero anno 810. editum fuit. In poſterioris huius Decreti initio legitur S. C. QVOD FACTVM EST HOSIDIO GETA ET L. VAGELLIO COS. CLARISSIMIS VIRIS. Itaque dubitari non poterit quin titulus ille ſaltem Conſulibus, circa annum Chr. 47. concederetur. Ita quoque Panvinius ad annum V. C. 854. ſive Chr. 101. Marmor exhibet, in quo reperitur C. IVNIVS. C. F. TROM. NERINIANVS. VIR. CLAR: quemadmodum in Appiani Marmore (*c*) ſemel, iterumque occurrit DN. TRAIANO V. C. quo certe loco obſervari debet ibi DN. nimirum *Domini noſtri* titulum reperiri, qui certe ſequioribus quidem Seculis in Marmoribus, ac Nummis frequentiſſime occurrit, at in antiquis vix, & infrequenter admodum uſurpatus conſpicitur. Haec, aliaque id generis obſervari plu-

(*a*) Pag. 35. (*b*) Claſſ. VII. n. 11. (*c*) Pag. 6.

ri plurimum debent, ne Marmor aliquod veluti ſpurium reiiciatur quod in illo phraſes, ac formulae reperiantur, quae nobis novae, iiſque temporibus inſuetae propemodum videantur.

Quoniam vero inter illuſtria Vrbani Praefecti munera principi fere loco habebatur quod ille Caeſaris, vel Auguſti nomine, & vice, ea nimirum poteſtate, quae ſibi ſemper ab Auguſto concedi conſuevit, ideoque iure ſuo, vel ordinaria auctoritate cauſsas audiret, controverſias dirimeret, ſententiam ferret, & ſacra vice iudicaret, in omnibus fere Marmoribus ille non modo *Praefectus Vrbis*, ſed etiam ſimul *Vice ſacra iudicans*, aut *Iudex ſacrarum Cognitionum* vocatur: quod ille nimirum, ut ex variis Legum locis a Gothofredo indicatis colligitur, *Principem repraeſentaret*, *imaginem principalis diſceptationis acciperet*, *Princeps vicem ſuam ipſi committeret*, *Sacrae cognitionis examen ipſi tributum*, & *ad vicem Principis delata iudicatio* foret, *ſacra vice audientiam praeberet*; ideoque eius Tribunal *Auditorium Sacrum*, ipſe vero *Auditorii Sacri Cognitor*, eiuſque ſententia *Sacri Auditorii ſententia* dicebatur: quamvis ab illa aliquando appellari liceret, ut ex Legibus, variiſque Scriptorum teſtimoniis erudimur (*a*).

Atque iſta quidem iudicandi poteſtate Praefectus Vrbis iure ſuo, vel ordinaria auctoritate fruebatur. Etenim, ſi quiſpiam civis alius *vice Sacra iudicans*, ſive *Sacrarum Cognitionum Iudex* occurrat, is poteſtate quadam extraordinaria ſibi a Principe tunc delegata utebatur. Hinc in Gruteri Marmore (*b*) legitur: *Memmius Vitraſius Orfitus V. C. iterum Praefectus Vrbis*, *Iudex Sacrarum Cognitionum tertium*: quod nimirum ille vel ante, vel poſt Praefecturas, extraordinariam a Caeſare iudicandi poteſtatem ſemel recepiſset. Hinc etiam intelligi debet

(*a*) Vid. pag. 250. (*b*) Pag. 284. 8.

Digitized by Google

bet quod aliquando in Marmoribus *(a)* habetur *L. Ceionius P. V. ad cognoſcendas vice Caeſaris Cognitiones*; quod nimirum ipſe non ſua, ſed Caeſaris auctoritate iudicare videretur. Sic aliquando Conſulibus eadem cauſarum cognitio, vel interpretandarum Legum auctoritas conceſſa fuit; unde *(b) Anicius Paulinus iunior V. C. Conſul ordinarius Iudex Sacrarum Conſtitutionum* vocatur; atque inferioribus etiam Magiſtratibus id aliquando conceſſum fuiſse Marmor iſtud oſtendit *(c)*

M. MAECIO MEMMIO
COMITI ORDINIS PRIMI
COMITI ORIENTIS ET AEGYPTI
IVDICI SACRARVM COGNITIONVM
TERTIO IVDICI ITERVM EX
DELEGATIONIBVS SACRIS

Quod ſi praeclaris adeo nominibus, titulis, officiis, ac muneribus ipſos Vrbis Praefectos decoratos fuiſse conſpicimus, dubitari certe non poterit quin illi variis etiam inſignibus, ac ornamentis pro rei dignitate a Magiſtratibus aliis diſtingui conſueverint; quamvis illa a nullo propemodum Hiſtorico expreſsa reperiantur.

Ac initio quidem Praefectos trabea, vel toga praetexta ornari conſueviſſe vix dubito, non modo quod ornatus ille maiorum Magiſtratuum inſigne cenſeretur *(d)*, verum etiam quod alicubi eius mentio facile variis in locis occurrat. Ita, cum Rutilius Numatianus oſtendere vellet Venerium Rufum ſibi in Vrbana Praefectura ſucceſſorem fuiſſe, dicit

Per quem iura meae continuata togae.

Hinc

(a) Grut. pag. 381. n. 3. *(b)* Grut. pag. 282. n. 3.
(c) Grut. pag. 433. n. 4. *(d)* Vid. pag. 393.

Hinc apud Caſſiodorium in Theodorici regis Epiſtola, qua Artemidorum Vrbis Praefectum eligit, perſpicue legitur: *Te ad Praefecturae Vrbanae culmen erigimus tribuentes Tibi in ea Civitate faſces ubi perpetui ſunt honores*; quemadmodum alibi Praefecti dignitatem *Vrbanae Praefecturae Inſulas* appellavit.

Suſpicor etiam parazonium, aut gladium ab Vrbis Praefecto geſtari conſueviſſe, quo Praetorii Praefectos a Principe cingi ſolitos Plinius (a) oſtendit, idque obſcurius ab Auſonio indicatur ubi de Aufidio Frontone loquens ait: *Sic Conſulatus ornavit, ut Praefectura non cingeret;* quod ille nimirum Conſulatum quidem, at non Praefecturam, obtinuiſset. Hinc Rutilius de Vrbana Praefectura a ſe tranquille geſta diſſerens ait (b)

Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum,
Non ſit Praefecti gloria, ſed Populi;

quamvis id de faſcibus etiam intelligi fortaſse poſsit.

Curulem quoque ſellam, cui nempe ſupra currum impoſitae Praefectus inſideret, & in qua veheretur, ab Vrbis Praefectis uſurpatam eſse quis ambigat, cum illa a Praetoribus etiam Vrbis Praefecto inferioribus adhiberetur? Itaque Praefectus curru vectus cum ius dicere, controverſias dirimere, litigantes audire, in Curia, aut alio quolibet Vrbis loco munere ſuo fungi deberet, eidem ſellae ex curru depoſitae inſidebat, quae vel aurata, vel ebore contecta, vermiculata, vel eleganter ornata foret.

Denique Praefectus ipſe *Carpento*, vel quadriiugi curru aurato, dum per Vrbem incederet, vehebatur. Hinc Caſſiodorius (c) in eius Diplomatis formula, quod Vrbis Praefecto concedebatur, ait: *Carpento veheris per nobilem*

e *ple-*

(a) Panegyr. (b) Vid. pag. 328. (c) Libr. VI.

plebem, additque a praeeuntibus praeconibus acclamatum eſse quod ipſe *Imperii pater* erat. Id vero Conſtantinopoli quoque, veteris Romae exemplo, uſurpatum fuiſſe oſtendit Libanius (*a*) cum aſserit quod in eius Vrbis Praefecto ornamenta, ac inſignia cenſebantur ὁ θρόνος, ὁ, κήρυκες, καὶ οἱ ῥαβδοῦχοι, καὶ ὁ τῶν ὑπηρετῶν ἀριθμὸς *thronus & praecones, & Lictores cum faſcibus, et miniſtrorum numerus*. Denique in *Notitia Dignitatum Imperii*, quae Arcadii, & Honorii temporibus exarata fuit, non modo currus ab Vrbis Praefecto uſurpatus eleganti imagine exprimitur; verum etiam menſa exhibetur, cui Liber erectus inter accenſos cereos impoſitus conſpicitur, atque in argenteo eius Libri operculo aurea Auguſti tunc imperantis imago medium occupat, ut Legum volumen, aut Cenſus a Praefecto exigendi Liber indicetur.

Quae cum ita ſint, perſpicue certoque fallitur Faber (*b*) qui carpentum ſolis Praetorii Praefectis conceſsum eſſe putavit, cumque Vopiſcus (*c*) in Aureliani Vita teſtetur ſe ab Hilariano P. V. in eius carpento vectum fuiſse, ait Faber: *Homo Syracuſanus carpentum pro ſede curuli nominavit*, eoque carpenti nomine *carrucam* ſolum, aut *vehiculum* intelligendum eſse arbitratur, quod a privatis etiam adhibebatur. At carpenti imago in Notitiae Libro expreſsa, ac illuſtria Scriptorum teſtimonia perſpicue oſtendunt quid a Vopiſco Syracuſano quidem homine, ſed Romae tamen ſcribente, *carpenti* voce deſignetur; neque *carpenti* nomen hic a Vopiſco uſurpatum *carrucam* ſolum exprimere profecto debet, ut Viro alioquin doctiſſimo videbatur.

Denique ab Vrbis Praefecto lictores etiam adhiberi conſueviſſe praeter indicia, vel argumenta cetera, quae

(*a*) Orat. 10. (*b*) Semeſt. Lib. I. c. 3. (*c*) Vid. pag. 152.

quae facile afferri poſſent, inſignis Prudentii locus oſtendit ubi de Graccho Vrbis Praefecto ad Chriſtianam Religionem converſo dicit (a)

Cumque ſuis pariter Lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos

§. VI.

De Praefecti Vrbis auctoritate, iurisdictione, & imperio.

QVae de varia Praefectorum Vrbis natura, eorumque inſtituendorum cauſſa iam diximus, perſpicue, certoque nobis oſtendunt quaenam ipſorum poteſtas, imperium, & auctoritas eſſe debuerit, quibuſve finibus iurisdictio ipſis conceſſa pro varia temporum conditione circumſcripta fuerit. Quamdiu nimirum Vrbis Praefectus nonniſi *profectis domo Regibus* eligebatur, in Vrbe ipſa ſupremum fere Imperium, regiamque poteſtatem exercebat; cumque Reipublicae ſumma, exactis iam Vrbe Regibus, ad Conſules translata foret, Conſulibus ipſis domo profectis, univerſa fere Conſulum poteſtas ipſi Praefecto committebatur; quod etiam de Praefectis Feriarum intelligi profecto debet; ut proinde Tacitus optime dixerit, quod Feriarum tempore unus eligitur, *qui Conſulare munus uſurpet*. Deinde vero, cum Conſules pacatis iam rebus ſemper in Vrbe reſiderent, nova prorſus Vrbis Praefecti deligendi ratio, nova eius muneris, ac dignitatis forma ab Auguſto inſtituta fuit; ideoque Praefectus ipſe ſublata iam veteri, graviorique aucto-

(a) Vid. pag. 265.

auctoritate, novam aliam, mitioremque recepit, quae ſibi ab Auguſto commiſſa fuit, quaeque perſpicue, diſerteque a Dione memorata, & a nobis alio in loco propoſita, & explicata fuit (*a*).

Itaque ex pulcherrimo Auguſti (*b*) inſtituto Praefectus Vrbis, incolumi Senatus, Praetorum, Conſulum, aliorumque veterum Magiſtratuum auctoritate, ius, ac imperium in Cives omnes, ac finitimas quoque Provincias intra centeſimum ab Vrbe lapidem, vel, ut Caſſiodorius (*c*) ait, *intra centeſimam poteſtatem* exercebat; civiles omnes, & criminales cauſſae ad ipſius Tribunal deferebantur, appellationes etiam a Iudicibus, Praetoribus, Praeſidibus Provinciarum omnium factas ille recipiebat, controverſias omnes *vice ſacra*, Principis nempe vice, dirimebat, neque ab illo, niſi ad Principem ipſum, appellari poterat.

Nonnihil tamen ex ampliſſima Praefecti auctoritate Alexandri Severi decreto facile detractum videri poterit, quo Lampridio (*d*) teſte ſancivit ut ille XIV. civium conſilio uteretur: *Fecit Romae & Curatores Vrbis XIV.; ſed ex Conſularibus Viris, quos audire Vrbana negotia cum Praefecto Vrbis iuſſit*. Extera tamen negotia, vel cauſſae, quae appellationis iure ad Praefecti Sedem deferebantur, a Praefecto ſolo diremptae videntur. Hinc optime a Vopiſco (*e*) dictum accepimus: *Omnis provocatio Praefecti Vrbis erit, quae tamen a Proconſulibus, & ordinariis Judicibus emerſerit.... Praefecturae Vrbanae appellatio univerſa decreta eſt.... redierunt ad P. V. appellationes omnium poteſtatum, ac dignitatum*. Quemadmodum tamen Floriani Auguſti beneficio vetus illa Praefectorum Vrbis auctoritas reſtituta fuit; ita brevi Conſtantini M. aetate iterum labefactari illa caepit. Cum enim anno Chr. 331. quatuor Praetoria,

Ita-

(*a*) Pag. 20. (*b*) Vid. pag. 20. (*c*) Lib. VI. Form.
(*d*) In Alex. c. 33. (*e*) In Flori. c. 5.

Digitized by Google

Italiae nimirum, *Orientis*, *Illyrici*, *Galliarum* inſtituta fuiſſent, plurimae Italiae, aliarumque Provinciarum cauſſae ad ipſos Praetorii Praefectos devolutae ſunt; ideoque Vrbis Praefecto eae ſolum cauſſae reſervatae fuerunt, quae Romae a Praetoribus cognitae, lataque ſententia diremptae forent. Hinc in Valentis Auguſti Lege (*a*) perſpicue, diſerteque dicitur: *Referunt de Suburbanis Provinciis Iudices ad Praefecturam Sedis Vrbanae; de ceteris ad Praefecturam Praetorio.*

Tanta vero in civilibus, & criminalibus etiam cauſſis Praefecti auctoritas fuit, ut in reos omnes animadvertere ille poſſet, ipſas etiam Senatorum cauſſas, ſi civiles tantum forent, iure ſuo dirimeret; ubi vero de ipſorum capite ageretur, quinque Iudices alios ſortito electos adhibere debebat, ut ſuperius obſervavi. Ita quoque reos in Inſulas deportare, vel relegare poterat (*b*), quod uni Praetorii Praefecto conceſſum, ceteris autem Iudicibus vetitum erat, ut in *Epiſtola Divi Severi ad Fabium Cilonem Praefectum Vrbis miſſa* conſpicitur, quae in Digeſtis (*c*) memoratur. Denique, ne ſingulis immorer, Vrbis Praefecto omnia poenarum genera pro criminis ratione reis infligere, ſupremamque gladii poteſtatem exercere concedebatur.

Itaque, cum Chriſtiani veluti Deorum immortalium contemptores, violatae Religionis rei, ac interdum etiam veluti publicae tranquillitatis hoſtes inique accuſari, vel ad Praefecti tribunal deferri ſolerent, mirari certe non poſſumus ſi ipſorum cauſſae non ad alium, quam ad Praefectum Vrbi, ſpectarent; ideoque in ſacris Eccleſiae Faſtis, Chriſtianis Scriptoribus, & Martyrum Actis frequenter adeo Praefectorum Vrbis nomen occurrat, quorum imperio, veſano

(*a*) Cod. Theod. l. 13. de appell. (*b*) Vid. pag. 107.
(*c*) Lib. I. tit. 12. l. 20. & Lib. XLVIII. t. 20. l. 6.

ſano furore, atque incredibili feritate inquiſiti, auditi, damnati, miris ſuppliciorum generibus, ac inhumana crudelitate tentati, laniati, interempti ſunt. Nonnullos ex eiuſmodi Praefectis, qui in Martyres ipſos ſaevierunt, ſuis in locis opportune indicabimus, & plurium Actorum ſinceritatem, temere aliquando a nonnullis ſeverioribus Criticis in dubium revocatam ita aſſeremus, ut ipſorum nomen Praefectorum vulgatis Faſtis incognitum Faſtis ipſis inſerendum eſse oſtendamus. Interim tamen opportune monendum quod, licet Martyres illi non Romae, ſed in Vrbibus paſsi fuerint, in quibus aut *Vicarius*, aut *Praeſes* aliquis Vrbis Praefecto ſubiectus imperabat; aliquando tamen Praeſes ille in Martyrum Actis *Praefectus Vrbis* vocatur (*a*), ſive quod Actorum Scriptor in hoc aberraverit, ſive potius quod Praeſes poteſtate ſibi ab Vrbis Praefecto conceſsa uteretur.

Atque iſta quidem breviſsime de Praefectorum Vrbis imperio, poteſtate, ac iurisdictione, quod ad Operis noſtri conſilium ſpectare poterat, dicta ſint. Qui vero plura de graviſsima hac Praefectorum auctoritate, ac praeſertim de pluribus mutationibus, quae variis ſubinde temporibus invectae ſunt, pernoſse velit, inexhauſtos Panciroli, Hotomani, Gothofredi, aliorumque Iuris Conſultorum fontes adire poterit, qui admirabili eruditionis copia de rebus eiuſmodi diſputarunt.

§. VII.

(*a*) Vid. pag. 146.

§. VII.

De praecipuis, ac nobilioribus Vrbani Praefecti muneribus.

Fieri certe non poterat ut Praefectus ille, qui *Vrbis Moderator*, *Tutor*, *Rector*, *Cuſtos*, *Curator* eſse debebat, rite ſanćteque graviſsimo hoc munere perfungi poſset, niſi plurima ipſius arbitrio, poteſtati, iurisdictioni, vel curae commiſsa forent, ex quibus tum privata civium tranquillitas, tum communis etiam civitatis univerſae fauſtitas oriretur. Itaque Praefectis ipſis innumera fere munera committebantur, quae in I. Digeſtorum Libro, Titulo XII. qui *de Officio Praefecti Vrbis* inſcribitur, recenſentur, atque a Gothofredo perſpicue, accurateque memorantur.

Ac initio quidem *Annona Civica*, ea nimirum, quae civibus Romae degentibus eroganda fuerat, ad ipſum ſpectabat, ideoque eius comparandae, convehendae, ſervandaeque munus ipſi committebatur, ne ſcilicet unquam Vrbs ipſa annonae caritate premeretur, ac inde iurgia, querelae, ſeditiones in plebe orirentur, quod ſaepe contigiſse accepimus (*a*). Hinc Annonae Praefectus Vrbani Praefecti imperio, ſive diſpoſitioni ſuberat; ea tamen lege ne Praefectus Vrbis ea de re inconſulto Annonae Praefecto quidpiam decerneret, eiuſque adminiſtri in annonariis neceſsitatibus ſemper miniſtris illis omnia gerenda relinquerent, qui ab Annonae Praefecto ſelecti fuerant. In nonnullis etiam caſibus Vrbani Praefecti iurisdictio cum Annonae Praefecti iurisdictione certare, concurrere,

(*a*) Vid. pag. 225. 226. 262.

rere, vel conflictari conſueverat, qui a Gothofredo recenſentur; ſicuti viciſſim in pluribus aliis Annonae Praefectus Vrbis Praefecto concedere cogebatur.

Ita quoque Vrbis Praefecto peculiari quodam iure conceſſum ſuit ut ipſe cuſtodiendo, dimetiendo, aeſtimandoque tritico cuſtodes, ac menſores eligeret; quemadmodum pondera, ac menſuras omnes auctoritate ſua proponere, probare, ſuoque nomine, certoque charactere ſignare, atque in regiones ſibi ſubiectas mittere conſueverat, ut opportune iam alibi demonſtravi (a). Hinc horrea publica, et quidquid in illis conditum foret Praefecti Vrbis imperio, curae, & auctoritati ſubiiciebatur; cumque ipſorum plurima in Portu Romano reperirentur, quo fruges ex Africa, Aegypto, Sicilia, Apulia, aliiſque locis convehebantur, aliquando Praefectus Vrbis ad Oſtia Tiberina, vel Romanum Portum excurrere cogebatur (b), ut perſpicuis exemplis alibi demonſtrabitur. Piſtores etiam omnes eius imperio, vel auctoritati ſubiiciebantur, atque ex illuſtri Decreto (c) quodam apparet quod ad Vrbis Praefectum ſpectabat pretia Molendinariis, hoc eſt molitoribus praeſtituere; quemadmodum etiam reos ad piſtrinum Vrbis damnatos Praefectus ipſe Piſtoribus tradebat, ne fortaſſe Commentarienſium incuria, vel fraude elabi illi poſſent. Ita quoque Navicularii, qui frugibus importandis addicti forent, ſub Vrbis Praefecti iuriſdictione cenſebantur, ideoque illorum controverſiae a Praefecto dirimebantur; ita tamen ut, ſi de Naviculariorum diametro ageretur, nimirum de iactura, ac detrimento, quod in frumentis ultro citroque tranſferendis incurrebatur, Praefectus ipſe tres *Illuſtres Viros* veluti ſocios adſciſcere cogeretur, ac praeſente quoque Annonae Praefecto ſententiam ferret.

Neque

(a) Pag. 205. & 216. (b) Pag. 225. (c) Pag. 363.

Neque modo frumenti comparati cura, cuſtodia, erogatio ad Praefectum Vrbis ſpectabat, ſed ipſa quoque vini comparandi, conſervandi, erogandique cura Praefecto committebatur, ut ex variis Ammiani teſtimoniis alibi memoratis (*a*) apparet. Ita propemodum perſpicuis Aproniani Praefecti Decretis anno Chr. 363. editis erudimur quod in Vrbe Roma *Suarii* Praefecti Vrbis imperio, & auctoritati ſubiiciebantur; ideoque ſuillae carnis pretia ab illo ſanciebantur; in Campania vero, quamvis illa quoque Vrbani Praefecti iurisdictioni cum ſuburbicariis Provinciis aliis ſubiiceretur, porcinae pretium non a Praefecto, ſed ab ipſo Campaniae Conſulari, vel eius adminiſtris praeſcribebatur.

Quandoquidem vero Romano Populo nihil optabilius, aut iucundius eſſe poterat, quam *panis*, *& Circenſes* (*b*), ſicuti Praefectus Vrbis annonam, uberemque rerum omnium copiam curare debebat, ita quoque Spectaculis Romae rite ſplendideque celebrandis praeſidebat. Hinc in Feſtis ipſis, Ludis, aut Spectaculis, quae in Vrbe ederentur, Praefectus Vrbis in eos omnes ſeverius animadvertebat, qui populi laetitiam, oblectationem, Vrbiſque tranquillitatem perturbarent; de Agitatoribus tamen, qui deliquiſsent, in ipſo certaminis tempore ſupplicium ſumere vetabatur.

Aquaeductuum Vrbis extruendorum, aut reficiendorum curam gerebat; ideoque *Aquarum Curatores* eius imperio ſubiiciebantur, quemadmodum *Corporatos* omnes, & *Decuriales* auctoritate ſua, vel iurisdictione complectebatur, iiſque Vrbis cuſtodiam committebat.

Quin etiam Opera publica, quaecumque illa forent, eius curae commiſſa fuerant, ut vetera ſolum ſarcta tecta ſervaret; ſiquidem nova Opera Praefecti quidem hortatu, conſilio, vigilantia, cura excitaban-

f

(*a*) Pag. 213. (*b*) Iuven. Sat. IV. ver. 81.

bantur; ſed ea tamen ſine Senatus, aut Principis auctoritate fieri, vel adornari non poterant. Hinc frequenter adeo in Romanis Marmoribus reperitur quod aliquis Vrbis Praefectus erigendam ſtatuam, Balneum expurgandum, Baſilicam ornandam *coiravit*, ſive curavit: quemadmodum aliquando Monumentum aliquod Auguſtis, ſed aere tamen ſuo, dedicaſſe conſpicitur; cum de privatis Auguſti pecuniis aliquid inſumere, vel erogare non poſſet, niſi *Comitis Patrimonii Privati* conſenſus, atque auctoritas acceſſiſset.

Ita vero novis Operibus excitandis, ornandiſque ille praeerat, ut Praetores, qui extra Vrbem reperirentur, pecuniam Operibus illis deſtinatam ad Praefectum ipſum dirigerent. Sic ſtrenae, quae ſingulis annis a S. P. Q. R. Auguſtis offerendae fuerant, ad Praefectum Vrbis deferebantur, ut illas ineunte anno Principi offerret; ſicuti viciſſim, ſi Princeps aliquid largitus foret, eique beneficio, vel liberalitati ſe Romae quiſpiam opponeret quod donatae rei dominium ad ſe ſpectare contenderet, eius rei diſquiſitio, & examen ad Praefectum ipſum ſpectabat.

Praefecti vero ius, & auctoritas in Vrbe Roma, & ſuburbicariis etiam Provinciis omnibus longe, lateque diffundebatur; ut initio quidem ſub Auguſto ad 650. ſtadia, octoginta nempe milliaria Italica, extenderetur, & Campaniam ipſam complecteretur; ideoque eius Dioeceſis intra centeſimum ab Vrbe lapidem continebatur, vel, ut obſcurius a Caſſiodorio exprimitur, intra *centeſimam poteſtatem*. Hinc in eiuſmodi Dioeceſi, vel ambitu, ſi de Senatorio capite ageretur, a Provinciarum illarum Iudice ad Praefectum Vrbis referebatur; ac Praetores ipſi, qui electi fuerant, defenſiones, allegationeſque ſuas coram Vrbis Praefecto, & paucis aliis, qui ex Senatorum Ordine ſelecti forent, exponere tenebantur.

Plu-

Plurimae quoque cauſae, quae in Vrbe ipſa apud *Rationalem Vrbis*, ſive etiam apud *Vrbis Vicarium* inſtitutae fuerant, certis quibusdam caſibus ad Praefectum ipſum appellationis iure deferebantur; quemadmodum etiam in Provinciis Vrbanae Praefecturae ſubiectis a quibusdam inferioris ordinis Iudicibus ad ipſum appellabatur. Ita quoque, ſi cauſa quaedam, eiuſque litis aeſtimatio ducentas auri libras non excederet, a *Rationali Rei Privatae* ad Praefectum Vrbis appellari, vel provocari poterat.

Si quae vero Appellatio ex Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis, Piceno, Aemilia, Venetia, ceteriſque Italiae Provinciis ad ipſum fieret, Praefectus ab illa abſtinere debebat; easque cauſſas vel *Conſularibus*, vel *Correctoribus*, earum nempe Provinciarum Praeſidibus, dirimendas relinquere cogebatur.

Plerumque tamen, ac frequentiſſime Liberorum de Parentibus, ac Libertorum de Patronis, ſive viciſſim Parentum de Liberis, ac Patronorum de Libertis querelae ad Vrbis Praefecti tribunal deferebantur: eaque de cauſa Vrbani Praefecti dignitas a Meſſala Corvino *incivilis poteſtas* vocata fuit (*a*): perinde ac ſi coercendis ſolum ſervitiis, ac moleſtis eiuſmodi litibus dirimendis inſtituta illa foret.

Ita nonnullis Tutores, aut Curatores conſtituere ad Praefectum ipſum ſpectabat; ſed ita tamen, ut haec Tutorum, & Curatorum electio in *Decemvirali conſeſſu* fieret; quemadmodum male adminiſtratae tutelae actiones Praefectus recipere, & iudicare debebat.

Succeſſionum quoque, & Teſtamentorum cura Praefecto commiſſa fuit, ſi Romae fierent; quemadmodum Praefectus ipſe publicarum *Evectionum* curam, & poteſtatem gerebat; iiſque Evectionibus pro publica ſolum,

f 2

(*a*) Vid. Pag. 22.

lum, communique cauſa uti poterat; in privatos enim uſus eas diſponere, vel uſurpare vetabatur.

Illud etiam ad Vrbis Praefectum ſpectaſſe video ut, ſi fortaſſe Conſules abeſſent, Kalendis Ianuariis, quibus civilis annus a Conſulibus conſuetis Sacris, ſtatiſque ritibus aperiebatur, haec Sacra non ab alio, quam ab Vrbis Praefecto, fierent. Hinc Lampridius in Elagabali vita obſervavit quod cum ille Conſulatum anno Chr. 219. ſuſcepiſſet, neque tamen Ianuariis Kal. Conſul procedere, & in Capitolium aſcendere voluiſſet, *omnia per Praefectum Vrbanum facta ſunt, quaſi Conſules illic non eſſent*.

Atque iſta quidem de praecipuis, ac nobilioribus Vrbani Praefecti muneribus dicta ſint, quae in Hiſtoricis, aut Scriptoribus aliis frequentius memorantur. Etenim qui plura deſideret, plenioremque eorum munerum cognitionem habere velit, uberrimos Cuiacii, Gothofredi, aliorumque eiuſmodi Iuriſconſultorum fontes adire poterit, qui veterum Legum praeſidio de ſingulis Vrbani Praefecti muneribus diſputarunt.

§. VIII.

De variis Vrbani Praefecti Miniſtris, aut Officialibus.

CUm plurima, eademque prorſus diverſa munera in unum Vrbis Praefectum congeſta forent, ut ſuperiori loco iam vidimus, mirari certe non poſſumus quod plurimi quoque Miniſtri, vel, ut in Romanis Legibus appellantur, *Officiales* Vrbis Praefecto conceſſi fuerint, ut in variis eiuſmodi rebus gerendis illorum opera, conſilio, ac vigilantia uti poſset.

Pria-

Principem fere locum inter Officiales illos *Praefectus Annonae* occupabat, qui interdum etiam in Auguſtorum Legibus *Annonarius Cognitor* appellatur; eiuſque dignitas *Annonaria Poteſtas*, *Annonaria Praefectura*, ſive *Annonariae Praefecturae Poteſtas* vocatur. Hinc ille, & *Spectabilis*, & *Vir Clariſſimus* dicebatur, & *Gravitatis* titulo honeſtari, vel compellari conſueverat. Quamvis autem ille ab Vrbis Praefecto penderet, in pluribus tamen, quae ad Annonam ipſam ſpectabant, parem propemodum cum illo poteſtatem exercebat. Itaque Praefectus Vrbis de Annona ſine Praefecto Annonae diſponere non poterat; *Frumentarii Canonis* Vrbis Romae, & *Annonae Civicae* erogandae cura ad ipſum ſpectabat, ideoque ſtatis quibusdam temporibus ad Oſtia Tiberina, vel Portum Romanum accedebat, ut ibi Frumentarii Canonis rationem inſpiceret; quemadmodum ſingulis annis ab horreorum cuſtodibus, & Frumentarii Canonis ſuſceptoribus una cum Vrbis Vicario rationes exigebat. Ut autem merces omnes in ipſo Portu a fraudibus, rapinis, & iniuriis defenderentur, *Centenarius Portus* eligebatur, qui militibus centum ſtipatus fures arceret, portumque ipſum, ac merces in illo repoſitas tueretur. Denique *Naviculariis*, Officii ſui *Tabulariis*, & *Apparitoribus*, *Piſtoribus*, *Suariis*, *Caudicariis*, *Menſoribus* & ipſe praeerat, ſuaque vigilantia cavebat ne quis iniuſtis contractibus Annonam flagellaret.

Quaecumque vero de Praefecto Annonae Vrbis Romae iam diximus, de Praefectis etiam aliis Annonae intelligi profecto debent, quorum unus in Africa, alter Alexandriae, vel in Aegypto reſidebat, ut fruges in Provinciis illis congeſtas ad Vrbem dirigeret.

Huic Annonae Praefecto proxime adiungebatur *Rationalis Vinorum*, qui *Vinariorum Corpori* praeerat, ideoque

eoque vini copiam, iuſtumque pretium curabat; quemadmodum etiam *Tribunus*, ſive Praefectus *Fori Suarii*, qui porcinae carni coemendae, aeſtimandae, erogandaeque praeerat, ac *Suariorum Corpori* praeſidebat.

Proxime poſt Annonae Praefectum, eidem Vrbis Praefecto *Vigilum Praefectus* ſubiiciebatur; ille nimirum, qui aſſidue, ſed noctu praeſertim, Vrbis cuſtodiae, ſimulque cavendis, reſtinguendiſque incendiis praeerat, accurateque obſervabat ne quid in Vrbe contingeret, quod Civium ſaluti, & tranquillitati obeſſe poſſet; ideoque *Vigiles* ſibi ſubiectos in varias Vrbis regiones diſcurrere compellebat, & quidquid ab iis inventum, vel exploratum foret ad Praefectum Vrbis deferebat. Vt autem haec omnia facilius ab ipſo Vigilum Praefecto praeſtari poſſent, VII. Cohortes ſemper in Vrbe reperiebantur, quibus *Tribuni* totidem praeſidebant, iiſque omnibus Vigilum Praefectus ex Equeſtri Ordine ſelectus, & *Spectabilis* titulo decoratus imperabat.

Eidem Vrbis Praefecto ſuberat etiam *Magiſter Cenſus*, ille nimirum, qui ſingula Civium bona deſcribebat, peregrinos omnes Vrbem ingreſſos, eorum nomina, patriam, conditionem, diverſorium, & cauſam ipſam, qua Romam appulerant, explorabat. Hic ipſe Cenſus Magiſter pecuniam publicos in uſus, ac Spectaculorum Scenicorum pretia impendendam apud ſe depoſitam conſervabat.

Cum vero, ut ſuperiori loco iam vidimus, Aquaeductuum Vrbis cura Vrbano Praefecto commiſſa foret, ipſe quoque *Conſularis Aquarum* ſub eius diſpoſitione, ac imperio cenſebatur. Eiuſmodi vero dignitas, vel *Aquarum Curator* ab Auguſto inſtitutus fuit (*a*); deinde vero Conſtantini Magni aetate, fortaſſe quod Conſularia ornamenta illi conceſſa fuiſſent, *Conſularis Aquarum*

(*a*) Suet. in Aug. c. 37.

Digitized by Google

rum vocari caepit; cumque nova *Comitis Formarum* (*a*) dignitas invecta foret, ſic ipſorum munera dirempta fuerunt, ut *Aquarum Conſulari* Aquae diſtribuendae vel erogandae cura committeretur; ſed *Aquaeductuum*, & Formarum conſervandorum cura ad Comitem illum ſpectaret.

Ad eiuſmodi Aquarum Curatores, Officiales alii accedebant, vel, ut ſequioribus ſeculis appellati ſunt, *Comites Riparum*, *&* *alvei Tiberis* (*b*), *Curator Cloacarum Vrbis*, *Curator Portus*, quorum mentio in Auguſtorum Legibus, ac Marmoribus etiam ſaepius occurrit.

Curatores etiam alii ab ipſo Praefecto Vrbis pendebant, quorum unus *Curator Operum maximorum* dicebatur, quod Circo Maximo, Vrbis Moeniis, Campo Martio, Campo Viminali ſervandis, ſarciendiſque incumberet; alter *Aedificiorum* (*c*), vel *Operum publicorum*, ut Foris, Bibliothecis, Thermis, Baſilicis, Amphitheatris, Naumachiis, Theatris, Curiis, & Arcubus invigilaret; alter *Statuarum* (*d*), ne ſcilicet Statuae publicae deiici, aſportari, violari, vel infringi poſſent; alter denique *Horreorum Galbianorum* cuſtodiae praeeſſet, eorum nempe, quae a Galbio Valentiniani Auguſti Duce circa annum Chriſti 429. extructa fuerant.

Denique, ut in publicis Aedibus, ac in Thermis praeſertim, Balneiſque decor, elegantia, mundities haberetur, Curator alius eligebatur, qui *Tribunus rerum nitentium* appellari conſueverat, quod in Foris, Viis, publiciſque Aedificiis nitorem, ſive munditiem curaret; quemadmodum hoc ipſo munere Aediles Curules apud Romanos olim functos fuiſſe erudimur.

Nobilioribus adminiſtris iſtis alii plures, ſed inferioris ordinis, adiungebantur, qui Praefecti iuſſa exciperent, praeſto ipſi adeſſent, & quidquid ab illo praeſcriptum foret exequerentur, *Lictores* nempe, *Apparitores*, *Primiſcri-*

(*a*) Vid. pag. 111. (*b*) Vid. pag. 59. & 65.
(*c*) Vid. pag. 35. & 266. (*d*) Vid. pag. 165.

Digitized by Google

ſcrinius, qui in Legibus *Vrbanicìani*, vel *Praefectiani Officiales*, & *Vrbicariae Praefecturae Officium* vocantur.

Quamvis autem inter Officiales illos, qui ad Vrbis Praefectum referri, vel ab illo pendere conſueverant, ipſe quoque *Vrbis Romae Vicarius* (*a*) optimo quocumque iure cenſendus, vel referendus videretur, plurimis tamen Auguſtorum Legibus erudimur quod ille *Spectabilis* titulo fruebatur, & peculiarem veluti poteſtatem, iurisdictionem, ac imperium habebat (*b*); ideoque diſtinctum fere Tribunal ſortiebatur, ac interdum etiam ſupremae Praefecti poteſtati minime ſubiiciebatur. Certe Valeria, Picenum, Campaniae pars, aliaeque Provinciae non Vrbis Praefecto, ſed Vrbis Vicario parebant, qui proinde in criminalibus quibuſdam cauſis Appellationes recipere, controverſias dirimere, ac ſententiam ferre conſueverat (*c*). Itaque, cum maxima poteſtas illa in Vrbis Vicario reſideret, non modo *Spectabilis* titulo decorari eiuſque manus *Spectabilis Vicaria poteſtas* appellari ſolebat, verum etiam his verbis in Auguſtorum Legibus compellari *Spectabilis Vicaria poteſtas*, *Spectabilitas tua*, *Gravitas tua*.

Ex Legibus autem illis, quae in Theodoſiano Codice ad eiusmodi *Vrbis Vicarios* diriguntur, ſequentem ipſorum ſeriem Gothofredus accurate contexuit

An. Chr.				
Januarius	320.	*Potitus*	379.	381.
Voluſianus	355.	*Antidius*	382.	
Hymetius	362.	*Hellenius*	386.	
Severus	364.	*Orientius*	390.	
Magnus	367.	*Varus*	398.	
Probus	372.	*Benignus*	399.	400.
Simplicius	373.			

Non-

(*a*) Vid. pag. 279. (*b*) Vid. Caſſiod. Lib. VI. 15.
(*c*) Vid. Leg. 60. de Appell.

Digitized by Google

Nonnullos tamen Vicarios alios, qui mihi ex Scriptoribus affulſere, huic Indiculo adiungendos eſſe variis in locis opportune obſervavi.

Id unum poſtremo obſervare nunc libet, quod quamvis Vicarius ille non aliter, quam *Vicarius Vrbis*, aut *Vicarius Vrbis Romae* appellari ſoleret, aliquando tamen *Pro-Praefecti Vrbis* nomine vocabatur. Hinc Ammianus (a) de Maximino quodam, qui certe Vicarius Vrbis fuit, loquens ait: *Valentinianus Maximino Romae agere diſpoſito Pro-Praefectis, ſociavit ad haec cognoſcenda Leonem*. Itaque, cum Gothofredus in plurium Legum titulo ſcriptum reperiſset P. V. ibique tamen Praefectus Vrbis intelligi non poſset, cum civis ille, cui iis Conſulibus Lex inſcripta fuit, Vrbani Praefecti munere decorari non potuerit, facili, levique mutatione ſcribendum eſse obſervavit PP. V. *Pro-Praefectus Vrbis*, ut nimirum non Praefectus ipſe, ſed eius *Vicarius*, aut *Pro-Praefectus* exprimeretur.

§. IX.

De Praefectorum Vrbis ſerie, quae a Cuſpiniano, & Bucherio edita, vel a Panvinio, & Almelovenio contexta fuit.

MAxima Praefectorum Vrbis dignitas, & frequentiſſima illorum mentio, quae in Romanis Hiſtoricis, Auguſtorum Legibus, Marmoribus, & ſacris etiam Eccleſiae Faſtis occurrit, poſtulare propemodum

g vide-

(1) Vid. pag. 147.

videbatur ut, quemadmodum Conſulum Romanorum nomina perenni quadam Serie in Conſularibus Faſtis diſpoſita memorantur, ita fere accurata quaedam Praefectorum Vrbis Series ad haec uſque tempora perveniret, ideoque vel plenos, vel uberiores ſaltem eiuſmodi Praefectorum Vrbis Faſtos haberemus. Quamvis enim ipſorum nominibus, veluti certis quibusdam temporum characteribus, civiles anni diſtingui non poſſent; ipſorum tamen Series rite contexta Romanae Vrbis Hiſtoriae plurimum lucis afferre poterat, plurimaſque ambages dirimere, quae in explicandis Hiſtoricis, Marmoribus interpretandis, ſacriſque Martyrum Actis illuſtrandis obverſantur.

Ac certe quidem in obſcurioribus etiam Vrbibus, Coloniis, ac Municipiis *Duumvirorum*, aut *Quinquennalium*, eorum nempe, qui in Coloniis ipſis, aut Municipiis ſupremo patriae honore fruerentur, Seriem contexi, publiceque conſervari conſueviſſe, pluribus, nec obſcuris indiciis erudimur: quod facile de *Fratrum Arvalium* Collegio, aliiſque id genus Corporibus oſtendi poſſet. Eiuſmodi Faſtorum Municipalium Fragmentum apud Appianum (*a*) conſpicitur, in quo ſingulis annis *Aediles*, *Quaeſtores*, *Duumviri* nominantur ut Panvinius (*b*) optime obſervavit. Quod, ſi cetera quoque indicia, vel argumenta deeſſent, unus ille praeclarus Auſonii locus, quem ipſe omnium primus peculiari quadam Diſſertatione expoſui, atque ab errore contra doctiſſimorum hominum ſententiam vindicavi, manifeſtiſſime oſtenderet Burdigalae, ideoque facile in ceteris etiam Municipiis, eiuſmodi *Quinquennalium* Seriem contextam, ac poſterorum memoriae commendatam fuiſſe. Oſtendi nimirum Burdigalenſium *Conſulum* Seriem ab Auſonio contextam, atque cum Conſularibus Romano-rum

(*a*) Pag. 315. (*b*) In Praef. Faſt. & pag. 31.

rum Faſtis commiſſam fuiſſe: quod ab illo praeſtari certe non poterat, niſi antiquiores aliae Burdigalenſium Conſulum Series olim confectae, atque ab Auſonio exſcriptae fuiſſent.

Itaque vix ullus, opinor, ambigendi locus eſſe poterit quin Romae quoque *in Scriniis Praefecturae Vrbanae*, quae a Vopiſco (a) memorantur, integra Praefectorum Vrbis Series haberetur, ex qua, veluti fonte, a privatis etiam civibus Series aliae derivatae forent. Id ego facile, certoque deduci poſſe putaverim ex aureolo Praefectorum Vrbis Indiculo, quem Ioannes Cuſpinianus invenit, omniumque primus edidit. Siquidem in illo ſinguli Praefecti Vrbis ab anno Chr. 254. ad annum uſque 354. ita recenſentur, ut initio quidem Conſulum Romanorum nomina exprimantur, deinde vero Praefectus ille indicetur, qui iis Conſulibus Vrbi praefuit, tempus etiam, ac dies, quo Praefectus munus illud ſuſcepit, ac depoſuit. Eiuſmodi vero Laterculus, qui ad haec uſque tempora feliciter pervenit, non integrum ſane Opus aliquod, ſed maioris potius integrique Operis fragmentum, cenſeri debet, in quo eodem prorſus ordine, ac methodo Praefecti ceteri recenſerentur: quod argumento ſane eſſe debet integros Praefectorum Faſtos olim extitiſſe.

Vbi vero ſublimis illa Praefectorum dignitas in Vrbe Roma languere caepit, atque Italia miſerrime diſcerpta barbaris Gentibus parere, imperii ſede carere, Exarchis, noviſque Magiſtratibus ſubeſſe debuit, mirari certe non poſſumus ſi Vrbani Praefecti memoria, ac ipſa quoque Praefectorum nomina, ac Faſti ſenſim ex hominum manibus excidere, obliterari, penituſque ignorari caeperint; ut proinde paucorum nomina, quae temporis edacitatem, ac veluti naufragium evaſerint, veluti diſ-

 iecta

(a) Vid. pag. 137.

iecta quaedam magnae molis rudera clariſſimorum hominum ſtudio colligenda, ſuiſque locis reſtituenda fuerint(a).

Itaque hoc etiam nomine de Chronologia, ac Hiſtoria praeclare meruit Cuſpinianus, qui ſuis in Caſſiodorii Chronicum Commentariis veterem Praefectorum Indiculum a ſe repertum inſeruit; quemadmodum etiam Aegidius Bucherius Commentario ſuo ad Paſchalem Canonem Victorii Aquitani Indiculum illum ab Anonymo confectum edidit, iiſque ducibus a Graevio in Romanarum Antiquitatum Theſauro, Tomo XI. & a Gothofredo in Theodoſiani Codicis limine vulgatus fuit.

Quandoquidem vero Panvinius de univerſa Romana hiſtoria, & Antiquitate immortaliter meritus quidquid ad temporum ſeriem, vel Magiſtratuum Romanorum Faſtos a Iulio Caeſare Dictatore ad Iuſtinianum Auguſtum ſpectare poterat, in unum veluti corpus compingendum ſuſcepit, in ipſis Conſulum Faſtis, quos anno 1588. edidit, etiam Praefectos Vrbis, qui ſibi tum ex veteri Laterculo, tum ex Scriptoribus, tum ex Legum titulis, tum ex Marmoribus etiam affulſerant, memoravit.

Panvinii conſilium, & exemplum ſuperiori Seculo ſed longe tamen ſubtilius, & accuratius implere ſtuduit Theodorus Ianſon Almelovenius. Quum enim Conſulum Faſtos pleniores, quam hactenus prodiiſſent, contexendos, emendandos, ac illuſtrandos ſuſcepiſſet, ipſa quoque Praefectorum Vrbis nomina Faſtis ipſis adiecit; cum praeſertim ſaepiſſime idem ille, qui aliquando Conſul proceſſerat, Vrbanae quoque Praefecturae honore decoratus occurrat.

Nec alia ſane de cauſſa de Praefectis ipſis plurima ſubtiliter, accurate, atque erudite a Noriſio, Pagio,

(a) Vdi Panvin. Praef. Faſt. & Comment. Lib. II. pag. 261.

gio, ac Relando ſcripta conſpicimus, niſi quod ipſi, cum de Conſulum Faſtis emendandis, clariorique luce illuſtrandis cogitaſſent, ubi cives aliquos offendiſſent, qui non modo Conſulis, ſed etiam Praefecti munere perfuncti fuerant, de utraque dignitate, veroque utriuſque tempore accuratiſſime diſputarunt, ut in hac ipſa Praefectorum Serie a me contexta plurimis in locis obſervari facile poterit ubi Noriſii, Pagii, Relandi ſententia proferetur.

§. X.

De Praefectorum nominibus, atque temporibus, quae a Gothofredo, & Tillemontio illuſtrantur.

QVantum veteribus Praefectorum Faſtis vel recenſendis, vel emendandis, vel illuſtrandis Panvinius, Pagius, Noriſius, Relandus, aliique plures contulerint, ſatis, opinor, ex iis intelligi poterit, quae ſuperiori loco iam diximus. Ingenue tamen, vereque fatendum erit neminem prorſus uberiorem lucem obſcuris adeo rebus attuliſſe, quam Iacobum Gothofredum; ſive incredibilem ipſius diligentiam, ſive eximiam Romanae hiſtoriae cognitionem, ſive denique maximam, atque admirabilem prorſus in Auguſtorum Legibus conferendis, extricandis, emendandis ſolertiam, & herculeum plane laborem inſpexeris.

Ille nimirum, cum innumeras fere Leges in Theodoſiano Codice recenſitas exponere, ac illuſtrare cuperet, non modo Legum ipſarum vim, & ſenſum, edendae legis cauſam, aliaque id genus innumera ſubtiliter, & accura-

accuratiſſime exploravit; verum etiam Conſulum nomina, quae veluti certi temporum characteres Legibus ipſis appicta ſunt, Auguſtorum nomina, quae Legibus praefiguntur, Vrbes etiam, & loca, in quibus Leges editae, vel propoſitae ſunt, praeſertim vero eorum omnium nomina, ac dignitates expoſuit, ad quos eiuſmodi Leges ab Auguſtis directae fuerant. Admirabilis huius laboris praeſidio, in aureo prorſus, atque immortali Opere, quod anno 1665 poſt Auctoris mortem lucem adſpexit, Leges omnes ad annum illum feliciter revocavit, quo vere prodierant, loca ſingula definivit, in quibus Auguſti morabantur, ac Leges ipſas edidere, & Theodoſiani Codicis *Proſopographiam* contexuit, in qua Magiſtratus omnes numero circiter 750. alphabetica ſerie diſpoſuit, quibus Leges ipſae inſcriptae fuerunt. Itaque, cum ab anno Chr. 312. ad annum uſque 438. plurimae Leges ad Vrbis Romae Praefectos directae ſint, de ſingulis Praefectis illis Gothofredus accuratiſſime diſſeruit, ac errores innumeros, qui in ipſorum nomina irrepſerant, diligentiſſime emendavit, eorumque aetatem vel Legum aliarum praeſidio, vel Scriptorum teſtimonio mirifice confirmavit.

Atque utinam quidem univerſa prorſus Praefectorum Vrbis nomina, qui iis temporibus floruerunt, in ipſis Legibus affulſiſſent! Ita nimirum partim ex Anonymi Indiculo, partim ex Legum titulis per duo fere ſecula integram, et accuratam illorum notitiam haberemus. At in iis Legum titulis quorumdam ſolum Praefectorum nomina memorantur, quorum pleraque aut ab Anonymo, aut ab aliis Scriptoribus indicati jam fuerant, ut ſuis in locis opportune oſtendetur.

Quemadmodum vero admirabilem Cl. Gothofredi diligentiam ubique fere tum in ſacra Eccleſiae, tum in profana quoque Imperatorum Hiſtoria illuſtranda aemula-

mulatus eſt Tillemontius, ita quoque in recenſendis iis, qui ſingulis annis Vrbi praefuerint, Gothofredo plerumque duce, plurimos Vrbis Praefectos in Legibus memoratos accurate complectitur; quamvis alicubi Tillemontius ipſe a Gothofredi calculis, ac opinione recedat. Ita quoque Tillemontius primis Eccleſiae ſeculis, ante ea nimirum tempora, a quibus Gothofredus ipſe exorditur, plurimos Vrbis Praefectos enumerat, qui Ethnicorum Caeſarum aetate floruere; quemadmodum etiam plures, qui poſt annum Chr. 438., hoc eſt poſt Theodoſiani Codicis editionem, eo munere perfuncti ſunt.

Itaque, cum duo Scriptores illi ceteros omnes induſtria, ſolertia, miroque ingenii acumine excellere merito cenſeantur, ipſorum auctoritati, iudicioque graviſſimo plurimum detuli; ideoque ex ipſorum fontibus plurima a me hauſta, atque in hanc Seriem a me contextam derivata fuiſſe ingenue agnoſco, publiceque profiteor: quemadmodum etiam ſuis in locis Valeſium Ammiani interpretem, ceteroſque non ſine honeſto quodam grati animi ſenſu laudavi, ex quibus aliqua vel confirmandis Praefectorum nominibus, vel Scriptoribus opportune illuſtrandis ſubinde decerpſerim.

§. XI.

De Praefectorum Vrbis ſerie a Cantelorio omnium poſtremo adornata.

Qvum Vrbanus VIII. Pont. Max. Barberinam gentem, ex qua Florentiae prodierat, novis in dies dignitatibus, ac honorum titulis cohoneſtare cuperet, Vrbis Praefecturam, vel Vrbis Praefecti nomen, quod recens

recens una cum Franciſco M. Roboreo Vrbinatum Duce extinctum fuerat, Thaddaeo Barberino fratris filio Praeneſtis Principi, ac Eretanorum Duci 4. Idus Maias anno 1631. conceſſit; ipſumque iis iuribus, titulis, ac inſignibus exornavit, quae iam a quadringentis annis Vrbis Praefectus in Romana Curia obtinuerat. Vt autem novo huic Praefecto illuſtrem hanc dignitatem gratularetur Felix Contelorius Patricius Romanus ac Protonotarius Apoſtolicus, qui iampridem ſcriptis aliis ingenii, doctrinaeque ſuae ſpecimen Eruditis Viris exhibuerat, occaſionem arripuit, ut Panvinii veſtigiis inſiſtens eodem ipſo anno 1631. novam Praefectorum Vrbis Seriem contexeret, in qua non modo veteres a Panvinio memoratos, ſed eos etiam omnes recenſeret, qui ab anno Chr. 1000. ad annum uſque 1631. eo titulo, vel honore perfuncti fuerant; praeſertim vero ritus omnes, ac caeremonias exponeret, quibus Praefectus ipſe in ſacris, profaniſque conſeſſibus Romae honorari conſueverat.

Ac dubitari certe non poterit quin Auctor ille hanc poſtremam Operis ſui partem maxima diligentia pertractaverit, cum pleraque omnia ad ritus illos ſpectantia ex plurimis, accuratiſque eorum temporum Scriptoribus delibaverit. Quod ſi Contelorii aetate innumera prorſus Diplomata, hiſtoriae, veteriſque aevi monumenta prodiiſſent, quae noſtra hac aetate ex Archivorum tenebris eruta, publicoque litteratorum hominum bono iampridem edita ſunt, plurima quoque Praefectorum nomina a Contelorio conquiſita, et expoſita forent, qui ſequioribus ſeculis eo munere perfuncti ſunt. Itaque Cl. Viro maxima hac in parte laus concedi merito debet, nihilque eſt ſane cur reprehendi ille poſſit quod cetera Praefectorum nomina ignoraverit, quae eius aetate adhuc ſepulta, ceteriſque omnibus ignota fuere.

Quod

Quod tamen ad alteram, ad principem ſane utiliorem nobilioremque Operis partem, veterum nempe Praefectorum Vrbis Seriem attinet, video doctiſſimos, ac modeſtiſſimos etiam Viros plurima in eius opere deſiderare. Certe Cl. Gorius, cum Praefectos aliquot in Marmoribus offendiſſet, quos in Contelorii Serie fruſtra requiras, Seriem illam auctiorem aliquando ſe daturum promiſit (a); eamdemque ſpem alio in loco (b) excitavit: verum, cum gravioribus ſtudiis aliis ſe diſtineri intelligeret, *ab alio anteverti cupiit & praeoccupari*. Hagembuchius (c) vero acerbior fortaſſe Muratorii aliorumque cenſor ait, *Vix imperfectius quicquam prodiiſſe, quam Felicis Contelorii de Praefectis Vrbi Librum non feliciſſimum in confeſſo eſt*.

Mitius tamen cum honeſto, praeſtantique Viro agendum fuiſſe putaverim, fruſtraque in illo exoptandum. quod ab eius conſilio, vel inſtituto alienum eſſe Auctor ipſe iam dixerat. Etenim ſi Praefectorum nomina alieno prorſus loco ſaepiſſime collocata, ideoque perperam ad V. C., vel Chriſti annos revocata fuiſſe dixeris, Contelorius ipſe iam monuerat ſe *uſum Panvinio, & Anonymo*, ideoque ſemper eorum veſtigiis inſtitiſſe quos proinde veluti vades exhibet, *quorum*, inquit *Chronologias ſecutus laborandum minime duxi, ut caſtigatiores a me homine aliis rebus occupato prodirent, quam ab illis otio fruentibus editae ſint*. Si Vrbis Romae Praefectos cum pluribus Conſtantinopolitanae Vrbis Praefectis temere permixtos eſſe reponas, Contelorius ipſe, cum obſervaſſet Honoratum Galliarum Praetorio Praefectum omnium primum Conſtantinopolis Vrbis Praefectum electum eſſe, mox ſubdit, *ſi Lector poſthac inveniet aliquem, qui non ſit Vrbis Romanae Praefectus, rogo ut deleat*; idque profecto facile fi-

 eri

(a) Inſcr. Etr. Tom. I. pag. 387. (b) Tom. III. 46.
(c) Diptych. Brix. pag. 123.

Digitized by Google

eri poteſt, cum Praefecti Conſtantinopolis ab Vrbis Romae Praefectis perſpicuo, certoque diſcrimine repente diſtingui poſſint. Si cui fortaſſe conſtet quod Praefectorum memoratos Contelorius plurimos in Legum titulo veluti incertae aetatis non ſuis in locis collocaverit, ſed illos omnes in operis calcem coniecerit, aut confuſe recenſuerit, quamvis ex editae Legis tempore ſingulorum aetas facili negotio cognoſci poſſet, Contelorius ipſe iam ingenue profeſſus erat ſe Praefectorum Seriem non ex Legibus, ſed ex Panvinio, et Anonymo adornaſſe.

Nec alia ſane de cauſſa Contelorius ipſe plures etiam Praefectos omiſit, quos ego facile ex Livio, Dione, Dionyſio, ceteriſque Romanae Hiſtoriae Scriptoribus exſculpſi, niſi quod illi iam a Panvinio quoque ignorati vel indicti fuerunt; quemadmodum viciſſim alios in Seriem a ſe contextam recepit, quod illi temere a Scriptoribus aliis Praefecti nomine decorati fuiſſent.

Atque iſta quidem breviſſime, & ea, qua decet, humanitate dicta a me ſint, ut oſtendatur quod Contelorius promiſſi memor ea praeſtitit, quae ſe facturum ſpoponderat; ut ſi proinde in eius Opere raptim conſcripto accuratior diligentia, maior Hiſtoriae, Marmorum, ac eruditae Antiquitatis cognitio ubique merito deſideretur, omnes tamen intelligant id in Auctore hic optari, quod Auctor ipſe ab inſtituto, conſilioque ſuo alienum eſſe putaverat. Quod ſi fortaſſe quiſpiam optimo, maximoque iure reponat conſilium ipſum ab Auctore ſuſceptum reprehendi oportere, is arbitrio ſuo utatur per me licet. Etenim mihi illud unum cordi eſſe debuit ut omnibus ingenii viribus eniterer quibus haec Sparta, quae ornanda mihi contigerat, meliori quo poterat, ſplendidiorique cultu prodiret; non vero ut errores ab iis, qui mihi praeluxerant, admiſſos liberius indicarem.

Quando-

Quandoquidem vero ſuſcepti argumenti ratio, ac veritatis amor omnino poſtulat ut a Contelorii, aliorumque doctiſſimorum hominum opinione pluribus ſubinde in locis diffideam, id ingenue, modeſteque a me fiet; & quemadmodum Contelorius ipſe, ſi viveret, eaque Marmorum, ac veterum Monimentorum copia uti poſſet, quae mihi obverſatur, plurima nunc adderet, alia deleret, ac univerſa accuratius retexeret, ſic ego quoque Gothofredo praeſertim, Tillemontio, aliiſque pluribus ſplendidam mihi facem praeferentibus hanc novam uberioremque Praefectorum Seriem ea methodo adornandam ſuſcepi, quae proximo, poſtremoque loco mox indicabitur.

§. XII.

De methodo, qua haec nova Praefectorum Vrbis Series a me contexitur, ac illuſtratur.

AGe vero, cum iam praeclara tot illuſtrium Virorum merita in inquirendis unaque recenſendis Praefectorum Vrbis nominibus, eorumque Serie vel contexenda vel emendanda ſuperioribus locis expoſita a me fuerint, poſtremo tandem hoc loco haec mihi venia concedatur, ut quidquid in hoc illuſtri argumenti genere ego quoque praeſtiterim, quove conſilio vel methodo hanc novam Praefectorum Seriem adornandam ſuſceperim paucis omnino complectar; ac univerſi demum Operis conſpectum aequis, humaniſque Lectoribus in ipſo veluti limine proponam.

Ac initio quidem monuiſſe iuverit quod eiusmodi Praefectorum Seriem non iis profecto finibus circumſcribendam putavi, quibus Panvinii, Almelovenii, Gothofredi, Tillemontii, Contelorii Series continetur. Siquidem Panvinius & Almelovenius certis tantum quibusdam temporum finibus, ut antea dixi, Praefectorum Vrbis nomina complectuntur; Tillemontius autem Imperatorum, & Eccleſiae Hiſtoriam deſcribens ab Auguſti Caeſaris initio exorſus ad ſextum uſque Eccleſiae Saeculum, in quo immortale eius Opus, auroque contra aeſtimandum definit, Praefectorum Vrbis nomina, & Seriem deducit, ut Gothofredus ab anno Chr. 312. ad annum 438., quandiu nempe Leges in Theodoſiano Codice reperiuntur; ideoque ab illorum ſingulis Praefectorum Series veluti alterius maioriſque Operis pars ipſorum operibus inſerta fuit. Contelorius vero, qui Seriem illam veluti peculiare quoddam, & diſtinctum Opus ſuſceperat, ab ipſa Romanae Vrbis origine ad annum uſque a Chriſto nato 1631. Praefectos omnes a ſe inventos memoravit.

Mihi vero mediam veluti viam inſiſtendam eſſe putavi, ut ab ipſa quidem Praefecturae origine exordirer, ſed ineunte tamen VII. Eccleſiae Saeculo Seriem illa abrumperem, ideoque eos ſolum Vrbis Praefectos in poſtrema operis parte complecterer, qui primis ſex Eccleſiae Saeculis floruerunt. Quis enim poſteriora, vel barbara illa tempora ſubtilius inquirat, quibus, extincta fere Vrbanae Praefecturae gloria, ſplendore, ac dignitate, nonniſi tenue nomen, ac leviſſima ſolum antiquae Maieſtatis umbra ſuperfuerat? Quod ſi ipſis etiam Boëthii temporibus, qui exeunte fere quinto Eccleſiae Saeculo Conſulatum, & Praefecturam Vrbis ſuſcepit, ſic Vrbani Praefecti dignitas iam defecerat, ut ille dixerit (a) *Praefectura magna*

(a) De Conſol. Lib. III. proſ. 4.

Digitized by Google

magna olim poteſtas, nunc inane nomen eſt, & Senatorii Cenſus gravis ſarcina.... ſi quis quondam populi curaſſet Annonam, magnus babebatur, nunc ea Praefectura quid abiectius? Quid de ferreis illis, obſcuriſque temporibus mox conſequutis dicendum erit, quibus inanis fere, nuduſque titulus Vrbis Praefecto relictus erat?

Accedit etiam quod barbaris illis temporibus rariſsima ſolum eiusmodi Praefectorum, quicumque demum ii fuerint, mentio reperitur; ut proinde illorum nomina in exeſis ſolum obſcuriſque membranis inquiri debeant. Certe VII. ſimulque VIII. Eccleſiae Saeculo nullus omnino Praefectus Vrbis occurrit, qui Faſtis inſcribi poſsit. Contelorius quidem ad annum circiter a Chriſto nato 774. ab Anaſtaſio Bibliothecario Dominicum quemdam in Adriani I. Vita memoratum eſſe putavit, quod Theodata quaedam *Dominici Praefectorii*, hoc eſt Praefectura functi, vidua dicatur. Sed quis Contelorio indicavit num Dominicus ille, vel *Vrbi*, vel *Praetorio* praefuerit, cum Digeſtorum (*a*) locus ab illo citatus *Praefectorii* nomine alterutrum prorſus ex Praefectis illis deſignet? Ita ad annum Chriſti 800. Conſtantinum quemdam Vrbi praefuiſſe ille memorat, ſed ex ſolis Sanſovini fontibus id hauſiſſe ſe dicit, eiuſque hiſtoriolae vadem ſe exhibere non audet.

Sed quamvis etiam uberior, ac frequentior eiuſmodi Praefectorum mentio reperiretur, quid nam praeſidii, vel lucis, aut in ſacra, aut in profana hiſtoria ſperari inde poſſet; cum tamen uberrima profecto lux ex veterum Praefectorum Serie in hiſtoriam omnem latiſsime diffundatur? Certe ex Praefectorum Vrbis nominibus, eorumque aetate rite conſtituta plurima tum explicandis Marmoribus, tum Legibus exponendis, tum Sacris etiam Eccleſiae Faſtis, Mar-

tyrum-

(*a*) Leg. 1. Dig. de Decur. Vid. Lib. XII. tit. 12. leg. 12. de Legat.

Digitized by Google

tyrumque Actis qua aſſerendis, qua illuſtrandis oriri ſolet, ut exemplis innumeris erudimur. Quid vero ex paucis illis diſiectiſque Praefectorum nominibus ſperari unquam poterit, qui iis temporibus umbratilem ſolum dignitatem geſſere, quibus neque Leges ab Auguſtis editae, neque Marmora exarata, neque Martyrum Acta memoriae conſignata Eruditorum oculis obverſantur? Itaque, ut ingens illa utilitas, quae ex Praefectorum Faſtis oriri poterat, obtineatur, eorum Series circa VII. Eccleſiae Saeculum abrumpenda fuerat, cum praeſertim anno Chriſti 800. Carolus Magnus Francorum Rex *Patricii* dignitatem, ſimulque Occidentis Imperium Romae obtinuerit; ideoque ſublimis illa Vrbani Praefecti dignitas, atque poteſtas aboleri, vel extingui debuerit.

Ita vero Praefectos ipſos ab anno V. C. 4. ad annum uſque a Chriſto nato 600. recenſui, ut eorum ſingulos ad annum ipſum revocaverim, quo Praefecti munere perfuncti illi fuerint; atque ubi certus annus definiri, vel adſcribi non poterat, annum indicavi *circa* quem Vrbi praefuerint. Ceteros tamen, quorum aetas omnino obſcura, ac incerta videbatur, in Operis fine, coronidis inſtar ſubieci, eo tamen diſcrimine, ut iis, qui Ethnicae ſuperſtitioni addicti, ideoque facile antiquiores videbantur, priorem locum conceſſerim; ceteris autem Praefectis in quibus nullus Ethniciſmi character occurrit, poſteriorem.

Nihil eſt autem cur in exponenda methodo diutius immorer, qua in definiendo Praefectorum ſingulorum nomine, familia, atque aetate uti libuit. Etenim qui in ipſorum aliquem oculos perhumaniter coniecerit, facile intelliget, ubique fere varia Scriptorum, ac Marmorum teſtimonia proferri, quibus haec omnia vel perſpicue demonſtrentur, vel certe probabilibus ſaltem indiciis ſuadeantur.

Quando-

Digitized by Google

Quandoquidem vero haec nuda Praefectorum Series pleriſque inſuavis, ac ieiuna videri facile poterat, ut ſplendor aliquis, ornatus, maiorque utilitas adiungeretur, varia ſubinde tum corrigendis Marmoribus, tum Scriptoribus illuſtrandis, tum refellendis etiam Interpretum erroribus opportune adſperſi; idque potiſsimum in Praefectis illis faciendum putavi, quî in Sacris, ac ſaepiſsime depravatis, Martyrum Actis memorantur.

Vt autem ſuus cuique honos, ac inventi gloria conſtare poſſet, nihilque mihi ambitioſius tribuerem, quod ab aliis praeoccupatum foret, iis ſolum Praefectorum nominibus crucem, vel aſteriſcum praefixum volui, qui in Contelorii Serie prorſus incogniti, vel omiſſi fuerant. Nec ullus dubito quin a me quoque alii fortaſſe omiſſi fuerint, cum, ut optime dicebat Auſonius (a), in hoc argumenti genere *alius alio plura, nemo omnia invenire poſſit*: idque facilius contingere profecto debet, ſi Marmor aliquod ex terrae viſceribus erutum in apricum, ac lucem proferatur, cui novum Praefecti alicuius nomen inſcriptum affulgeat; ideoque uberior, & accuratior Praefectorum Series ſit aliquando proditura. Interim vero ingenue fateri iuverit quod in hac ipſa nonnulla Praefectorum nomina aliquando offendentur, quae fortaſſe potius expungi, vel omitti, quam recenſeri poterant, quippe quae non perſpicuis, certiſque, ſed obſcuris potius, dubiiſque teſtimoniis innitantur. Malui tamen haec ipſa quoque nomina fere ſubdubitans, mihique ipſe diffidens aliorum inſtar Faſtis inſerere, & ambigendi cauſſas ingenue profiteri; ut Lector ipſe facilius decernere ſubinde poſſit, an civis ille ex accurata Praefectorum Vrbis Serie prorſus expungi, alioque honore, vel

(a) In gry. de Ternar.


Digitized by Google

re, vel titulo ornari debeat, ut nonnullis in locis benevolus humanuſque Lector praeſtare poterit.

Nihil eſt autem cur ſupremo tandem hoc loco quidpiam commemorem de nitore, elegantia, vel accuratione, quam in edenda hac nova, uberiorique Praefectorum Serie exoptavi. Id unum obiter indicaſſe iuverit quod in Marmoribus exſcribendis diligentiam omnem adhibui, ut characteres omnes, & verba, errores etiam exprimerentur, quae in iis apud Gruterum, alioſque Collectores occurrunt. Itaque ſi in iis laciniae, vel lacunae fortaſſe forent, eas punctis appoſitis indicavi: quod ſi verſus aliqui in Marmore quidem reperiuntur, ſed ii tamen veluti conſilio, operique noſtro inutiles omittendi fuerant, ipſorum loco aſteriſcos ſubſtitui, ut oſtenderem verſus illos in Marmore quidem exaratos, ſed a me ſolum omiſſos vel reſectos fuiſſe, cum definiendo Vrbani Praefecti nomini, aetati, vel familiae nihil propemodum conferre poſſent.

Romu-

Digitized by Google



Romulius Denter

Anno Vrbis Conditae 4. *ante Chr.* 750.

PRaefectorum Vrbis Seriem, quam ex veteribus monimentis omnibus contexendam ſuſcepimus, ab ipſa fere Romanae Vrbis origine in Romulio Dentre exordimur. Huius Praefecti nomen, aetatem, ſimulque cauſam, qua graviſſimum, ac illuſtre Vrbanae Praefecturae munus a Romulo Rege inſtitutum, proximiſque Romanorum Regibus conſervatum fuit, obiter ille quidem, ſed perſpicue tamen accurateque, Tacitus expreſſit, cuius integrum locum ſubieciſſe nunc iuverit, ut ipſius praeſidio Romulii Dentris, aliorumque antiquiorum Vrbis Praefectorum nomina, atque aetas, quae alioquin incognita, vel obſcuriſſima forent, oſtendi poſſint.

Digitized by Google

Itaque Tacitus (1) de L. Piſonis funere loquens, qui Tiberii Caeſaris aetate Vrbi praefuit, haec ait: *Antea profectis domo Regibus, ac mox Magiſtratibus, ne Vrbs ſine imperio foret, in tempus eligebatur qui ius redderet, ac ſubitis mederetur; ferturque a Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos, dein Conſules mandabant: duratque ſimulacrum quotiens ob Ferias Latinas praeficitur qui Conſulare munus uſurpet. Ceterum Auguſtus bellis civilibus Cilnium Maecenatem Equeſtris Ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam praepoſuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, ſumpſit a Conſularibus, qui coerceret ſervitia, & quod civium audacia turbidum, niſi vim metuat; primuſque Meſſala Corvinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit. Dein Piſo viginti per annos pariter probatus publico funere ex decreto Senatus celebratus eſt.*

Plurima, quae in hoc pulcherrimo Taciti loco vel corrigenda, vel illuſtranda fuerint, iis in locis opportune proferentur, in quibus de Praefectis illis agendum erit, qui hic a Tacito memorantur. Illud unum hic obiter obſervari velim quod, quamvis a Tacito Praefectus iſte *Denter Romulius* vocetur, non plurimum fortaſſe ego fallar, ſi potius *Romulium Dentrem* vocandum eſſe putaverim. Etenim, cum a Livio (2) ſemel iterumque *M. Livius Denter* nominetur, qui anno V. C. 451. Conſul fuit, & anno 453. primus e plebe Pontifex electus eſt, perſpicue apparet quod *Dentris* voce non praenomen, ſed agnomen aliquod, exprimebatur, quod et *Liviae*, & *Romuliae* familiae commune fuerit. Itaque, ſicuti Tacitus *Taurum Statilium* vocavit, qui vere *Statilius*

(1) Annal. Lib. VI. c. 11. (2) Lib. X. c. 1. & 9.

Digitized by Google

tilius Taurus vocandus erat, idemque mos in pluribus exemplis aliis occurrit, ita quoque Tacitus ipſe *Dentrem Romulium* appellavit, qui *Romulius Denter* vocandus erat; quemadmodum optime Scaliger (1) ipſe obſervavit quod in Romanis Scriptoribus nominum, & cognominum ſedes ſic aliquando mutantur, ut modo nomen, modo cognomen priorem locum obtineat. Nihil eſt autem cur aut Taciti, aut Livii textus temere ſollicitetur, ideoque vel *Livius* in Tacito, vel *Romulius* in Livio reſcribatur, quod Urſinus tamen, ac Muretus exiſtimarunt; cum unum idemque *Dentris* nomen tum Liviae, tum Romuliae genti commune eſſe potuerit, ac M. Livius Denter quadringentis ſaltem annis poſt Romulii Dentris aetatem floruerit.

Ceterum ex ſuperioribus Taciti verbis apparet Dentrem Romulium eo tempore Vrbanae Praefecturae munere decoratum fuiſſe, quo Romulus *domo profectus* bellum finitimis Populis inferre caepit. Itaque, cum Romulus ipſe repente poſt Sabinarum raptum, ideoque anno V. C. 4. Antemnatibus, Caeninenſibus, & Cruſtuminis bellum intulerit, Vrbanae Praefecturae initium ad annum illum revocandum erit; quemadmodum perſpicuo Euſebii teſtimonio erudimur quod anno V. C. 1113. ſive Chriſti 360. *Honoratus ex Praefecto Praetorii Galliarum primus Conſtantinopoli Praefectus Vrbis factus eſt*, ut accuratius ad annum illum obſervabitur. Interim vero monendum quod Cl. Contelorius hic fallitur, cum ipſam quoque *Dentris Romulii* Praefecturam in Euſebii Chronico memoratam aſſerit, cum tamen illa nonniſi ſuperiori Tacito teſtimonio breviſſime demonſtretur.

A 2 Numa

(1) De cauſ. Lin. Lat. c. 92.

Digitized by Google

Numa Marcius.

An. V. C. 84. *ante Chr.* 670.

TAciti verba, quibus Praefecti huius nomen, atque aetas indicatur, ſuperiori loco iam protuli. Quandoquidem vero Plutarchus (1) aſſerit quod M. Marcius Sabinus Numae Pompilio auctor fuit ut oblatum Romanorum regnum ſuſciperet, ac deinde cum Numa ipſo ex Sabinis Romam migravit, optime coniecit Sigonius (2) hunc Numam Marcium a Tacito memoratum eius *M. Marcii filium* fuiſſe, ideoque Numam Marcium a Livio vocari quum ait (3) quod Rex Numa *Pontificem Numam Marcium M. filium ex Patribus legit*. Neque modo maximam Pontificis dignitatem, ſacrorumque curam, ſed Pompiliam quoque filiam ſuam huic Marcio coniugem Rex Numa conceſſit, ex qua Ancum Marcium IV. Romanorum regem ſuſcepit, qui proinde a Livio (4) *Numae Pompilii regis nepos filia ortus* appellatur.

Itaque plane non video cur ſuperiorem Taciti locum Mercerus (5) ſollicitaverit, ibique non *Numam Marcium*, ſed *Numae N. Marcium* legendum eſſe putaverit: perinde ac ſi Vrbanae Praefecturae dignitas non Numae Marcio Anci regis patri, ſed ipſi Anco Marcio Numae regis nepoti ab Tullo Hoſtilio, qui Numae in regno ſucceſſerat, conceſſa fuerit. Id ex ſolo veterum Scriptorum ſilentio deduxit Mercerus, quum nullus profecto Anci Marcii patrem Vrbanae Praefecturae munere decoratum eſſe indicaverit, ac Livius aperte dixerit Ancum *ſola Numae regis imagine nobilitatum* fuiſſe, quemadmodum Seneca perſpicue diſerteque teſta-

(1) In Numa. (2) Com. in Liv. (3) Lib. I. c. 20.
(4) Ibi c. 32. (5) Comment. in Tacit.

teſtatur (1) quod *Anci pater nullus* ab Hiſtoricis memoratur, ſed ille ſolum *Numae nepos vocatur*.

Sed eiuſmodi coniecturae genus longe veriſimillimam Sigonii ſententiam convellere, ac infirmare certe non poterit; cum praeſertim Livius ipſe teſtetur quod Ancus *avitae gloriae memor* fuit, quod aeque ad Numam regem, & ad M. Marcium Numae amicum, & paternum Anci avum referri poteſt. Senecam vero nihil moror: quamvis enim Ancus ex Marcio Vrbis Praefecto, ideoque ex illuſtri viro, genitus foret, longe tamen ipſi carius, ac honorificentius eſſe debuerat quod *Numae regis nepos*, quam quod Numae Marcii Urbis Praefecti filius diceretur; quemadmodum prorſus cum Severus Auguſtus *Probo genero ſuo Praefecturam Urbis obtuliſſet, ille recuſavit, dixitque minus ſibi videri Praefectum eſſe, quam Principis generum* (2).

Accedit etiam quod Tacitus in exprimendis Praefectorum nominibus ubique fere nominibus ipſum quoque praenomen adiecit, ideoque longe veriſimilius haberi debet quod ille *Numam Marcium*, non *Numae N. Marcium* expreſſerit, quem non ambiguo *Marcii*, ſed peculiari potius, ſuoque *Anci* nomine vocaſſet, ſi vere Marcius Urbis Praefectus cum Anco Marcio rege confundi deberet. Denique, cum perſpicuo Plutarchi teſtimonio compertum ſit iis temporibus *Numam Marcium* floruiſſe, ſi illud idem *Numae Marcii* nomen in Tacito occurrit, nihil eſt certe cur vulgata lectio temere corrigatur; niſi perſpicue demonſtretur quod in Tacito *Numae Marcii* nomen retineri non poteſt. Tantum vero abeſt ut Numae Marcii nomen deleri, atque *Anci Martii* nomen in Tacito reponi, vel intelligi debeat, ut potius contrarium ex ipſa temporum ſerie oſtendatur. Etenim unicus Praefectus ille, qui a Tullo rege

(1) Epiſt. 109. (2) Spartian. in Sev. c. 8.

lo rege electus memoratur, facilius ad illa tempora referri debet, quibus Tullus aliorum Regum inſtar *domo profectus* contra finitimos, atque in primis Albanos, arma movit, quod in ipſo ſuſcepti regni initio contigiſſe novimus. Itaque, cum Tullus 32. annos regnaverit, ſi Praefectus ille, quem Tullus elegerat, non alius, quam *Ancus*, fuiſſet, Ancus ipſe dum Tullo ſuccederet, ſexagenario maior fuiſſet, ideoque vix ac ne vix quidem 24. regni anni concedi illi poſſent cum fulmine tactus occubuit. Hinc Taciti verba, ideoque Urbanae Praefecturae dignitas, non ad Ancum Martium, ſed ad Numam Martium Anci patrem, commodius referri debet.

Sed quid coniecturis iſtis hic immorer cum Sigonii ſententia, & vulgatus Taciti textus ex ipſis etiam Capitolinis Marmoribus, in quibus error, aut lectionis varietas effingi ſane non poteſt, perſpicue confirmetur? Siquidem ſemel, atque iterum, tertioque in ipſis legitur = *Ancus Marcius Numae F. M. N.* ideoque *Ancus Marcius* a *Numa Marcio* diſtinguitur, iſque Numa Marcius eius Marci Marcii filius dicitur, quem omnium primum e Sabinis cum Numa rege Romam veniſſe iam vidimus: quae certe ſeries explicari, nominumque varietas ſalvari non poſſet, ſi Ancus Marcius rex in Merceri hypotheſi una cum Numa Marcio confundatur.

Spu-

Spurius Lucretius.

Cir. an. V. C. 230. ante Chr. 524.

HUius Praefecti nomen non modo Tacitus, ſed ipſe quoque Livius (1), ac Dionyſius (2) conſervarunt. Etenim Livius cum Tarquinium Superbum, eiuſque coniugem, ac liberos Urbe eiectos, regnoque pulſos memoraret ait quod *L. Iunius Brutus Ardeam in caſtra eſt profectus, imperium in Vrbe Lucretio Praefecto Vrbis iam antea ab Rege inſtituto relinquit*.. ſubditque quod *duo Conſules inde Comitiis centuriatis a Praefecto Vrbis creati ſunt*. Eadem quoque Dionyſius ipſe deſcribit; niſi quod Lucretium non *Vrbis Praefectum*, ſed *Interregem*, appellat: *μετὰ τῦτο παρελθὼν ὁ Βρῦτος ἐπιδείκνυσι Μεσοβασιλέα τὶν ἐπιμελησόμενον τῶν ἀρχαιρεσιῶν κατὰ τὺς πατρίυς νόμυς Σπύριον Λυκρήτιον... κἀκεῖνος ἄνδρας αἱρεῖται δύο τὺς πράξοντας ὅσα τοῖς Βασιλεῦσιν ἐξῆ, Βρῦτοντε, ϗ Κολλατῖνον, ϗ ὁ δῆμος καλύμενος κατὰ λόχυς ἐπεκύρωσε τοῖς ἀνδράσι τὴν, ἀρχὴν postea Brutus in medium progeſſus Spurium Lucretium creavit Interregem, qui patrio more Comitiorum curam gereret.. ille vero duos viros Brutum, & Collatinum cum regia poteſtate elegit, & Populus centuriatim vocatus magiſtratum illorum ratum fecit*. Itaque, cum Spurius Lucretius Urbanae Praefecturae munere primum a Tarquinio Rege, mox a L. Iunio Bruto patriae libertatis aſſertore decoratus fuerit, eius nomen Praefectorum Faſtis inter annum V. C. 221. quo Tarquinius imperare caepit, & annum 244. inferendum erit, quo pulſis Regibus Conſules regia cum poteſtate inſtituti ſunt.

Spu-

(1) Lib. I. c. 59. (2) Lib. I. num. 84.

Digitized by Google

Spurius Larcius Flavus I.

An. V. C. 258. ante Chr. 496.

PRoxime poſt Sp. Lucretium antea memoratum Vrbanae Praefecturae munus Spurius Larcius obtinuit. Certe Dionyſius cum coorta ſeditione atque impendente civilis belli periculo Titum Larcium Romae omnium primum *Dictatorem* electum eſſe dixiſſet, repente ſubdit quod ceteris ad bellum profectis tertia militum pars domi relicta fuit, ut illa ſub Spurii Larcii, qui Dictatoris frater erat, imperio Urbem cuſtodiret; (1) *τὴν δὲ καταλειπομένην μοῖραν τὸν ἀδελφὸν Σπόριον Λάρκιον ἀντὴ φρυρεῖν τὴν πόλιν ἐτάχθη ἐντὸς τείχους μένουσα at illi, quae erat reliqua, fratrem Sp. Larcium praefecit, eaque iuſſa eſt manere in Urbe, eique praeſidio eſſe.* Itaque, licet hic *Eparchi*, *Praefecti*, *Interregis* nomen a Dionyſio non uſurpetur, vix tamen ullus dubitandi locus eſſe poterit quin *Urbis Praefectus* perſpicue certoque deſignetur; cum Urbis cuſtodia, Dictatore ſimulque Conſulibus in caſtra profectis, non alteri, quam Urbis Praefecto, committeretur. Id vero facilius de Sp. Larcio concedi debet, qui iampridem quarto poſt exactos Reges anno, nimirum V. C. 248. Conſulatum geſſerat; licet Livius & annum, & conſulatum illum omiſerit. Quamvis autem Dionyſius ſolum *Spurii Larcii* nomen expreſſerit, ego tamen *Flavi* agnomen adieci quod ita Spurius Larcius in Conſulum Faſtis nominetur.

* Ti-

(1) Lib. V. n. 75.

✠ Titus Larcius Flavus.

An. V. C. 262. ante Chr. 492.

ILluſtre Praefecti huius nomen Panvinio, Contelorio; Glandorpio, ceteriſque prorſus incognitum Dionyſius (1) accuratiſſime nobis expreſſit. Aſſerit enim quod cum anno V. C. 262. Conſules in caſtra profecti forent, *τὴν πόλιν ἅμα τοῖς γεραιτέροις, κὴ ὀλίγῳ τινὶ ϛρατεύματι ἀκμαίων Τῖτος Λάρκιος ἐφύλαττεν ad Vrbis cuſtodiam cum ſenioribus, & exigua quadam iuniorum manu Titus Larcius relictus eſt*. Quum ergo Praefecturae munus, ac dignitas aliquando a Dionyſio ipſo, Latiniſque Scriptoribus, ut inferius oſtendetur ubi de L. Piſone agendum erit, *tutelae*, *cuſtodiae*, *praeſidii* nomine deſignetur, idemque Vrbis Praefectus *Vrbis Cuſtos* vocetur, dubitari certe non poterit quin Tito Larcio, qui iam Conſul, & Dictator electus erat, Vrbanae Praefecturae munus contigerit.

✠ Spurius Larcius Flavus II.

An. V. C. 269. ante Chr. 485.

HAec iterata Sp. Larcii Praefectura tum Glandorpio, tum Contelorio ignota fuit, quum tamen perſpicue diſerteque a Dionyſio (2) memoretur. Teſtatur enim anno V. C. 269. Conſules cum duabus militum partibus in caſtra profectos eſſe, Vrbemque, ac finitimos Vrbi campos interim cuſtodiſſe *Λάρκιον Σπόριον, ὃς ἦν ἀποδεδειγμένος ἀπὸ Ὑπάτων Ἔπαρχος Spurium Larcium*,

B

(1) Lib. VI. n. 42. (2) Libr. VIII. n. 64.

cium, *qui a Conſulibus Praefectus* Vrbis *fuerat creatus*: Quicumque illuſtrem Dionyſii locum cum ceteris Scriptorum teſtimoniis comparaverit, veteremque Romanorum morem a Tacito ſuperius expoſitum ſpectaverit, facile profecto intelliget quod *Eparchi*, ſive *Praefecti* nomine non aliud, quam *Vrbis Praefectus*, ab illo deſignatur.

✠ Spurius Larcius Flavus III.

An. V. C. 274. *ante Chr.* 480.

QUid vero quod haec ipſa Vrbanae Praefecturae dignitas non modo ſemel iterumque Sp. Larcio, ſed etiam tertio conceſſa fuit? Etenim Dionyſius (1) de Comitiis anni 274. diſſerens ait *ἀποδείκνυνται Μεσοβασιλεὺς Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος, οὗτος ἕτερον ἀποδείκνυσιν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν, Σπόριον Λάρκιον, κἀκεῖνος ἀποδείκνυσιν Ὑπάτους Γάϊον Ἰούλιον, καὶ Κόιντον Φάβιον Καίσωνος υἱὸν creatus eſt Interrex Aulus Sempronius Atratinus: iſte alium, prout eſt eorum mos, Spurium Larcium creavit Interregem: ille vero Conſules creavit C. Iulium, & Q. Fabium Caeſonis filium.*

Video quidem quod Spurius Larcius hic a Dionyſio *Interrex*, non *Praefectus*, vocatur; ſed obſervari etiam velim quod Dionyſius ipſe dum Sp. Lucretii munus, ac dignitatem exprimit, ipſum *Μεσοβασιλέα Interregem* appellat, quamvis ille a Livio *Praefectus Vrbis* dicatur: quod argumento eſſe poterit Magiſtratum illum, qui Conſulibus vel abſentibus, vel in ordinem redactis Vrbi praeerat, habendiſque Comitiis praeſidebat, interdum etiam priſcis illis temporibus *Interregis* nomine donari conſueviſſe. Ac certe quidem cum Dionyſius ipſe teſtetur quod ex veteri Quiritum more *ὥσπερ αὐτοῖς*

(1) Libr. VIII. n. 90.

αὐτοῖς ἔθος ἦν, Sempronius Atratinus Sp. Larcium deſignavit, qui Comitiis praeſideret, perſpicue ritum illum ſignificat, quem in prima Conſulum electione ſervatum eſſe iam dixerat; ut nimirum Comitia ab *Vrbis Praefecto* haberentur, quod in Spurii Lucretii exemplo iam vidimus.

Publius Lucretius.

An. V. C. 295. *ante Chr.* 459.

POſtquam Livius (1) captum a Romanis Antium dixiſſet domeſtici belli ſcintillas a Tribunis Plebis excitatas eſſe demonſtrat, quae a P. Lucretio Vrbis Praefecto exſtinctae fuerunt *Tribunicium domi bellum Patres territat . . . obtinuit tamen P. Lucretius Praefectus Vrbis ut actiones Tribuniciae in adventum Conſulum differrentur*. Itaque, quum haec L. Minucii, & C. Nautii Conſulatum proxime praeceſſiſſe, ideoque anno V. C. 295. contigiſſe dicantur, eidem anno P. Lucretius Vrbis Praefectus adſcribendus erit.

Quintus Fabius Vibulanus.

An. V. C. 298. *ante Chr.* 456.

QUinti Fabii nomen, ac Vrbanae Praefecturae munus ab illo ſuſceptum Dionyſio (2) debemus. Etenim Scriptor ille teſtatur quod ubi Minucius, & Nautius Conſules anni V. C. 298. duas militum partes ex Vrbe adverſus Sabinos, & Aequos eduxerunt, *μίαν ἐν*

B 2 *τῇ πόλει*

(1) Libr. III. c. 24. (2) Lib. X. n. 22.

Digitized by Google

τῇ πόλει μοῖραν κατέλιπον, ἧς ἡγεῖτο Κόϊντος Φάβιος Οὐιβολανὸς *partem unam ad Vrbis praeſidium reliquerunt, cui praeerat Q. Fabius Vibulanus;* cumque L. Minucii Conſulis clades Romae nunciata foret (1), Κόϊντος Φάβιος ὁ καταλειφθεὶς ἐπὶ τῆς πόλεως Ἔπαρχος ἀπὸ τῆς σὺν αὐτῷ στρατιᾶς ὅσον ἦν ἀκμαιότατόν τε καὶ κράτιστον ἐπιλέξας μέρος ἔπεμψε τῷ Ὑπάτῳ *Q. Fabius Vrbis Praefectus ſelectum ſuarum copiarum florem, ac robur Conſuli miſit:* moxque, cum L. Quintius Cincinnatus Dictator electus eſſet, (2) ὁ πόλεως Ἔπαρχος Φάβιος ἔπεμπε τοὺς παραληψομένους τὸν Κοίντιον ἐπὶ τὴν ἀρχὴν *Fabius Vrbis Praefectus miſit qui ad imperium Quintium adducerent*. Quae quidem illuſtria Dionyſii loca nunc afferenda putavi non modo ut Q. Fabii Praefectura manifeſte probaretur, verum etiam ut ſuperioribus teſtimoniis robur accederet, ac uberius etiam oſtenderetur quod Magiſtratus ille, cui abſentibus Conſulibus Romae cuſtodia committebatur, non alio, quam *Eparchi*, ſive *Praefecti*, munere fungebatur.

Eiuſmodi vero Praefecti aetate perſpicuis adeo characteribus iam conſtituta inſignis Contelorii error intelligi, ac refelli facile poterit, qui nominum ſimilitudine deceptus Q. Fabii Vibulani Praefecturam ab ipſo quoque Livio memoratam eſſe putavit; cum tamen Fabius ille, qui a Livio nominatur (3), anno V. C. 340. *Interregis* munere functus ſit, iiſque Comitiis praeſederit, quibus Conſules electi ſunt M. Cornelius Coſſus, & L. Furius Medullinus. Itaque, ut accurata temporum ratio conſtare poſſit, poſterior hic Fabius a ſuperiori diſtingui debet; atque, ut optime ſuſpicatur Glandorpius, eius filius cenſeri poterit.

Caius

(1) Ibi n. 23. (2) Num. 24. (3) Lib. IV. c. 51.

Digitized by Google

✠ Caius Iulius Caeſar.

An. V. C. 705. ante Chr. 49.

SUB hoc illuſtri Vrbis Praefecto nova rerum facies exoritur, & extincta fere civilibus bellis Romanae Reipublicae libertate C. Caeſaris potentia novis ſubinde titulis, honoribus, ac praeſidiis amplificata prima Romani Imperii mox conſtituti fundamenta iecit. Quum enim civile bellum inter Pompeium, & Caeſarem exarſiſſet, anno V. C. 704. ut in Capitolinis Faſtis legitur, *C. Iulius C. F. C. N. Caeſar Dictator* electus eſt *ſine Magiſtro Equitum, Comitiorum habendorum, & Feriarum Latinarum cauſſa.*

Itaque, ne ceteras dignitates omnes in virum unum congeſtas hic perſequar, ex verbis illis apparet quod Caeſar *Feriarum Latinarum cauſſa* Dictator electus fuit, ideoque veteri *Praefecti Vrbis* munere fungi ille debuit; quamvis eiuſmodi Praefecti munus in Caeſare cum ampliori, inſuetaque poteſtate coniunctum foret.

✠ Lucius Caeſar.

An. V. C. 707. ant. Chr. 47.

CVM in abſentia Caeſaris omnia Romae tumultibus, ac ſeditionibus ſuſpecta forent, Antonius Equitum Magiſter Dione (1) teſte τὸ μὲν ἄςυ τῷ Καίσαρι τῷ Λυκίῳ ἐπέτρεψε Πολίαρχον αὐτὸν ἀποδείξας (ὃ μὴ πώποτε τῷ Ἱππάρχῳ ἐξυσία ποιεῖν ἦ) αὐτὸς δὲ πρὸς τοὺς ςρατιώτας ἐξώρμησεν *Vrbis quidem curam L. Caeſari mandat, cumque Praefectum Vrbis conſtituit, (quam poteſtatem nemo unquam*

Magi-

(1) Libr. XLII. c. 30.

Magiſter Equitum habuerat) ipſe vero ad milites contendit. Itaque hic Lucius Caeſar, qui iampridem Caii Caeſaris Legatus fuerat, ideoque ab ipſo C. Caeſare (1) memoratur, Vrbanorum Praefectorum Faſtis hoc anno inſcribendus erit.

✠ Marcus Aemilius Lepidus.

An. V. C. 707. *ante Chr.* 47.

GOltzius (2) in *Magiſtratuum, & Triumphorum Romanorum Faſtis* ad annum V. C. 707. Nummum exhibet, in cuius antica parte galeatum Romae caput cum epigraphe ROMA, in adverſa vero clypeus votivus conſpicitur, circa quem, nimirum in extimo nummi ambitu, voces reperiuntur M. AIMILI. M. F. Q. N. LEPIDVS PRAEF. VRB. Morellius (3) quidem hunc nummum in Aemilia gente deſcribens ipſum inter ſuſpectos habitum, atque ad annum V. C. 704. referendum eſſe teſtatur. Quum tamen Morellius ipſe concedat Praefectos alios a Caeſare proximis annis electos eſſe, eorumque nomina feliciter, accurateque deprehenderit, ut proximo loco oſtendetur, nihil eſt certe cur M. Aemilio Lepido dignitas illa non concedatur, qui inter omnes excelluit, ideoque nummus iſte ſincerus non cenſeatur. Ac certe quidem hunc Lepidum anno V. C. 708. Vrbi praefuiſſe perſpicuo Dionis teſtimonio erudimur, qui Hiſpanam Caeſaris adverſus Pompeium expeditionem memorans ait (4) τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ, καὶ Πολιονόμοις τισὶν ὀκτὼ, ὡς τισὶ δόκει, ἢ ἕξ, ὡς μάλλον πεπίστευται, ἐπιτρέψας ἐξεστράτευσεν *Vrbis cuſtodiam Lepido, octoque, ut nonnullis videtur, vel (quod magis*

(1) De Bel. Gall. Lib. VII. c. 65. & de Bel. Civil. c. 8.
(2) Pag. 179. (3) *Pag.* 492. (4) Lib. XLIII. c. 28.

magis creditum eſt) ſex Vrbis Praefectis demandans expeditionem ſuſcepit. Quo tamen loco a Dione non *Praefecti*, ſed potius *Magiſtri Equitum* dignitas Lepido tunc conceſſa deſignari videtur, ut ad annum 708. mox obſervabitur. Itaque, ſi nummus ipſe ſequentium inſtar ſincerus habeatur, M. Aemilius Lepidus Praefectorum Faſtis anno V. C. 704. cum Morellio, ſive 707. cum Goltzio, ſive denique 708. cum Dione inſcribendus erit.

Proximo tamen anno poſt Praefecturam Lepido in Goltzii ſententia conceſſam, nimirum V. C. 705. nullus omnino, ne quidem Feriarum Latinarum tempore, Dione (1) teſte Vrbi praefuit: Πολίαρχος ὐδεὶς ἐς Ἀνοχὰς, ὥσπερ εἴθιςο, ᾑρέθη, ἀλλ' οἱ Στρατηγοὶ πάντα τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ διῴκησαν. ἕτεροι ἐν τῷ ὑςέρῳ ἔτει φασὶν αὐτὺς τῦτο ποιῆσαι *nullus Praefectus Vrbi Feriarum Latinarum cauſa eo anno, ut more erat receptum, fuit conſtitutus; ſed omnia, quae eius officii erant, Praetores adminiſtraverunt; quod tamen inſequenti anno factum alii memoriae prodiderunt*.

Lu-

(1) Libr. 41. c. 14.

Digitized by Google

* Lucius Munatius Plancus.
Livineius Regulus.
Caius Norbanus.
Quintus Oppius.
Aulus Hirtius.
Caius Clouvius.

An. V. C. 708. ante Chr. 46.

MAxima temporum, rerumque perturbatio, quae repente poſt arreptum a Iulio Caeſare Imperium exorta fuit, in cauſſa eſſe debuit ut nova quoque in Vrbanae Praefecturae munere forma haberetur; ideoque non unus, ut antea, ſed plures Praefecti munere fungerentur: quamvis eiuſmodi Praefectorum eligendorum cauſſa eadem propemodum videretur, quae ſuperioribus temporibus Reges, & Conſules etiam Vrbe iam diſceſſuros impulerat. Etenim Dio (1) de rebus anno V. C. 708. a Caeſare geſtis loquens ait: *ὥσπερ τότε πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος οἱ Πολιόνομοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου Ἱππαρχοῦντος ἔσχον eo tempore, ſicut & ante, per abſentiam Caeſaris factum, Praefecti Vrbis cum Lepido Magiſtro Equitum omnium rerum curam geſſerunt.* Itaque, cum Caeſar una cum exercitu in Hiſpaniam anno V. C. 708. traieciſſet, *ſex*, vel ut alii volunt, *octo* Praefectos Vrbis reliquit. Certe *ſex* Praefectorum nomina in ipſorum nummis tunc cuſis occurrunt, quos Morellius in de-

(1) Lib. XLIII. c. 48.

in deſcribendis Familiarum nummis accuratiſſime expreſſit (1)

L. PLANC. PRAEF. VRB.

REGVLVS F. PRAEF. VR.

C. NORBA. PR.

Q. OPPIVS PR.

A. HIRTIVS PR.

C. CLOVI. PRAEF.

Sex Praefectis iſtis Morellius variis coniecturis innixus adiungendos eſſe putavit L. Rubrium Doſſenum, L. Valerium Flaccum, & Muſſidium Longum; ipſorumque ſingulos eodem Praefecti munere anno quoque 709. perfunctos eſſe opinatur; quamvis C. Iulius Caeſar ex Hiſpania redux in Vrbe moraretur, quod Suetonius (2) de Praefectis illis diſſerens dixerit: Caeſar *Praefectos pro Praetoribus conſtituit, qui praeſente ſe res urbanas adminiſtrarent*. At Morellii pace longe accuratior, ac veriſimilior Dionis hiſtoria cenſeri poterit, qui perſpicue diſerteque teſtatur Praefectos illos ἐν τῇ τοῦ Καίσαρος ἀποδημίᾳ *in Caeſaris abſentia* res urbanas adminiſtraſſe; atque in edito Suetonii textu pro *praeſente ſe* facili, levique mutatione *abſente ſe* reſcribendum erit, ut Lipſius (3), & Pitiſcus (4) optime exiſtimarunt.

Eiuſmodi vero Vrbis Praefectos a Caeſare conſtitutos non modo faſcibus, ſella curuli, aliiſque honoribus decoratos eſſe teſtatur Dio, ſed ipſa quoque cudendae pecuniae poteſtate donatos fuiſſe ex nummis ipſis conſpicimus, quorum plerique argentei, ſed aliqui tamen aurei, ad haec uſque tempora pervenerunt,

C

(1) Pag. 194. (2) In Iulio c. 76. (3) Elect. II. c. 17.
(4) In Suet. ibi.

runt, atque ex typorum numeris, qui ipſis impreſſi videntur, miram ipſorum multitudinem extitiſſe Morellius optime exiſtimavit.

✠ Praefecti IV. Feriarum Latinarum.

An. V. C. 709. *ante Chr.* 45.

AD haec ipſa C. Iulii Caeſaris tempora referri debent quatuor Latinarum Feriarum Praefecti, qui a Dione (1), ſuppreſſis tamen ipſorum nominibus, memorantur. Etenim is plurima ſimul deſcribens, quae anno V. C. 709. a Caeſare contra leges, ac inſtituta maiorum temere facta ſunt, ait Πολίαρχός τε τις ἐν ταῖς Ἀνοχαῖς καταςὰς ἕτερον αὐτος τῆς ὑςεραίας ἀνθείλετο, ϗ ἐκεῖνος ἄλλον, ὃ μήτε πρότερον, μήθ᾽ ὕςερον ποτὲ ἐγένετο *Praeterea Praefectus Vrbis in Feriis conſtitutus alium in ſuum locum pro ſequenti die ſubrogavit, iſque rurſus alium: quod neque ante, neque poſt id tempus unquam factum eſt.* Quamvis autem Dio tres ſolum Vrbis Praefectos hic innuere videatur, perſpicuum eſt tamen quatuor omnino delectos fuiſſe, cum Feriae Latinae non tribus, ſed quatuor diebus iis temporibus agerentur.

✠ Praetores-Pro Praefecti Feriarum.

An. V. C. 718. *ant. Chr.* 36.

PVlcherrimo Dionis (2) loco, quem inferius exhibebo, non modo perſpicue demonſtratur quod Vrbanae Praefecturae dignitas C. Cilnio Maecenati conceſſa fuit; verum etiam quod iis temporibus Latinarum

(1) Lib. XLIII. c. 48. (2) Lib. IL. c. 42.

Digitized by Google

rum Feriarum tempore Vrbani Praefecti munus a Praetoribus exercebatur; ut proinde Praetores ipſi in accurata Praefectorum ſerie, veluti *Pro-Praefecti* non immerito memorandi videantur.

Caius Cilnius Maecenas.

An. V. C. 718. *ante Chr.* 36.

ATque hactenus quidem, Tacito praeſertim, Livio, ac Dione ducibus Praefectos illos hic ordine recenſuimus, qui Regibus Romae imperantibus, aut florentibus adhuc Reipublicae Romanae rebus eo munere perfuncti ſunt. Vbi vero poſtremis Reipublicae temporibus priſtina tranquillitas civilibus bellis turbata, ac univerſa imperii ſumma in Auguſtum unum, & Caeſares alios Auguſti ſucceſſores translata fuit, ipſa quoque Praefecti dignitas, eiuſque deligendi ratio mirifice variata fuit, ut opportune iam alibi demonſtravi.

Id vero Cilnii Maecenatis conſilio factum, atque ab Auguſto inſtitutum fuiſſe teſtatur Dio (2), qui ex pulcherrima Maecenatis Oratione, qua Auguſtum ipſum anno V. C. 725. ad retinendum Imperium hortatur, eiuſque feliciter adminiſtrandi praecepta illi ſuggerit, haec expreſſit, ex quibus maxima Praefectorum auctoritas, eorum diuturnitas, aliaque id genus plurima demonſtrantur. *Πολίαρχος δὲ δή τις ἐκ τῶν προηκόντων, ϗ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω, ȣ̓χ ἵνα ἀποδημησάντων πȣ Ὑπάρχων ἄρχῃ, ἀλλ' ἵνα τὰ ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, ϗ τὰς δίκας τάς τε παρὰ πάντων, ὧν εἶπον, Ἀρχόντων ἐφεσίμȣς τε, ϗ ἀναπομπίμȣς, ϗ τὰς*

(1) Lib. LII. c. 21.

τῦ θανάτυ τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, κ̀ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα κ̀ ἑξακοσίων ςαδίων οἰκῦσι, κρίνῃ ἕτερός τε, τὶς αἱρείσθω Ὑποτιμητὴς. ἀρχέτωσαν δὲ δὴ οἱ δύο ὗτοι διὰ βίυ ἄνγε δὴ μὴ κακυνθῇ τὶς αὐτῶν τρόπον τινὰ, ἢ νοσώδης, ἢ κ̀ ὑπέργηρως γένηθαι Praefectus etiam Vrbis ex primariis viris quidam creandus eſt, qui omnes Magiſtratus, quos geri ante hunc convenit, geſſerit; non ut per abſentiam Magiſtratuum Rempublicam adminiſtret, ſed ut cum reliquis in rebus Vrbi praeſit, tum cauſas quoque eas, quibus provocatio competit, capitaleſque etiam omnes in Vrbe, ac extra eam uſque ad DCL. ſtadia diiudicet. Alius quidem deligi debet Sub-Cenſor, hiſque duobus Magiſtratus per omnem ſuam vitam prorogetur, niſi quis aliquod crimen admiſerit, morbove, aut ſenectute confectus ſit.

Antequam tamen Auguſtus praeclarum hoc Maecenatis conſilium ſequutus M. Meſſalam Corvinum Vrbis Praefectum eligeret, poteſtatem omnem, quae ab Vrbis Praefecto ceteriſque Magiſtratibus aliis exerceri conſueverat, Maecenati conceſſit dum civilium bellorum furor arderet, ut ad annum V. C. 718. Dio (1) obſervavit: *κᾂν τῷ αὐτῷ τύτῳ ἔτει ὔτ᾽ Ἀγορανόμος τὶς ἐγένετο, ὔτε Πολίαρχος ἐς τὰς Ἀνοχὰς ἀπεδείχθη, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν Στρατηγῶν τάτε ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει, τῇτε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γάιός τις Μαικήνας ἀνὴρ ἱππεὺς κ̀ τότε κ̀ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ διῴκησεν eodem tempore neque Aedilis quiſquam fuit, neque Praefectus Vrbis ad Ferias creatus fuit, ſed Praetores quidam eius officium peregerunt: reliquas res non Romae modo, ſed per totam Italiam iſto, ac diu etiam ſequenti tempore C. Maecenas equeſtris dignitatis vir adminiſtravit.*

Itaque, licet hic Dio nullum prorſus *Feriarum Praefectum* eligi conſueviſſe memoret, ideoque Maecenatem ipſum a Praefecti Vrbani munere excludere videatur,

(1) Lib. IL. c. 16.

deatur, integer tamen contextus oſtendit quod reliqua Praefecti munera Maecenas ipſe in Vrbe obibat; ideoque merito Tacitus (1) Praefectos Vrbis enumerans ait *Auguſtus bellis civilibus Cilnium Maecenatem Equeſtris Ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam praepoſuit*, ſicuti Paterculus (2) etiam ait: *Tunc Vrbis cuſtodiis praepoſitus Cilnius Maecenas equeſtri, ſed ſplendido genere natus:* perinde ac ſi iurisdictionem omnem, quae abſentibus Conſulibus a Praefecto exerceri conſueverat, Maecenas ipſe turbatis adeo rebus in Vrbe exerceret. Hinc Maecenatis honor ac dignitas ad annum V. C. 718. proximeque inſequentes annos, uſque ad Auguſti reditum referri poterit.

✠ Pueri impuberes Equeſtris Ordinis.

An. V. C. 720. *ante Chr.* 34.

QVamvis Auguſtus una cum Vrbis Praefectura poteſtatem omnem Maecenati contulerit, interim tamen alios Vrbis Praefectos Latinarum Feriarum tempore ab Auguſto ſelectos eſſe ex pulcherrimo Dionis (3) loco obſervavi. Ille nimirum res anno V. C. 720. Romae geſtas deſcribens ait *καὶ τὴν πανήγυριν τὴν τῇ Ἀφροδίτῃ τῇ γενεθλίῳ τελουμένην οἱ Ὕπατοι ἐποίησαν, ἔν τε ταῖς Ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος Πολίαρχοι παῖδες ἄνηβοι ἐξ ἱππέων, ἀλλ' οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες ἦρξαν Ludos praeterea Veneri Genitrici Conſules fecerunt, & ad Ferias Praefecti Vrbis a Caeſare conſtituti ſunt Pueri impuberes equeſtri, non patricio genere nati*. Qui ſane eximius Dionis locus oſtendit quod Feriarum tempore Praefectus alius eligebatur; ac dignitas illa etiam Adoleſcen-

(1) Annal. Lib. VI. c. 11. (2) Lib. II. c. 88. (3) Lib. IL. c. 42.

leſcentibus concedi conſueverat, ut inferius demonſtrabitur ubi de Nerone Caeſare agendum erit.

Marcus Valerius Meſſala Corvinus.

An. V. C. 729. ante Chr. 25.

QVum Auguſtus, ut Taciti (1) verbis utar, *verum potius*, ex Cilnii Maecenatis conſilio Praefectum Vrbis eligere, maioremque poteſtatem ipſi tribuere decreviſſet, Marcum Meſſalam Corvinum ſelegit, ipſique novam hanc poteſtatem conceſſit. Itaque haec illuſtrior Praefecti dignitas *recens* a Tacito, novumque *officium* a Suetonio (2) appellatur, cum Scriptor ille *officia nova* enumerans, quae Auguſtus *excogitavit*, inter illa *Praefecturam Vrbis* recenſet. Nec alio plane ſenſu Corvinus ab Euſebio (3) *primus Praefectus Vrbis* vocatur: *Meſſala Corvinus primus Praefectus Vrbis factus ſexto die magiſtratu ſe abdicavit incivilem eſſe poteſtatem conteſtatus*. Quae quidem Euſebii verba obſcurioribus Taciti verbis lucem foenerantur cum ait quod Corvinus *paucos intra dies finem accepit quaſi neſcius exercendi:* perinde ac ſi poteſtatem illam ſolis ſervorum querelis, ipſorumque litibus dirimendis inſtitutam eſſe cenſeret, ideoque hanc incivilem, atque indecoram putaret; nec ipſe plane intelligeret quam gravi, auguſtoque munere fungeretur.

Itaque, cum Praefectus ille *neſcius exercendi* paucos ſolum dies in magiſtratu exegerit, mirari certe non poſſumus ſi ipſum Dio in Praefectorum ſerie non numeraverit, ſed poſt Maecenatem proxime M. Agrippam, moxque Statilium Taurum recenſuerit, ut inferius oſtendetur.

Inte-

(1) Annal. Lib. VI. c. 11. (2) In Aug. c. 37. (3) Ad an. 729.

Interim vero Contelorii error hic obſervandus, qui de hoc ipſo Meſſala Claudii Rutilii Numatiani locum *forte* intelligendum eſſe coniecit ubi de Meſſala quodam dicitur (1)

Hic & Praefecti nutu Praetoria rexit,
Sed menti, & linguae gloria maior ineſt.

Vt enim ommittam iis Rutilii verbis non *Vrbis*, ſed *Praetorii*, Praefectum perſpicue deſignari, Eruditis omnibus eſt obſervatum quod eadem illa Rutilii, Paulini, Symmachi, Sidonii aetate Meſſala Poeta floruit, *cui*, ut Epiſt. 90. Lib. VII. ait Symmachus, *ob peritiam litterarum decus honoris publici acceſſit*, nimirum, ut ex Theodoſiano Codice (2) apparet, Praetorii Praefectura. Quemadmodum ergo Sidonius (3)

Meſſalam ingenii ſatis profundi

vocavit, ita quoque Rutilius ait

Carmine Meſſalae nobilitatus ager.

✠ Octo Praefecti Anonymi.

An. V. C. 731. *ante Chr.* 23.

QVamvis eiuſmodi Praefectorum nomina Faſtis inſcribi non poſſint quod haec a Dione nobis expreſſa non fuerint, aliqua tamen ipſorum mentio facienda a me fuerat, ut temporum illorum mores oſtendi poſſent, ſimulque ea Lex indicari, quae ab Auguſto praeſcripta fuit. Etenim Dio (4) de rebus anno V. C. 731. geſtis diſſerens ait κἂν ταῖς Ἀνοχαῖς δύο καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπολιάρχησαν, καὶ εἷς γέ τις αὐτῶν οὐδὲ ἐς μειράκιόν πω τελῶν ὅμως ἦρξεν *Feriis Latinis bini ſingulis diebus*

(1) Lib. I. ver. 268. (2) Vid. Gothof. Prof. Cod. Theod.
(3) Carm. IX. ver. 302. (4) Lib. LIII. c. 33.

Digitized by Google

diebus Praefecti Vrbis fuerunt, interque eos unus, qui nondum iuvenilem aetatem attigerat. Itaque, cum iis temporibus quatuor Feriarum dies conſtituti iam forent, *octo* Praefectorum nomina hoc anno Praefectorum Faſtis inſcribi debent. Quandoquidem vero tot Praefectorum varietas, atque tenerior quorundam aetas ab illuſtris, graviſſimique muneris dignitate abhorrere propemodum videbatur, Auguſtus Dione (1) teſte anno V. C. 736. edita Lege ſancivit τὸν Πολίαρχον τὸν εἰς τὰς Ἀνοχὰς καθιςάμενον ἕνα ἀεὶ αἱρεῖσθαι *unum ſemper Praefectum Vrbis Feriarum Latinarum conſtitui*.

✠ Marcus Vipſanius Agrippa.

An. V. C. 733. *ante Chr.* 21.

CVM Auguſtus in Siciliam traiicere decreviſſet, ac Romae Comitiorum tempore & cauſſa domeſticum fere bellum exarſiſſet, optime intellexit Auguſtus Vrbem ipſam abſente Principe ἄναρχον. ſine Praeſide, ſive Praefecto relinqui non poſſe (2); ideoque conſtituit τινὰ αὐτῇ ἐπιςῆσαι, καὶ ἔκρινε μὲν τὸν Ἀγρίππαν ἐπιτηδειότατον ἐς τοῦτο εἶναι *aliquem ipſi praeficere, atque Agrippam ad id aptiſſimum eſſe iudicavit*. Itaque, ut viro iam ſpectatiſſimo maiorem quoque gloriam, ac dignitatem adderet, ipſi Iuliam filiam ſuam deſpondit, ipſumque ἐς τὴν Ῥώμην παραχρῆμα καὶ ἐπὶ τῷ γάμῳ, καὶ ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει ἔπεμψε *confeſtim Romam miſit ad nuptias peragendas, Vrbiſque adminiſtrationem ſuſcipiendam*. Deinde memorat Dio quod cetera quidem ab Agrippa tranquille compoſita & adminiſtrata ſunt, ταραχῆς δὲ τινὸς περὶ τὴν τοῦ Πολιάρχου τοῦ διὰ τὰς Ἀνοχὰς αἱρομένου χειροτο-

(1) Libr. LIV. c. 17. (2) Dio Lib. LIV. c. 6.

ροτονίαν συμβάσης ὐκ ἐπεκράτησεν αὐτῆς, *ἀλλὰ ἄνευ τῆς ἀρχῆς ταύτης τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον διεγένοντο tumultum autem, qui propter Praefectum Vrbis ad Ferias conſtituendum extiterat, cum componere non potuiſſet, annus ille ſine hoc Magiſtratu tranſactus eſt*: Perſpicuus hic Dionis locus oſtendit quod anno V. C. 733. univerſa quidem Vrbis adminiſtratio, vel Praefectura M. Vipſanio Agrippae Augusti genero conceſſa fuit; ſed interim tamen Praefectus alius ſolo Feriarum Latinarum tempore eligendus erat, qui tumultus cauſſa deſignari non potuit, ideoque facile Agrippa ſolus hoc etiam tempore Vrbi praefuit.

Titus Statilius Taurus.

An. V. C. 738. ante Chr. 16.

PRaeter Tacitum, qui poſt Meſſalam Corvinum in Praefectorum Serie Statilium ipſum enumerat, aſſeritque quod *Taurus Statilius* Praefecturam, *quanquam provecta aetate, egregie toleravit*, etiam Dio Praefecti munus Statilio Tauro ab Auguſto anno V. C. 738. conceſſum memoravit. (1) Teſtatur enim quod Auguſtus *τὸ μὲν ἄςυ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοκεῖν ἐπιτρέψας (τόν γε γὰρ Ἀγρίππαν εἰς τὴν Συρίαν αὖθις ἐςάλκει, καὶ τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα ὐκεθ᾽ ὡμοίως ἔχαιρε) ἐξώρμησεν Vrbis, & Italiae gubernatione Tauro iniuncta (nam iterum Agrippam in Syriam miſerat, Maecenas autem propter uxorem iam ei minus gratus erat) ab Vrbe profectus eſt.* (2) Ac certe quidem Statilium ipſum egregie Vrbanae Praefecturae munere perfunctum fuiſſe argumento eſſe poterit quod antea quoque anno V. C. 728. Conſu-

latus

(1) Libr. LIV. c. 19.

(2) Vid. Appia. Civil. Lib. V. Vellei Lib. II. c. 127.

Digitized by Google

latus honorem una cum Auguſto laudatiſſime geſſerat.

Paullus Aemilius Regillus.

Circa an. V. C. 767. Chr. 14.

AD poſtrema Auguſti tempora, ſive, ſi libeat, ad primos Tiberii annos revocandus erit hic Vrbis Praefectus, qui in Marmore Sagunti in Hiſpania poſito memoratur. Marmor ipſum ita a Grutero exibetur (1)

PAVLLO AEMILIO
PAVLLI F. PAL.
REGILLO XV. VIR.
SACRIS. FACIEND.
PRAEFECTO VRB.
IVRIDICVND.
QVAESTORI
TI. CAESARIS AVG.
PATRONO

Quamvis autem inter Smetii, Pighii, Metelli, Bilbani Schedas varietas quaedam occurrat, omnes tamen in exprimendo Paulli Aemilii nomine, eiuſque Praefectura mire conveniunt; niſi quod Bilbanus ipſum *L. Aemil. Paulli f.* appellat. Quandoquidem vero Muratorius (2) exiſtimavit minus accurate *Praefectum Vrbis iuridicundo* appellari, optime obſervavit in nuperis, atque accuratioribus Catanei Schedis poſt voces *Praefecto Vrb. & iuridicun-*

ridicun-

(1) Pag. 348. n. 9. (2) Pag. 668. 3.

Digitized by Google

ridicundo lacunas haberi, quibus alia Paulli Aemilii munera conſuetis Quiritum phraſibus exprimebantur. Ex iis tamen, quae conſtanter adeo in Schedis omnibus exprimuntur, perſpicue apparet quod Paullus Aemilius Regillus Tiberii Caeſaris aetate eiusdem Auguſti Quaeſtor, & Saguntinorum Patronus fuit, poſtquam Vrbanae Praefecturae munere functus erat: ideoque ipſius nomen circa annum 767. quo Tiberius Auguſto ſucceſſit, nimirum aut primis Tiberii, aut poſtremis Auguſti temporibus, Praefectorum Faſtis inſerendum erit.

✠ Caius Pomponius Flaccus Graecinus.

Cir. an. V. C. 770. *Chr.* 17.

Reineſius (1) hoc Marmor Eugubii poſitum exhibet

C. POMPONIO C. F.
GRAECINO
PRAEFECT. VRB.
XVVIR. STL. II...
PRAEFECT.....
IIIVIRO. VIV.

Marmor ipſum Muratorius (2) etiam edidit, ſed in illius exemplo deeſt lacinia VRB, eiusque loco in exeſo Marmore lacuna irrepſit, ac in poſtremo verſu legitur IIVIRO. VII. Quandoquidem vero Pomponius iſte inter alios, qui primis Imperatorum temporibus Vrbanam Praefecturam geſſiſſe dicuntur, a nul-

(1) Claſſ. VI. n. 78. (2) Pag. 375. 7.

Digitized by Google

lo memoratur, Reineſius non PRAEFECT. VRB. ſed PRAEFECT. FABRum, aut PRAETori VRBano reſcribendum eſſe putavit, perinde ac ſi Romanarum rerum Scriptores nullum omnino Vrbis Praefectum indictum reliquiſſent: quum tamen plurimos ex Praefectis illis a Scriptoribus diſſimulatos eſſe demonſtraverim.

In eo quoque Reineſius ipſe fallitur quod hunc Pomponium eius Graecini filium videri dixit, qui anno V. C. 769. Conſul fuit, & anno 770. L. Pomponium Flaccum Graecinum fratrem ſuum in Conſulatu ſucceſſorem habuit, ſimulque ſororem Pomponiam Graecinam, quae Plautio de Britannis ovanti nupta a Tacito (1) memoratur. Etenim in Marmore C. Pomponii pater *Caius* vocatur, & *Graecini* nomen utrique fratri commune fuit. Itaque veriſimilius videtur eundem illum Iulium Pomponium Graecinum, qui exeunte anno 769. Conſul ſuffectus fuit, *Caii* praenomine vocatum fuiſſe, ipſumque in noſtro Marmore memorari: ſic enim poſt Conſulatum illum Vrbanae Praefecturae munere eo tempore decoratus fuiſſet, quo L. Pomponius eius frater poſt Moeſiae Praefecturam in Syria Pro-Praetor fuit, ut inferius oſtendetur.

Interim vero opportune obſervandum quod in Conſularibus Faſtis L. Pomponii Flacci collega *Caelius Rufus* vocatur, at in Gudiano Marmore Conſulum par ita exprimitur (2) *L. Pomponio Flacco*, *C. Caecilio Rufo*, quod in ipſo quoque Muratorii Marmore perſpicue, diſerteque legitur (3); ideoque verum huius Conſulis nomen in Faſtis omnino reſtitui debet.

* Lucius

(1) Annal. Lib. XIII. c. 32. (2) Pag. 45. 8. (3) Pag. 301. 1.

❋ Lucius Aelius Seianus.

Cir. an. V. C. 776. Chr. 23.

VIrum hunc in Romana Hiſtoria variis utriuſque fortunae caſibus inſignem Praefectorum Faſtis inſerui veterem Iuvenalis Interpretem, ſive Scholiaſtem ſecutus. Etenim cum Satyricus ille utramque Seiani fortunam deſcriberet ait (1)

Iam ſtrident ignes, iam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto Orbe ſecunda
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellae

Ad haec Satyrici verba Scholiaſtes ille adnotavit: *Quia* Seianus *Praefectus Vrbi fuit, venerabilis, ſecundus a Caeſare Tiberio.*

Ac certe quidem etiam Statius de Rutilio Gallico loquens, qui Domitiani temporibus Vrbi praefuit, Gallicum ipſum *cervicem* Domitiano Auguſto *proximam* appellavit, ut inferius oſtendetur.

Quamvis autem haec Vrbanae Praefecturae dignitas a Seiano ſuſcepta a nullo prorſus Hiſtorico memoretur, perſpicue tamen apparet quod ille Praetorios honores, Praetorii Praefecturam, ac ſupremam veluti poteſtatem in rebus omnibus obtinuerat: unde Xiphilinus (2) aſſerit quod τήν τε τυχὴν αὐτῦ κατακορεῖς ὤμνυσαν, ϗ συνάρχοντα τῦ Τιβηρίυ, ὐκ ἐς τὴν ὑπατείαν, ἀλλ' ἐ τὸ κράτος ὑποσημαίνοντες ἐπεκάλυν plerique *per fortunam Seiani iurabant, eumque Tiberii collegam appellabant, non in Con-*

(1) Satyr. X. ver. 63.

(2) Ex Dion. Lib. LVIII.

in Conſulatu; ſed in orbis terrae imperio. Itaque nihil facilius admitti poterit, quam quod aliquando, Tiberio Capreis degente, Seianus Praefecturam Vrbis obtinuerit, quod de Lucio Piſone mox demonſtrabitur. Quod ſi Seianus in Praefecti munere Piſoni ſucceſſit, id ante annum Chr. 31. contigiſſe debuit, quo Seianus Tiberii iuſſu interemptus fuit, poſtquam anno Chr. 23. Druſum Tiberii filium veneno ſuſtulit ut hoc ſcelere viam ſibi ad Imperium pararet.

✠ Druſus Caeſar Germanici f.

An. V. C. 777. *Chr.* 24.

PErſpicuo Taciti (1) teſtimonio erudimur non modo Druſum Caeſarem Tiberii aetate Feriarum Latinarum tempore Vrbis Praefectum fuiſſe, verùm etiam iis diebus, eiuſque Praefecturae tempore non graves, aut capitales, ſed leves ſolum, tralaticias, ac fictas interdum cauſas in Praefecti foro agitari conſueviſſe. Etenim de anno V. C. 777. loquens ait: *Ceterum poſtulandis reis tam continuus annus fuit, ut Feriarum Latinarum diebus Praefectum Vrbis Druſum auſpicandi gratia tribunal ingreſſum adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium, quod a Caeſare palam increpitum cauſa exilii Salviano fuit*. Eiuſmodi vero cauſarum levitas, quae *auſpicali* die proponi conſueverant, eximio quoque Suetonii loco demonſtratur, qui mox proferetur ubi de Nerone Caeſare agendum erit.

Interim verò mutilum quidem, ſed illuſtre, Marmor ſubieciſſe iuverit, quo haec ipſa Druſi Caeſaris Praefectura mire confirmatur. Gruterus (2) Marmor ipſum

(1) Annal. Lib. IV. c. 36. (2) Pag. 237. 2.

ipſum Burdigalae poſitum expreſſit, mutilaſque voces Reineſius, & Gudius ſupplevit; niſi quod Gudius pro SOD. legendum putavit FLAM.

D R V S O C A E S A ri Germa-
N I C I C A E S A R I S F. Ti. Caeſ.
A V G. N. D I V I. A V G. pronep.
P R A E F E C T. V R B I sod. Au-
G V S T A L I.

Lucius Calpurnius Piſo.

An. V. C. 779. Chr. 26.

PRaefecti munus a Tiberio Auguſto Lucio Piſoni conceſſum non modo Tacitus, quem in ipſo veluti limine de Romulio loquens exhibui, ſed etiam Suetonius, Plinius, Seneca, aliique plures memorarunt. Etenim Suetonius (1) de Tiberii vitiis diſſerens ait *Princeps in ipſa publicorum morum correptione cum Pomponio Flacco, & L. Piſone noctem, continuumque biduum epulando, potandoque conſumpſit: quorum alteri Syriam Provinciam, alteri Praefecturam Vrbis confeſtim detulit.* Plinius (2) autem nonnihil a Suetonio recedens ait: *Eaque meri commendatione credidere Lucium Piſonem Vrbis Romae Curatorem ab eo* Tiberio *delectum quod biduo, duabuſque noctibus potationem continuaſſet apud ipſum iam Principem.* Poſtremo Seneca res a Lucio Piſone geſtas, ſimulque acceptae Praefecturae tempus oſtendit (3): *Lucius Piſo Vrbis Cuſtos .. officium ſuum, quo tutela Vrbis continebatur, diligentiſſime adminiſtravit. Huic & Divus Auguſtus*

(1) In Tib. c. 42. (2) Lib. XIV. ſect. 28. (3) Lib. XII. epiſt. 84.

Digitized by Google

guſtus dedit ſecreta mandata quum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit; & Tiberius proficiſcens in Campaniam Praefecturam Vrbis dedit, cum multa in Vrbe & ſuſpecta relinqueret, & inviſa. Puto quia illi bene ceſſerat Piſonis ebrietas: poſtea Coſſum fecit Vrbis Praefectum, virum gravem, moderatum, ſed merſum vino, & madentem.

Itaque ex hoc illuſtri Senecae teſtimonio deduci debet quod Lucii Piſonis Praefectura non prius inceperit quam anno V. C. 779. Chr. 26. Tiberius ex Vrbe ſecedens in Campaniam proficiſceretur; cumque Lucius ipſe anno V. C. 785. octogenarius e vivis exceſſerit, ipſique, Dione (1) teſte, L. Lamia, mox Coſſus a Tiberio ipſo ſuffectus fuerit, ut mox oſtendetur, hic Piſo Praefecturae munere nonniſi *ſex* annorum ſpatio potiri potuit. Hinc certe fallitur Tacitus (2) ubi narrata Statilii Tauri Praefectura, quam is egregie toleravit, ſubdit quod *Lucius Piſo viginti per annos pariter probatus publico funere celebratus eſt:* idemque Taciti calculus alia quoque de cauſa a Lipſio refellitur, quod nimirum anno V. C. 772. Flaccus Moeſiae praeerat, ideoque Syriae Praeſes eſſe non poterat; unde Lipſius in Taciti textu non XX., ſed X., reſcribendum eſſe putavit. Video quidem quod Salinerius, Pichonius, aliique Taciti Interpretes receptam hactenus lectionem, Tacitique calculum tueri nituntur. At, niſi plurimum fallor, in eo decipiuntur quod Vrbis regimen in ipſo Tiberii initio Piſoni conceſſum exiſtimant, idque perſpicue ex Suetonii verbis inferri poſſe opinantur cum ait quod Tiberius Piſoni *Praefecturam Vrbis confeſtim detulit*. Quum verò Suetonius eiuſmodi verba repente ſubiecerit poſtquam dixerat Piſonem *noctem, continuumque biduum epulando, potandoque cum Tiberio conſumpſiſſe*, ſatis, ut opinor, oſtendit Tiberium Piſoni Praefectu-

rae

(1) Libr. LVIII. c. 19. (2) Libr. VI. c. 10.

Digitized by Google

rae munus non ab initi Imperii, ſed ab inſolitae, ac mirae compotationis tempore *confeſtim* detuliſſe.

Longe ſane ſubtilior, & accuratior Noriſii (1) coniectura cenſeri fecile poterit, qui Praefecturam Piſoni anno V. C. 775. delatam eſſe putavit. Quum enim Tacitus (2) aſſerat anno 775. Romae ſeveritatem adverſus luxum adhibitam fuiſſe, nimirum Aediles, Suetonio (3) teſte, morum correctionem induxiſſe, ſi Piſo Praefecti munus *in ipſa publicorum morum correptione* obtinuit, cuinam alteri veriſimilius, quam 775. anno adſcribi illa poterit? Hinc Noriſius ipſe Lipſii veſtigiis inſiſtens in Taciti loco non XX. ſed X. reſcribendum eſſe arbitratur.

Mihi tamen, doctiſſimi Noriſii, aliorumque pace longe gravior Senecae autoritas videtur quam ut ab illa ſolo coniecturae praeſidio diſcedi poſſit; cum praeſertim eadem illa Taciti verba, ſi rite explicentur, de proximis etiam annis intelligi profecto poſſint. Etenim publicorum morum correctio anno V. C. 775. inſtituta unius anni ſpatio circumſcribi certe non poterat; ideoque quidquid proximis etiam annis ab Aedilibus geſtum fuerit, *in ipſa morum correptione* factum cenſeri poterit. Itaque, ſi Tiberius anno 779. *proficiſcens in Campaniam*, ut nitide diſerteque coaevus ſcriptor Seneca teſtatur, Praefecturam Piſoni detulit, id *in ipſa morum correptione* factum a Suetonio dici potuit. Itaque neque *viginti* cum Tacito, neque *decem* cum Lipſio, ac Noriſio Praefecturae anni Piſoni concedi poterunt, aliaque ratione depravatus ille Taciti locus ſanandus erit. Quaenam vero veriſimilior eſſe poterit, quam ſi dicatur a Tacito maioribus, tuncque uſitatis characteribus ſcriptum fuiſſe VI. PER ANNOS, idque deinde ab oſcitante librario ſic depravatum fuiſſe

E ut VI-

(1) Cenot. Piſ. Diſſer. II. §. 13.
(2) Annal. Libr. III. c. 52. (3) In Tiber. c. 34.

Digitized by Google

ut VIGINTI PER ANNOS legeretur? Quod ſi liberior haec emendatio a me propoſita non admittatur, illud unum ſupererit, ut Taciti verba *Piſo viginti per annos probatus* non ad ſolum Vrbanae Praefecturae tempus, ut Interpretes omnes hactenus exiſtimarunt, referri debeant, ſed eos etiam annos complectantur, quibus ille aliis etiam muneribus laudatiſſime functus eſt.

Quandoquidem vero Lucii Piſonis, quem Velleius anno V. C. 783. *diligentiſſimum, atque leniſſimum ſecuritatis urbanae cuſtodem* vocavit, interitus ultra annum 785. differri non poteſt (1), excuſari certe non poterit Ioſephi (2) error, qui ſemel iterumque dicit Piſonem, ὅς ἦν φύλαξ τῆς πόλεως *qui erat Cuſtos Vrbis*, anno V. C. 790. Tiberio ſuperſtitem Vrbi praefuiſſe, atque a Caio Caligula Tiberii ſucceſſore litteras accepiſſe, quibus Tiberii mors, atque ſuſceptum a Caio imperium nunciabatur. Ne Scriptor ille gravis adeo erroris, & oſcitantiae incuſetur, coniicere fortaſſe quis poterit litteras illas ad *Lucium Calphurnium Piſonem* Praefecti filium ſcriptas fuiſſe, qui anno V. C. 780. Conſulatus munere functus erat; ideoque Ioſephum *Praefecti* dignitatem, quae a patre geſta fuerat, filio conceſſiſſe; niſi fortaſſe cui libeat illud idem Praefecti munus, quo L. Calpurnius Piſo pater laudatiſſime perfunctus erat, poſt Lamiae, & Coſſi mortem a Tiberio L. Calpurnio Piſoni filio conceſſum fuiſſe.

Suſpicionem hanc, quae mihi pridem affulſerat; confirmare facile poterit Valerii (3) locus, *in quo L. Calpurnii Piſonis Praetoris Vrb Conſtitutio* laudatur. Lipſius ingenue fatetur quod *Libri plerique omnes* habent *Praefecti Vrbis*, neque tamen ad Piſonem hactenus memoratum id referri poſſe putavit quod ille non *Caii*, ſed *Lucii* praenomine vocaretur. At fieri fortaſſe potuit ut hic

(1) Dio Lib. LVIII. c. 19. (2) Antiq. L. XVIII. c. 6. §. 5. 10.
(3) Lib. VII. c. 7.

hic a Valerio *C. Calpurnius Piſo* indicetur, cui a Tiberio propemodum interituro Praefectura Vrbis conceſſa fuerit, moxque in Neronem conſpirans mortem ſibi conſcivit, ut a Tacito (1) memoratur. Si liberius eiuſmodi coniecturae genus probetur, perſpicuum fiet Cornelium Coſſum admodum brevi temporis ſpatio Praefecturae munere perfunctum eſſe, ac Valerium Maximum extremis ſolum Tiberii temporibus Opus ſuum eidem Tiberio inſcriptum edidiſſe.

✠ Caius Perpernius Nautianus.

Circa an. V. C. 782. Chr. 29.

APud Gudium vetus hoc Marmor occurrit (2)

LIBERO. PATRI. PERPERNIANO
C. PERPERNIVS. C. F. NAVTIANVS
V. C. PRAEF. VRB. CVRATOR. VIARVM
ET PVBLIC. AEDIFIC. ET CVRATOR
AGR. REST. DD. III. NON. APRIL.
C. RVBELLIO. GEMINO. ET. C. FVSIO. GEMINO. COS.

Marmoris huius praeſidio non modo novum Praefecti hactenus incogniti nomen, ſed ipſa quoque eius aetas agnoſcitur. Etenim, cum duorum Geminorum conſulatus in annum V. C. 782. Chr. 29. inciderit, ſi Perpernius eodem anno Vrbana Praefectura, ſimulque muneribus aliis fruebatur, Praefectorum Faſtis hoc anno inſcribendus erit. Sin vero potius iis muneribus

E 2 antea

(1) Tacit. Annal. Lib. XV. c. 59. (2) Pag. 44. 1.

antea perfunctus erat, Praefecti dignitatem aliquo ex annis proxime praecedentibus geſſiſſe ille debuit.

Lucius Aelius Lamia

An. V. C. 785. Chr. 32.

La Piſoni, qui octogenario maior Praefecti munere fungens obierat, P. Aelium Lamiam ſucceſſiſſe perſpicue diſerteque Tacitus (1), ac Dio prodidere. Etenim Tacitus de rebus anno V. C. 786. geſtis loquens ait *Extremo anni mors Aelii Lamiae funere Cenſorio celebrata, qui adminiſtrandae Suriae imagine tandem exſolutus Vrbi praefuerat.* Ille nimirum Pomponio Flacco Syriae Pro-Praetore ſucceſſor deſtinatus, ſed Romae retentus tandem anno 785. Praefecti munus exercere caepit, quod ineunte fere ſecundo magiſtratus anno moriens reliquit. Ita propemodum Dio (2) teſtatur quod Tiberius Auguſtus τὸν Πείσωνα τὸν Πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησεν, ὅπερ πυ κ̀ ἄλλοις ἐχαρίζετο, κ̀ Λύκιον ἀντ' αὐτῦ Ταμίαν ἀνθείλετο, ὃ πρίπαλαι τῇ ςρατιᾷ προτάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ *Piſonem Vrbis Praefectum defunctum publico funere decoravit, & Lucium Quaeſtorem ei ſuffecit, quem dudum exercitui*, Syriae nimirum adminiſtrandae, *deſtinatum Romae detinuerat.* Miror Sylburgium, ceteroſque Dionis Interpretes hic errorem, qui in Dionis textum irrepſerat, non obſervaſſe. Quid enim? num Lucius Lamia interim dum Piſoni in Praefecturae munere ſucceſſit *Quaeſtor* evaſit? Quis aperte non videat hic a Dione non Ταμίαν, ſed Λαμίαν ſcriptum fuiſſe, imperitumque librarium, qui integrum Lucii nomen ignoraverat, ταμίαν confinxiſſe. Id optime profecto viderat Lipſius, & Caſaubo-

(1) Lib. VI. c. 27. (2) Lib. LVIII. c. 19.

ſaubonus, qui in graeco Dionis textu Λαμίαν reſtituerunt; quemadmodum Caſaubuonus ipſe pro στρατιᾷ reponendum eſſe Συρίᾳ obſervavit. Itaque hic L. Aelius Lamia L. F. qui anno V. C. 756. Conſul proceſſerat, atque ab Horatio (1) celebratus fuerat, in ipſo Praefecti munere e vivis ereptus Cenſorio funere decoratus fuit.

Coſſus Cornelius Lentulus.

An. V. C. 787. *Chr.* 34.

QUamvis hic Praefectus a Seneca, ut ſuperius eſt obſervatum, non alio, quam *Coſſi* nomine deſignetur, perſpicuum tamen, certumque eſſe debet quod ad *Corneliam* gentem ſpectavit, in qua *Lentuli*, & *Coſſi* quoque, obſcuro plerumque diſcrimine, cenſebantur. Quandoquidem vero Tiberii temporibus non modo *Coſſus Cornelius* floruit, qui anno V. C. 753. Conſul fuit, & *Coſſus Lentulus Iſauricus*, qui anno V. C. 778. Conſulatum obtinuit, ſed etiam *Cn. Cornelius Lentulus Getulicus*, qui anno 779. Conſulatum geſſit, tandemque *Coſſus Cornelius Lentulus*, qui cum Nerone anno V. C. 813. Conſul proceſſit, ambiguum ſupererit, cui potius ex *Coſſis* illis Vrbanae Praefecturae dignitas concedatur. Facile tamen Glandorpio aſſentiar, ut Senecae verba de *Coſſo Cornelio Lentulo* intelligi debeant, quem Paterculus etiam ſolo *Coſſi* nomine deſignavit, (2) qui cum in Africa ſub Auguſto triumphalia ornamenta meruiſſet, atque anno V. C. 753. Conſul fuiſſet, extrema iam ſenectute a Tiberio Praefecti munere decoratus videtur.

Si ta-

(1) Carm. Lib. III. Od. 17.

(2) Lib. II. c. 116.

Digitized by Google

Si tamen haec ad Coſſum alium anni 778. Conſulem referre quis velit, nihil moror; quum ille fortaſſe ſuperioris filius, & Cn. Cornelii Lentuli Getulici frater fuerit, eius nimirum, qui adminiſtrata per decennium Germania a Caio Auguſto interemptus fuit. (1) Certe Cn. Getulicum *Cn.* ut putat Glandorpius, ſive potius, ut in Velleio, & Conſularibus Faſtis habetur, *Coſſi Cornelii Lentuli* filium fuiſſe ex perſpicuo Velleii (2) loco obſervavi, ubi cum victoriam a Coſſo in Africa partam memoraſſet ait: *Coſſus victoriae teſtimonium etiam in cognomen filii contulit*: quod ille nimirum filio *Getulici* nomen a Getulis victis impoſuit.

Eiuſmodi vero Coſſi iunioris, cui Praefecti munus adſcribi poſſe iam monui, filius fortaſſe fuit Coſſus ille, qui cum Nerone anno V. C. 813. Conſulatum obtinuit, cum is a Frontino (3) *Coſſus Coſſi filius* dicatur: quod argumento eſſe debet in ſuperioribus Senecae, aliorumque teſtimoniis *Coſſi* vocem eorum Corneliorum praenomen eſſe oportere, quamvis a Glandorpio ſemel iterumque veluti agnomen exprimatur.

✠ Sanquinius Maximus.

An. V. C. 792. Chr. 39.

PLurima, quae ab Auguſto Caio Caligula temere & inconſulto geſta ſunt, enumerans Dio (4), illud etiam memoriae prodidit quod anno V. C. 792. quo ſecundum Conſulatum ſuſceperat, Apronio quidem collegae ſuo ſex Magiſtratus menſes conceſſit, ipſe vero triceſimo Conſulatus die eiuſmodi munus dimiſit, *καὶ αὐτὸν Σαυίνιος Μάξιμος Πολιαρχῶν διεδέξατο & ipſi* *Sabi-*

(1) Dio Lib. LIX. c. 22. (2) Lib. II. c. 116. (3) De Aquaed. Lib. II. art. 149. (4) Lib. LIX. c. 13.

Sabinius Maximus tunc Vrbis Praefectus ſucceſſit. Quamvis autem in edito Dionis textu legatur Σαυΐνιος, ibi tamen Σανκυΐνιος reſcribendum eſſe obſervavit Noriſius ex Taciti (1) auctoritate, a quo Sanquinius iſte ſemel iterumque memoratur. An vero Sanquinius iſte utrumque & *Conſulis*, & *Praefecti* munus ſimul coniunxerit, vel depoſita Praefectura Conſulatum ſuſceperit, definiri non poterit. Quum tamen Conſulatus ille, quem Caio ſuffectus ſuſcepit, vix ad quintum menſem extenderetur, ſuſpicari facile poſſumus priſtinam Praefecti dignitatem a Sanquinio conſervatam fuiſſe, ut ipsa depoſito Conſulis honore iterum frueretur.

✠ Lucius Iunius Silanus.

✠ Cn. Pompeius Magnus.

An. V. C. 795. 796. Chr. 42. 43.

DVos Vrbis Praefectos hactenus ignotos hic una complector quod utrumque ſimul a Dione (2) memoratum invenerim. Etenim Scriptor ille res a Claudio Auguſto anno V. C. 794. geſtas deſcribens, praeſertim vero filiarum nuptias ab ipſo celebratas, quarum unam L. Iunio Silano, alteram Cn. Pompeio Magno deſpondit, ait τοῖς γαμβροῖς τότε τε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι, καὶ μετὰ τοῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς Ἀνοχαῖς ἐκέλευσε *Generis ſuis tum in XX. Viris magiſtratum gerere, poſt Vrbis Praefectos Feriis eſſe iuſſit*. Itaque, cum Praefecti munus Feriarum tempore adoleſcentibus etiam concedi ſoleret, ut ſuperius obſervavi, ac inferius etiam Neronis exemplo oſtendetur, vix dubito quin ado-

(1) Lib. VI. c. 4. & 7. & Lib. XI. c. 18. (2) Lib. LX. c. 5.

Digitized by Google

adoleſcentes illi duobus proximis annis 795. 796. eo munere perfuncti ſint.

✠ Nero Claudius Caeſar.

An. V. C. 805. Chr. 52.

EAdem illa Claudii Caeſaris aetate, qua duo ipſius generi L. Iunius Silanus, & Cn. Pompeius Magnus florentibus adhuc annis Vrbanae Praefecturae munere perfuncti ſunt, adoleſcens alius hoc idem Praefecti decus obtinuit. Etenim Suetonius (1) de Nerone Claudio iam Caeſare loquens ait *Auſpicatus eſt & iuriſdictionem Praefecti Vrbis ſacro, atque Latinarum*. Beroaldus Suetonii Interpres adnotavit in quibusdam codicibus legi *Praefecti Vrbis cauſa Latinarum*, in aliis *Praefecti Vrbis, atque Latinarum*, idque ſibi placere fatetur. Eiuſmodi vero Suetonii locum interpres ille ſic intelligendum eſſe opinatur ut Nero iis de rebus, quae ad Praefecti Vrbis, & Praefecti Latinarum munus pertinent, ius dicere, & iuriſdictionem exercere caeperit. Pitiſcus vero nuperrimus, atque elegans Suetonii Interpres luxatum illum Suetonii locum ita exhibuit: *Auſpicatus eſt & iuriſdictionem, Praefectus Vrbis, ſacro Latinarum*, perinde ac ſi conſtanter nitideque in ipſo Auctoris textu ſic legeretur; ac nulla prorſus in editis exemplaribus, atque codicibus lectionis varietas haberetur; cum tamen varietas illa ab Interprete indicanda, atque adhibitae emendationis ratio reddenda foret.

Ego vero nihil in Suetonii textu mutandum exiſtimo, niſi quod *Vrbis ſacrae*, pro *Vrbis ſacro* legendum

eſſe

(1) In Nero. c. 7.

Digitized by Google

eſſe coniicio. Celebre nimirum eſt Vrbem Romam a Romanis Scriptoribus aliquando *aeternam* (1), aliquando *ſacram* vocari. Hinc in veteri Lapide (2) *Vrbis ſacrae*, alibique (3) *C. V. Conſulari Sacrae Vrbis*, ſive, ut Muratorius ſupplendum exiſtimat, *Conſuli*, *Praetori Sacrae Vrbis*. Itaque eodem plane ſenſu Suetonius ipſe *Vrbem ſacram* vocavit, atque Neronem *Praefecti Vrbis ſacrae*, munus auſpicatum eſſe memoravit. Quod vero ſubdit *atque Latinarum*, veterem profecto Quiritum morem expreſſit, qui Praefectum Feriarum Latinarum tempore electum *Praefectum Vrbis Feriarum*, ſive *Praefectum Vrbi Feriarum Latinarum* vocabant. Hinc in antiquo marmore (4) legitur PRAEF. VRB. FERIARVM, itidemque in alio (5) PRAEF. VRBIS FERIARVM LATINARVM; quemadmodum prorſus a Dione Praefectus ille Πολίαρχος ἐν ταῖς Ἀνοχαῖς *Praefectus Vrbis in Feriis* vocatur. Libentius tamen in depravato Suetonii textu reſcriberem *Praefecti Vrbi Sacro Latinarum*, ut nimirum Feſtum illud, aut *Sacrum Latinarum* exprimatur, cuius tempore, & cauſſa Nero Caeſar Praefectus Vrbis electus erat. Gellius (6) ſane eadem fere Suetonii verba uſurpans Praefectum illum *Latinarum* apellat, ut ex pulcherrimo ipſius loco erudimur, in quo Praefectorum eiuſmodi inſtitutio, aetas, atque autoritas indicatur: *Praefectum Vrbi Latinarum cauſſa relictum Senatum habere poſſe Mutius negat, quoniam ne Senator quidem ſit, cum ex ea aetate Praefectus fiat, quae non ſit Senatoria. Marcus autem Varro, & Atteius Capito ius eſſe Praefecto Senatus habendi dicunt.. namque & Tribunis plebis Senatus habendi ius erat, quamquam Senatores non eſſent*. Certe Neronis Caeſaris aetas dum Praefecturam eſt auſpicatus, iuvenilis erat; cum nondum Suetonio (7)

F teſte

(1) Grut. 309. 7. (2) Grut. 432. 4. & 246. (3) Murat. p. 716. 2. (4) Mur. p. 767. 2. (5) Pag. 1057. 2.
(6) Libr. XIV. c. 8. (7) Ibi c. 8.

Digitized by Google

teſte Octaviam coniugem duxiſſet, quam Anno V. C. 806. ineunte ſextum decimum aetatis annum ingreſſus accepit; ideoque Praefecti munus ab illo ſuſceptum ad ſuperiorem annum V. C. 805. ſive Chr. 52. referri debet.

✠ Titus Flavius Sabinus I.

An. V. C. 810. *Chr.* 57.

QVum Titus Flavius Sabinus Vrbanae Praefecturae munere ſemel iterumque functus fuerit, eiuſque muneris primum ſuſcepti tempus ex eius morte, quam alteram Praefecturam gerens obivit, inferri debeat, de utriuſque Praefecturae tempore inferius ad annum Chr. 68. opportunius agendum erit.

✠ Pedanius Secundus.

An. V. C. 814. *Chr.* 61.

HUius Praefecti nomen, aetatem, miſerumque fatum ceteris Faſtorum horum Scriptoribus prorſus incognitum ex Taciti Annalibus deprehendi. Siquidem Scriptor ille res anno V. C. 814. ſive Chr. 61. geſtas deſcribens ait: (1) *Haud multo poſt Praefectum Vrbis Pedanium Secundum ſervus ipſius interfecit, ſeu negata libertate, cui pretium pepigerat, ſive amore exoleti infenſus, & dominum aemulum non tolerans.* Fuſe deinde deſcribit Tacitus plebis ſeditionem, variaſque Senatorum ſententias circa poenas, quae interfectori, ceteriſque ſub eodem tecto degentibus infligendae forent.

Titus

(1) Libr. XIV. c. 42.

Titus Flavius Sabinus II.

An. V. C. 821. Chr. 68.

ILluſtrem hunc Virum, qui Veſpaſiani Auguſti frater natu maior fuit, Vrbis Praefectura ſemel iterumque decoratum fuiſſe ex Taciti (1) Hiſtoria erudimur. Etenim cum, interempto Galba, Salvio Othoni Imperium delatum eſſe dixiſſet, ſubdit *Omnia arbitrio militum acta . . . Vrbi Flavium Sabinum praefecere iudicium Neronis ſecuti, ſub quo eandem curam obtinuerat, plerique Veſpaſianum fratrem in eo reſpicientibus;* alibique Tacitus (2) Praefectum ipſum Vitellii tempore memoravit: *Dolabella audita morte Othonis Vrbem introierat: id ei Plautius Varus apud Flavium Sabinum Praefectum Vrbis obiecit, tanquam rupta cuſtodia ducem ſe victis partibus oſtentaſſet.* Itaque, cum Sabinus ille' 19. Decembris die anno Chr. 69. pridie quam Vitellius interiret, ac Veſpaſianus Sabini frater Imperium arriperet, exſtinctus fuerit poſtquam teſte Tacito (3) Praefecturam Vrbis per annos 12. adminiſtraſſet, perſpicue apparet quod dignitatem illam anno Chr. 57. a Nerone obtinuerat, eaque a Galba Neronis ſucceſſore ſpoliatus anno Chr. 67., eandem iterum primis Othonis temporibus militum beneficio recuperavit.

Quamvis autem Praefecti munus Conſularibus plerumque Viris eo tempore concederetur, ideoque Panvinius exiſtimaverit *Titum Flavium Sabinum* Vrbis Praefectum unum eundemque eſſe oportere cum *Tito Flavio Sabino*, qui anno Chr. 69. Conſul proceſſit, optime tamen a Tillemontio (4) demonſtratur quod unus ab al-

F 2 tero

(1) Hiſt. Lib. I. c. 46.
(2) Lib. II. c. 63. 88.
(3) Lib. III. c. 75.
(4) In Othon. Nota 1.

tero diſtingui debet; ideoque Sabinus Veſpaſiani frater, ſi vere Conſularis erat, ſuffectum aliquem Conſulatum ante annum Chr. 57. geſſiſſe debuit, quo Praefecturam Vrbis ſuſcepit.

Longe difficilius eſt intelligere qua ratione Sabinus ipſe 12. annorum ſpatio Vrbanae Praefecturae honore potiri potuerit, ipſamque anno Chr. 57. auſpicari, cum anno Chr. 61. Pedanius Secundus Vrbis Praefectus, ut antea vidimus, habeatur. At fieri fortaſſe potuit ut Sabinus ille, ſicuti Galbae temporibus duodecim annorum illorum ſeriem in ordinem redactus abrupit, ita quoque Neronis temporibus anno quodam, aut aliquot anni menſibus, ceſſaverit, fortaſſe ut ſuffecti Conſulis munere fungi poſſet; quemadmodum prorſus Ti. Plautium *in eadem Praefectura Vrbis Imperator Caeſar Auguſtus Veſpaſianus iterum Conſulem fecit*, ut inferius ad annum Chr. 80. oſtendetur.

Ducennius Geminus.

An. V. C. 821. *Chr.* 68.

ETſi Contelorius huius aetatem incertam eſſe putaverit, ille tamen a Tacito perſpicue diſerteque Praefectus Vrbis Galbae temporibus appellatur. Siquidem memorat (1) quod ubi Galbae Auguſto nuncii Germanicae ſeditionis perlati ſunt, Auguſtus ipſe *adhibito ſuper Vinnium, ac Laconem Mario Celſo Conſule deſignato, ac Ducennio Gemino Praefecto Vrbis*, Piſonem Licinianum adoptavit, ſibique in Imperio ſucceſſorem deſtinavit. Itaque Ducennius extremis Galbae temporibus, ideoque exeunte anno Chr. 68. Praefectorum Faſtis

(1) Hiſt. Libr. I. c. 14.

Digitized by Google

Faſtis inſerendus erit; quemadmodum cum Conſularis eſſet a Nerone vectigalibus praefectus fuerat. (1)

Lucius Voluſius Saturninus.

Circa an. V. C. 825. Chr. 72.

PRaefecti huius nomen, longaevamque aetatem Plinius expreſſit ubi de patribus agens, qui provecta iam aetate filios procrearunt, ait: (2) *Nuper etiam L. Voluſio Saturnino in Vrbis Praefectura extincto notum eſt Cornelia Scipionum gentis Voluſium Saturninum, qui fuit Conſul, genitum poſt 62. annum;* alibique (3) ipſum memorans ait *Voluſio Saturnino Vrbis Praefecto, qui nonageſimum etiam exceſſit annum*: ubi tamen perſpicua levique mutatione legendum eſſe putaverim *qui nonageſimum tertium*. Siquidem Tacitus (4) de Voluſio ipſo loquens ait: *Lucius Voluſius egregia fama conceſſit, cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi.*

Itaque hinc apparet quod, cum Plinius Hiſtoriam ſuam anno V. C. 830. Veſpaſiano Auguſto inſcriptam, ut ipſe fatetur (5), ediderit, Voluſius ille, qui *nuper in Vrbis Praefectura extinctus* erat, ante annum 830. interiit. Apparet etiam quod Voluſius Saturninus eius filius, quem Plinius Conſulem fuiſſe teſtatur, a Q. Voluſio Saturnino diſtingui debet, qui anno V. C. 809. Chr. 56. in Conſularibus Faſtis occurrit, ſecus ac doctiſſimo Lipſio videbatur; eo enim anno L. Voluſii noſtri filius a patre ſexagenario genitus vix decimum aetatis annum ſuperabat, ideoque Conſul eſſe non poterat.

Marcus

(1) Tac. Hiſt. XV. c. 15.
(2) Lib. VII. Sect. 49.
(3) Lib. XI. Sect. 90.
(4) Annal. XIII. c. 30.
(5) Libr. XIV. Sect. 3.

Tiberius Plautius Silvanus Aelianus.

An. V. C. 833. *Chr.* 80.

INter illuſtria tanti viri merita, ſimulque honores ab illo acceptos ipſam quoque Vrbis Praefecturam fuiſſe magnificum hoc Elogium oſtendit, quod ipſi Tibure collocatum conſpicitur (1)

TI. PLAVTIO. M. F. ANiensi
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODAL. AVG.
TI. CAESARIS. LEGATO. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVDII
CAESARIS. IN BRITANNIA. CONSVLI
* * * HVNC. LEGATVM
IN HISPANIAM. AD. PRAEFECTVR. VRBIS. REMISSVM
SENATVS. IN. PRAEFECTVRA. TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVCTORE. IMP.
CAESARE AVGVSTO. VESPASIANO
* * *
HVNC. IN. EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT.

Cetera, quae eleganter adeo, diſtincteque recenſentur, nihil moror. Illud unum obſervaſſe nunc iuverit quod anno V. C. 834. Ch. 81. Titi Veſpaſiani Auguſti poſtremo *ſecundus* Ti. Plautii Silvani Conſulatus in Faſtis

(1) Grut. pag. 453. 1.

ſtis occurrit; ideoque, ſi *hunc in eadem Praefectura Vrbis Imper. Caeſar Auguſtus Veſpaſianus iterum Conſulem fecit*, nimirum in proximum, ut videtur, annum deſtinavit, Praefecti munus anno Chr. 80. geſſiſſe ille debuit, cum iampridem anno V. C. 796. Chr. 43. Claudii Caeſaris in Britannica expeditione comes fuiſſet. Obſervari etiam poterit quod, licet in Faſtis *T. Plautius* vocetur, longe tamen gravior Marmoris auctoritas eſſe debet, in quo *Ti. Plautius* M. F. addito Tribus *Anienſis* nomine appellatur.

Pegaſus.

An. V. C. 833. *Chr.* 80.

PEgaſum hunc Veſpaſiani, ſimulque Domitiani temporibus Vrbi praefuiſſe perſpicue diſerteque legitur in Digeſtis (1) ubi praeclaris Civilis Iuris Interpretibus ordine recenſitis dicitur *Proculo ſucceſſit Pegaſus, qui temporibus Veſpaſiani Praefectus Vrbi fuit*. Ipſum vero proximis etiam *ultimi Flavii*, hoc eſt Domitiani, quem populus *Neronem calvum* vocavit, temporibus eodem munere maxima cum laude perfunctum eſſe teſtatur Iuvenalis (2)

Cum iam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Vltimus, & calvo ſerviret Roma Neroni
. . . . *Rapta properabat abolla*
Pegaſus attonitae poſitus modo Villicus Vrbi.
Anne aliud tunc Praefecti? quorum optimus, atque
Interpres Legum ſanctiſſimus omnia, quamquam
Temporibus diris, tractanda putabat inermi
Iuſtitia.

Itaque,

(1) Lib. I. Lege 2. §. ult. de orig. Iuris. (2) Sat. IV. ver. 37. 76.

Itaque, cum ex integro Satyrae contextu facile inferri poſſe videatur haec primis fere Domitiani temporibus contigiſſe, Pegaſi Praefectura Veſpaſiano adhuc ſuperſtite incepta ad annum uſque V. C. 838. Chr. 85. extendi poterit, circa quem Caius Rutilius Gallicus ipſi, Domitiano adhuc per decem annos ſuperſtite, in Praefectura ſucceſſit.

Ceterum qui plura de Praefecto Pegaſo audire velit Satyrici Interpretes adire poterit, quorum antiquior aſſerit ipſum Trierarchi cuiusdam filium fuiſſe, atque ex Pegaſo ipſius trieris nomine, ſeu paraſemo *Pegaſi* nomen accepiſſe.

✠ Caius Rutilius Gallicus Valens.

Circa an. V. C. 838. *Chr.* 85.

GAllici nomen, ac Vrbanae Praefecturae dignitas ipſi collata ſolo Iuvenalis, ac Statii teſtimonio nobis innotuit. Etenim Satyricus (1) ille ſcelera aſſidue Romae perpetrata acerbe deſcribens ait

Haec quota pars ſcelerum, quae cuſtos Gallicus Vrbis
Vſque a lucifero, donec lux occidat, audit.

Vetus quidem Iuvenalis Scholiaſtes hic *Praefectum Vigilum* indicari putavit, qui tunc a Romanis inſtitutus fuit quum Capitolium a *Gallis* occupatum foret, eaque de cauſſa *Cuſtodem Gallicum* appellatum eſſe coniecit. Britannicus tamen, Curio, ceterique Iuvenalis Interpretes id de ſolo *Vrbis Praefecto* intelligi poſſe arbitrantur, qui a Seneca, aliiſque etiam Scriptoribus *Cuſtos Vrbis* vocatur. Itaque Rutilium Gallicum hic deſignatum eſſe coniiciunt, qui Domitiani Caeſaris aetate Praefecti Vrbis munere perfunctus

(1) Saty. XIII. ver. 157.

ctus fuerit. Henninius vero de Rutilio Numatiano hic agi ſuſpicatur, qui ſub Domitiano Caeſare Vrbanam Praefecturam geſſerit; cumque Rutilius origine Gallus foret, a Poeta *Gallicus* appelletur. Quo certe loco Interpres iſte mire decipitur, cum *Cl. Rutilius Numatianus*, ut opportunius alibi demonſtrabitur, dignitatem illam circa annum Chr. 414. Theodoſii iunioris temporibus occupaverit, eamque Decio Aginatio Albino ſucceſſori reliquerit.

Itaque Gallicus alius inquirendus erit, qui Iuvenalis aetate Vrbanam Praefecturam obtinuerit. Quandoquidem vero Iuvenalis ipſe tertio Adriani Caeſaris anno, nimirum Chr. 119. Satyras edidiſſe, ac obiiſſe dicitur (1), incertum plane foret quo potius anno Gallicum ipſum Romae imperantem deſcripſerit, ideoque Vrbanae Praefecturae tempus accurate definiri non poſſet. Cum tamen eiusdem, ut videtur, Gallici Vrbis Praefecti meminerit Statius, qui poſtremo Domitiani Caeſaris anno, hoc eſt V. C. 849. ſive Chr. 96. ſupremum diem obiit, dubitari certe non poterit quin Gallicus ipſe ante Domitiani mortem Vrbi praefuerit. Certe Statius (2) dum reſtitutam Gallico ſalutem gratulatur, Germanicum, hoc eſt Domitianum ipſum, alloquens ait

. . . . . . dubitataque ſidera cernit
Gallicus . . erubuit tanto ſpoliare miniſtro
Imperium fortuna tuum . . . . . .
Quippe manet, longumque aevo remanente manebit
Quem penes intrepidae mitis cuſtodia Romae

quemadmodum Gallicus ipſe a Statio *proxima cervix ponderis immenſi* vocatur, ut nimirum exprimatur ipſum Domitiano Caeſari poteſtate, atque honore proximum fuiſſe. Perſpicuis notis iſtis oſtenditur quod Gallicus ipſe,

(1) Dodvel. in Annal. Quintil.

(2) Syl. Lib. I. Car. 3. ver. 1. & 15.

ipſe, quem in *Soteriorum* titulo *Rutilium Gallicum* Statius appellat, Domitiano imperante Praefecti munus obtinuit. Quum vero Statius ipſe mox dicat quod nuper Tarentini, vel Seculares Ludi celebrati fuerant, incolumitas Gallico Vrbis Praefecto anno V. C. 841. reſtituta fuit, quo Ludos Seculares, aut Tarentinos a Domitiano celebratos eſſe erudimur. (1) Itaque Rutilius Gallicus, qui iam Praefecti munere fungebatur, ante annum illum, ſive Chr. 88. dignitatem ipſam auſpicari debuit; ut proinde facile circa annum Chr. 85. Praefectorum Faſtis inſcribi poſſit, poſtquam Pegaſus Domitiani initio, ideoque anno Chr. 81. ſuperſtes exceſſerat.

Poſtremo addidiſſe iuverit quod C. Rutilius Gallicus Valens Vrbis Praefectus facile alterius C. Rutilii Gallici nepos fuit, qui anno Chr. 52. una cum Claudio Vipſanio Gallo Conſul fuit.

Titus Aurelius Fulvius.

Circa an. V. C. 843. *Chr.* 90.

HIſtoriae Auguſtae ſcriptor Capitolinus de Antonini Pii (2) maioribus loquens aſſerit quod eius *avus Titus Aurelius Fulvius per honores diverſos ad ſecundum Conſulatum, & Praefecturam Vrbis pervenit*. Ergo, ſi Scriptor ille eos honores eodem prorſus, ut videtur, ordine numeravit, quo Aurelius Fulvius ipſos ſuſceperat, ideoque Titus Aurelius poſt ſecundum Conſulatum Praefecti munus obtinuit, cum anno V. C. 842. Chr. 89. ſecundo Conſul proceſſerit, facile inſequentibus annis, Rutilio Gallico vel defuncto, vel amoto, Praefecti

(1) Suet. in Domit. c. 4. Cenſorinus. Vid. Tillem. in Domit. Art. 13. (2) In Antonino Pio c. 1.

fecti munere decoratus fuit , poſtquam Antoninus Pius ipſius nepos , ac Imperator futurus anno V. C. 839. in lucem editus fuerat.

Anianus

Cir. an. V. C. 853. *Chr.* 100.

VRbis Praefecti , quos hactenus recenſuimus , partim ex Marmoribus , partim etiam ex profanis Scriptoribus affulſere . Quandoquidem vero Praefectorum Vrbis mentio frequenter etiam in ſacris Scriptoribus , praeſertim vero in antiquis Martyrum Actis occurrit , illos etiam inquirere , & Praefectorum Faſtis inſerere profecto decet , qui in ſacris eiuſmodi monumentis , quae ſincera fuerint , memorentur. Horum primus facile videretur *Marcus* ille , qui Domitiani Caeſaris aetate in Actis (1) SS. Nerei , Achillei , Domitillae nominatur , ubi Marcellus quidam memoratur , qui *Marci Vrbis Praefecti filius* vocatur . Quum vero Acta illa vel minus ſincera , vel imterpolata videantur , hic Marcus a vera Praefectorum Serie excludendus erit ; niſi fortaſſe Lucio Annio Vero Vrbis Praefecto , de quo inferius ad annum Chr. 122. acturi ſumus , *Marci* praenomen cum pleriſque Scriptoribus concedatur .

Itaque ex indubiis, certiſque Praefectis ipſis agmen ducat Anianus ille , qui primis Traiani Auguſti temporibus Praefecti munere functus fuit . Etenim in Romano Martyrologio (2) ubi de *Serviliani* , ac *Sulpicii* , ſive , ut in eius Actis legitur , *Simplicii* , martyrio agitur , perſpicue dicitur quod *illi Praefecto Vrbis Aniano ca-*

(1) Acta Sanc. die 12. Maii. (2) Ad diem 20. Apr.

no capite caeſi ſunt. Hinc Anianus ipſe ante annum Chr. 117. quo Traianus interiit, & poſt annum 98. quo imperare ille caeperat, Praefecti munus obivit: neque cum *Annio Vero* confundi ille poterit, qui nonniſi ſexto Hadriani Auguſti anno, nimirum Chr. 123. Praefecturam Vrbis inire potuit.

✻ Quintus Glitius Atilius Agricola.

Cir. an. V. C. 803. *Chr.* 110.

IN Academia Taurinenſi (1) quinque Latinorum Marmorum, unicique Graeci fragmenta reperiuntur, in quorum ſingulis illuſtria Glitii Atilii munera recenſentur, atque in ipſorum poſtremo Vrbana quoque Praefectura ab eo ſuſcepta memoratur. Poſtquam enim in Marmoribus aliis indicatum fuerat quod ipſe *divi Veſpaſiani Quaeſtor*, *Imp. Caeſ. Narvae Traiani Legatus*, *Propraetor*, *Conſul II.* fuit, in poſtremo legitur *COS. II. VIIViro Epulonum*, *Sodali Auguſtali*, *Praef. Vrbis*. Itaque dubitari non poterit quin Glitius iam inde a Veſpaſiani temporibus per varios honorum gradus ſub Veſpaſiano, eius filiis, ac Nerva, tandemque ſub Traiano ad ſecundum Conſulatum, ſuffectum tamen, evectus ipſo quoque Vrbanae Praefecturae munere decoratus fuerit.

Quandoquidem vero Praefecti nomen in una ſolum, atque, ut videtur, omnium poſtrema Inſcriptione indicatur, opinari facile poſſumus quod ſupremam hanc dignitatem Traiani ſolum temporibus, Dacico bello anno Chr. 105. iam confecto, obtinuerit: ut proinde eius nomen circa annum Chr. 110. in Praefectorum Serie collocari poſſit.

Quam-

(1) Mur. pag. 310. 1. 2. 3. pag. 311. 1. 2.

Quamvis autem in Graeci Marmoris laciniis, quod inter Taurinenſia exhibetur (1), nihil omnino ad Vrbanam Glitii Praefecturam attinens exſculpi poſſit, iuverit tamen ipſum hic obiter explicare cum ab Interpretibus perperam expoſitum fuerit

- - - - ΚΟΙΝΤω

- - - - ΑΤΕΙΛΙω

- - - - - - - - - -

- - - - - - - - - -

VΛΙΦΙΛΗ ΠΙCΤΗ ΚΑΙ CΥΝΙ

- - ΤωΝ ΑΝΕΙΚΗΤωΝ ΡΟΜΑΙωΝ

ΠΑΤΡωΝΙ

Interpretes illi putarunt legendum eſſe *καὶ φιληπιςῃ*, atque eiuſmodi voce, velut epitheto, deſignari Glitium Atilium *fidei amantem virum* fuiſſe, ideoque tandem ob praeclara virtutum, rerumque geſtarum merita *invictorum Romanorum Patronum* vocari. Sed quis aperte non videat eiuſmodi titulum non a Romanis, aut ab ulla Italiae Civitate, ſed a Graecarum Vrbium aliqua excitatum fuiſſe, quae in Glitii tutela foret, ipſumque veluti *Patronum* veneraretur? Itaque in fragmento, quod excidit, *Civitas* illa nominabatur, moxque Civitas ipſa *amica*, *fidelis*, *ſocia invictorum Romanorum* dicebatur; ideoque in tertio ex ſuperſtitibus verſibus ubi laciniae CYNI... reperiuntur, nihil opportunius ſuppleri, vel legi poterit, quam CYMMAXOC. Hermes.

(1) Marm. Taur. Tom. I. pag. 185.

Hermes.

Cir. an. V. C. 869. Chr. 116.

EXtremis Traiani Auguſti temporibus Praefectorum Faſtis inſerendus eſſet hic Hermes, ſi vulgata S. Alexandri Papae & Martyris Acta (1) ſequeremur. Etenim in Actis illis legitur quod Alexander ipſe in carcerem coniectus plurimos ad Chriſti fidem convertit, & etiam *Praefectum Vrbis* Hermen baptizavit... *cum haec ad Traianum Principem perveniſſent, miſit Aurelianum Comitem utriuſque militae de Seleucia Iſauriae ad interfectionem omnium Chriſtianorum: unde nutu Dei eodem anno defunctus eſt Traianus*. Mox in Actis illis aſſeritur quod omnes, qui a S. Alexandro baptizati fuerant, *Aurelianus Praefectus navi vetuſtae impoſitos in altum deduci, & illic ligatis ad collum lapidibus mergi praecepit* (2) quod iisdem fere verbis in Martyrologio Romano memoratur. Hinc Contelorius inter Vrbis Praefectos non modo ad annum Chr. 132. Hermetem, qui certe in Actis illis iterum tertioque *Praefectus Vrbis* vocatur, ſed ipſum quoque *Aurelianum* circa annum 125. ex aliquorum ſententia recenſet.

Praefecti vero munus ab Hermete ſuſceptum, ſimulque martyrii palmam ab illo tunc temporis partam vetuſto Marmore Romae poſito Contelorius confirmavit, in quo Reliquiae in Aede S. Pudentianae ſervatae recenſentur

Martyris & Papae Felicis honore ſecundi,
Nec minus Hermetis Praefecti Martyris Vrbis

Itaque, ſi Acta illa, ut Henſchenius exiſtimavit, *ſinceriſſima* forent, non Aurelianus quidem, qui in Actis

(1) Die 3. Maii. (2) Die 10. April.

Digitized by Google

Actis ipſis modo *Iudex*, modo *Princeps*, modo *Imperator*, modo *utriuſque militiae Comes*, minuſque accurate *Praefectus* vocatur, ſed Hermes ſolum ad annum Chr. 117. quo Traianus interiit, & ante annum 119., tertium nempe Adriani, ut teſtatur Euſebius (1) quo S. Alexander occiſus eſt, in Praefectorum Serie numerandus eſſet.

Baronius tamen, Pearſonius, atque omnium maxime Tillemontius (2), qui Acta ipſa ſubtiliter, atque accurate exploravit, plurima in iis ſuppoſitionis indicia deprehendit, eademque ſerius circa VII. Eccleſiae ſeculum conſcripta putavit, ut a Beda legi, atque exſcribi potuerint. Quamvis autem ex variis argumentis, quae a Tillemontio proponuntur, pleraque explicari vel dilui fortaſſe poſſint, illud tamen perſpicuum certumque eſſe debet quod extremis Traiani, primiſque Adriani temporibus Praefecti munus a Baebio Macro gerebatur, ut mox oſtendetur; ideoque Hermeti non Romano, ut videtur, ſed Graeco viro in Praefectorum Faſtis locus eſſe non poterit. Hinc Hermes ille, qui in Marmore nominatur, vel ex depravatis ſolum, atque interpolatis Actis affulſit, vel potius ſequioribus ſolum temporibus Praefecti munere perſungi potuit.

Neque tamen aperte, ac praefidenter negaverim quin fortaſse uno eodemque anno tum Baebius Macer, tum Hermes etiam Praefecti munus obire potuerit, ut pluribus exemplis aliis opportune proferendis conſtabit. Certe in alio quoque Marmore, quod a Donio (3) profertur, & in quo Reliquiae in S. Alexii templo poſitae recenſentur, legitur COSME ET DAMIANI EVTICHII ERMETIS PREFECTI ET ALIORVM SANCTORVM; ideoque demonſtratur quod haec opinio

(1) Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 5. (2) Hiſt. Eccl. Tom. II. pag. 238. & 591. (3) Claſ. XX. num. 86.

nio de *Hermetis* Praefectura apud Romanos iam recepta; conſtanterque conſervata fuerat. Ac ne quis temere ſuſpicetur Hermetem illum, qui Romae colebatur, fortaſſe Praetorio Praefectum fuiſſe, obſervari maxime velim, quod in Actis antea laudatis, ex quibus haec opinio, & ſacer Hermetis cultus profluxit, *Hermes Praefectus Vrbis* ſaepius vocatur: idemque prorſus in alio Marmore in S. Pudentianae poſito exprimitur.

Baebius Macer.

An. V. C. 870. *Chr.* 117.

POſtremis ipſis Traiani Caeſaris Auguſti temporibus, ſimulque ineunte Adriani Imperio Baebium Macrum Vrbi praefuiſſe Spartianus (1) oſtendit ubi de Adriano ipſo loquens ait: *Tantum ſtatim clementiae ſtudium habuit, ut eum ſub primis Imperii diebus ab Tatiano*, qui Adriani Caeſaris tutor fuerat, *per epiſtolas eſſet admonitus ut & Baebius Macer Praefectus Vrbis, ſi reniteretur eius imperio, necaretur... neminem laederet*. Eiuſmodi vero Spartiani, vel Tatiani verbis innuitur ipſum quoque Vrbis Praefectum, quamvis eximia ac ſuprema fere poteſtate fungeretur, interimendum eſſe, ſi Auguſto nuper electo adverſaretur; non vero quod Baebius Macer iis moribus, atque audacia fuerit, ut id facinoris audere poſſet. Etenim Plinius ſecundus qui plures Epiſtolas ad Baebium ipſum dedit, egregias eius laudes accurate memorat, cum praeſertim Hiſpaniam, ac Dalmatiam, quas Provincias regendas ſuſceperat; integre, ſancteque adminiſtraverit. Itaque Adriano quoque Auguſto probatus eodem ipſo Praefecti munere ſub illo functus videtur.

* Lucius

(1) In Adria. c. 5.

Digitized by Google

✠ Lucius Fulvius Aburius Valens.

An. V. C. 861. Chr. 118.

HVius Praefecti nomen, atque annus, quo munus illud obtinuit, perſpicue diſerteque in Gudii (1) Marmore memoratur.

L. FVLVIO. C. FIL. POPIN.
ABVRIO. VALENTI
PONTIFICI. PRAEFECT.
VRBI. FERIAR. LATINAR.
FACTO. AB
IMP. HADRIANO. AVG. II. COS.
III. VIRO. A. A. A. F. F. QVAEST. AVG.
TRIBVNO. PLEBIS. DESIGNATO
CANDIDATO. AVG.
EQ. PVBL.
C. L.
D. D.

Marmor ipſum Florentiae poſitum Muratorius (2) ex Gorio accuratiſſime expreſſit; ideoque Fabretti coniecturam refutavit, qui in ſeptimo verſu legendum putaverat A. RA. F. F. *a rationibus Fiſci Frumentarii*: poſtremas autem ſiglas ſic explicaverim *Conceſſus Locus Decreto Decurionum*.

Si Fulvius ille Praefectus Vrbis ab Hadriano Auguſto iterum Conſule factus dicatur, ut Gorius exiſtimavit, eius nomen Praefectorum Faſtis anno Chr. 118. inſe-

(1) Pag. 99. 5. Vid. Mar. Taur. Tom. I. pag. 185. Fabr. Cl. X. n. 33. p. 677. (2) Pag. 704. 1.

118. inſerendum erit, quo Hadrianus ipſe ſecundo Conſul proceſſit. Sin vero potius exprimatur quod Aburius ipſe *bis Conſul* fuit, licet uterque ex Conſulatibus illis ſuffectus fuerit, ideoque Aburii nomen in Faſtis minime reperiatur, ſemper tamen Vrbana ipſius Praefectura ad eadem Adriani Auguſti tempora referri debebit.

✻ Aulus Gabinius Priſcus.

Circa an. V. C. 873. *Chr.* 120.

HOc illuſtre Marmor a Gudio exhibetur (1)

A. GABINIVS. M. F. QVIR. PRISCVS
V. C. VIR A. A. A. F. F. QVAESTOR
AB. AERARIO. SATVRNI. TRIBVNVS
MIL. BIS. PRAEF. PRAETOR. ET PRO
PRAETOR. IN. ILLYRICO. PRAEF. VRBI
PROPRAETOR. PROVINCIAE. ACHAIAE
* * * * * *
AB. IMP. CAESARE. HADR. ELECTVS IN
TER. FAMILIAM. PATRICIAM.. XV.
VIR. STLITIBVS. IVDICANDIS. ET. PROCVR.
XX. HERED.

Ex integra Marmoris huius ſerie apparet quod Praefectus ille Adriani Caeſaris aetate floruit, ideoque vel extremis Traiani, vel potius primis Adriani tem-

(1) Pag. 125. 6.

temporibus Vrbanae Praefecturae munere ſungi ille debuit; ideoque commode circa annum Chr. 120. Faſtis inſcribi ille poterit. Ceterum perſpicue apparet in ſecundi verſus initio legendum eſſe IIIVIR, ſive, ſi iis temporibus *Viri Clariſſimi* titulus iam obtinuerat, V. C. IIIVIR.

✠ Lucius Gabinius Venuſtus.

Cir. an. V. C. 874. *Chr.* 121.

Alterius Praefecti nomen, qui eadem ipſa Hadriani Caeſaris aetate vixerit, in alio Gudii lapide reperitur (1)

L. GABINIVS. M. F. STEL. VENV...S
CANDIDATVS. CAES.... PRAETOR
ET. PROTRIB..... IMP.
TRAIANI. HADRIANI.....
IIII. VIR. VIARVM. CVRAND....
ET. CVRATOR. RR. TIBER....
VII. VIR. EPVLON.....
PRAEF. VRBI. ET ITER. CVRAT....

Itaque Gabinii Praefecti nomen Hadriani Caeſaris aetate in Praefectorum ſerie recenſendum erit; ſimulque variae dignitates ab illo ſuſceptae intelligentur, quod nimirum *IIII. Vir viarum curandarum* fuerit, ſemel iterumque *Curator Riparum Tiberis, VII Vir Epulonum*, poſtquam militares etiam honores ſortitus fuerat.

(1) Pag. 125. 5.

Lucius Annius Verus.

Cir. an. V. C. 875. *Chr.* 122.

CApitolinus (1) de praeclaris M. Aurelii Antonini maioribus diſſerens ait quod eius avus fuit *Annius Verus iterum Conſul*, & *Praefectus Vrbi*, *adſcitus in Patricios a Principibus Veſpaſiano*, & *Tito Cenſoribus*. Haec ipſa Annii Veri Praefectura a Dione quoque memorata fuit. Quamvis enim in Xiphilini textu ille χιλιαρχήσας *Tribuni munere functus* dicatur; facile tamen Caſaubono duce reſcribi ibi poterit Πολιαρχήσας, ut *Poliarchi*, vel *Vrbis Praefecti munere functus* intelligatur. Quandoquidem vero ſecundus L. Annii Veri conſulatus in annum V. C. 874. Chr. 121. incidit, ſi proxime poſt dignitatem illam Praefecti munus obtinuit, Praefectura illa ad proxime ſequentem annum Chr. 122. referri poterit.

Praefectum ipſum in Gruteriano Marmore (2) memorari optime Contelorius exiſtimavit, & ea quoque de cauſſa Marmor ipſum ſubieciſſe nunc libet ut errores, qui in primis verbis irrepſerant, emendentur.

C. LVCCIVS. C. F.
STEL. SABINVS
BENEVENTI. DECVRIO
VIVVS. SIBI. ET. GELLIAI
PARATAI. VXORI. ET. LVCCIO
VERECVNDO. FRATRI. POSTERIS
SVIS. FECIT. MILITAVIT. IN. COH
OR. VRB. ADIVT. TRIBVN. ORFIT.
SECV-

(1) In M. Aur. c. 1. (2) Pag. 431. 9.

SECVTOR. OPTIO. VALETVDI. OPTIO
ARCARIS. SINGVLARIS. BENEF.
TRIBVN. QVAESTIONIB. FACTVS. PER
ANNIVM. VERVM. PRAEF. VRBIS. ET
TESSERARIVS. OPTIO. SIGNIF. FISCI
CVRAT. OPTIO. AB. ACT. CORNICVLVS
TRIB. BENEF. VVLTEI. ASIATIN. PRAEF.
VRB. MISSVS. AB. IMP. HADRIANO. AVG.
SERVIANO. III. VIBIO. VARO. COS. BR. VIA
MAI ERVTIO. CLARO II. COS. IN. F.
P. XX. IN. AGR. P. XX.

Cum anno Chr. 146. *Cn. Claudius Severus* una cum *Erutio Claro II.* Conſul in Faſtis occurrat, facile videretur hic indicari C. Luccium vita functum fuiſſe, vel viventi ſibi monumentum ſtruxiſſe V. KA. MAIas. Sed, cum verba ſingula mire depravata ſint, hariolari non decet. Accedit etiam quod ſi vel Luccius, vel haeres poſtremam Epigraphae partem poſt MILITAVIT Marmori inſculpendam curaſſet anno 146. facile Hadriani iam defuncti nomini *Divi* titulum adiecisſet. Quod enim integra haec Epigraphe variis temporibus concinnata fuerit ex alio Marmore deprehendi poteſt, quod in eadem ipſa Beneventi Vrbe non *in caupona* quadam, ſuperioris inſtar, ſed in Eccleſia S. Feſti, poſitum memoratur, atque a Gorio, (1) moxque Muratorio (2) editum fuit

C. TVCCIVS C. FIL. STELL. SA
BINVS BENEVENTI DECVRIO
VIVVS SIBI, ET OFILLIAE
PARATAE VXORI ET TVCCIO

VERE-

(1) Inſcr. Etr. Tom. II. Pag. 191. (2) Pag. 1032. 7.

VERECVNDO FRATRI
POSTERISQ. SVIS FECIT

Quis hic aperte non videat, ut varietatem in efferendis nominibus diſſimulem, integrum titulum haberi, cui deinde altera Epigraphes pars vel in eodem, vel diſtincto Marmore adiecta fuerit? Hinc aliquando ſuſpicabar lacinias illas BR. VIA MAI ERVTIO &c. in prioris Epigraphae fine exaratas antea fuiſſe ut annus exprimeretur, quo Tuccius vivus monumentum ſibi, uxori, fratri, poſteriſque fecit; cumque eo iam defuncto pars alia in novo Marmore adiicenda foret, aliique Conſules in illa exprimendi, imperitus ſculptor Conſulem Erucium ex prioris fine ad poſterioris calcem tranſtulerit, ac temere Conſulum aliorum nominibus adiecerit.

Coronidis autem loco addidiſſe iuverit quod recentiores omnes Faſtorum Scriptores Annio Vero vel *Marci*, vel *Auli* praenomen concedunt. Blanchinus unus, quem ſequimur, ipſum *Lucium* appellat Marmoris antiqui praeſidio, quod a Cupero in Praefatione ad Almelovenii Faſtos profertur.

✠ Vulteius Aſiatinus.

Cir. an. V. C. 886. *Chr.* 133.

Mirari certe quis poterit quod Contelorius ex ſuperiori Marmore, quod ad annum 122. expoſui, Annium quidem Vrbis Praefectum exſculpſerit, hunc vero Vulteium Aſiatinum, qui tamen perſpicue, diſerteque in eodem ipſo Marmore memoratur, prorſus omiſerit. Quandoquidem vero Luccius ille, qui *Beneficiarius Vultei Aſiatini Praefecti Vrbis* fuerat, Serviano III. & Vibio Varo Conſulibus, hoc eſt anno 134.

hone-

honeſta miſſione donatus dicitur, manifeſte apparet quod eiuſmodi Vulteii Praefectura inter annum 122. circa quem L. Annius Verus Vrbi praefuit, & annum 133. quo C. Luccii militia deſiit, incidiſſe debuit.

Marcus Aurelius Antoninus.

An. V. C. 889. *Chr.* 136.

QVandoquidem in hac Praefectorum Serie illos etiam recenſendos putavi, qui ſolo Feriarum Latinarum tempore Vrbi praefuerunt, ceteris Praefectis illis M. Aurelius Antoninus Antonini Pii filius, ac in Imperio ſucceſſor, Druſi, ac Neronis inſtar, accenſendus erit. Etenim Capitolinus in eius Vita (1) teſtatur quod ille *virilem togam ſumpſit quintodecimo aetatis anno; nec multo poſt Praefectus Feriarum Latinarum fuit*. Itaque, cum M. Aurelius anno Chr. 121. in lucem editus fuerit, Praefecti munus ab illo ſuſceptum facile ad annum Chr. 136. referri poterit.

Lucius Catilius Severus.

An. V. C. 891. *Chr.* 138.

VAriam Catilii Severi fortunam, ſimulque plures honores ab illo ſuſceptos Capitolinus, & Spartianus memorarunt. Etenim Capitolinus (2) de M. Aurelii maioribus loquens ait *Marco Antonino proavus maternus* fuit *Catilius Severus bis Conſul, & Praefectus Vrbi*, & Spartianus (3) aſſerit quod primo Adriani Caeſaris an-

(1) Cap. I. (2) In M. Anto. Philoſ. c. 1.
(3) In Adri. c. 5.

ris anno Catilius Severus Syriae Praeſes erat. In Conſularibus autem Faſtis ad annum Chr. 120. Adriani Auguſti quartum Catilii Conſulis nomen occurrit, ut proinde facile Traiani temporibus ipſe Conſulatum alium aliquo ex ſuperioribus annis ſuffectus geſſerit; cum certe in Idacii Faſtis anno 120. Conſul II. dicatur. Itaque poſt ordinarium Conſulatum, ac Vulteii Aſiatini finem Catilius Severus Vrbanae Praefecturae munere ab Adriano decoratus videtur, eoque munere anno Chr. 138. fungebatur, quo Adrianus ipſe 25. Februarii die Antoninum Pium adoptavit. Siquidem Spartianus (1) de adoptione ipſa diſſerens ait: *Antonini adoptionem plurimi tunc factam eſſe doluerunt, ſpeciatim Catilius Severus Praefectus Vrbis, qui ſibi praeparabat Imperium. Qua re prodita, ſucceſſore accepto, dignitate privatus eſt.*

Illud autem hic obiter obſervandum quod Catilius hic ab Hadriano Auguſto, Spartiano teſte, Syriae praepoſitus fuerat; quod etiam ex Muratorii Marmore apparet (2), in cuius fine legitur

Ἐγένετο ἐν τῇ λαμπροτάτῃ Θυατιρηνῶν πόλει Ἀντυπάτῳ Κατιλλίῳ Σεβήρῳ.

Actum fuit in ſplendidiſſima Thyatirenorum Vrbe ſub *Proconſule Catilio Severo.*

✠ Marcus Poblicius Modeſtus.

Cir. an. V. C. 893. *Chr.* 140.

IN Gudiano Marmore novum hoc Praefecti nomen occurrit (1)

M. POBLICIVS. Q. F. ESQ.
MODESTVS
ANTONIN. PII. AVG. PRAEF.

KAS.

(1) In Adri. c. 23. (2) Pag. 320. 2.

Digitized by Google

KASTRENS. PRAEF. VRB.
CVRATOR. VIARVM. ET. CLOACAR.
VRB. ET. RR. TIBER.

Poblicium hunc Antonini Pii temporibus floruiſſe, facileque ſub ipſo, non autem ſub Adriano, Praefecti honore decoratum fuiſſe conſpicimus. Itaque Vrbanae Praefecturae munus ab illo ſuſceptum ad annum Chr. 140. circiter revocandum erit.

Sextus Erucius Clarus.

Cir. an. V. C. 899. Chr. 146.

IN Conſularibus quidem Faſtis, in Legibus, ac Marmoribus etiam huius *Erucii* tanquam *Conſulis* nomen ſaepius occurrit, cum anno Chr. 146. Conſul II. proceſſerit poſtquam Conſulatum alium ſuffectum anno 116. geſſiſſet. Vrbani tamen Praefecti dignitas ab eo ſuſcepta ſolo Auli Gellii teſtimonio nobis affulſit ubi ille de veteris proverbii ſenſu *inter os, & offam* differens ait: (1) *Erucius Clarus, qui Praefectus Vrbi, & bis Conſul fuit, vir morum, & litterarum veterum ſtudioſiſſimus, ad Sulpicium Apollinarem ſcripſit hominem memoria noſtra doctiſſimum quaerere ſeſe, & petere ut ſibi reſcriberet quaenam eſſet eorum verborum ſententia*. Itaque perſpicue certoque apparet quod Erucius ipſe morum honeſtate, ac doctrinae gloria commendatus aliquando Vrbi praefuit; cumque anno 146. ſecundi Conſulatus honorem acceperit, circa annum illum Praefectorum Faſtis inſcribi poterit.

(1) Lib. XIII. c. 16.

Sergius Cornelius Scipio Orſitus

Cir. an. V. C. 903. *Chr.* 150.

ORſitum quendam Antonini Pii temporibus Vrbanae Praefecturae munere perfunctum eſſe Capitolinus (1) oſtendit, qui de maxima eius Auguſti clementia, & aequitate loquens ait *Succeſſorem viventi bono Iudici nulli dedit, niſi Orſito Praefecto Vrbis, ſed petenti*.

Quum vero tot Orſiti iis etiam Antonini Pii temporibus tum in Scriptoribus, tum in Marmoribus memorentur, quis definire unquam poterit cuinam Orſito Vrbanae Praefecturae munus obtigerit? Quum tamen Antonini Pii aetate Vrbani Praefecti dignitas Conſularibus plerumque Viris concedi ſoleret, atque in Conſularibus Faſtis *Sergius Scipio Orſitus* anno Chr. 149. Conſul occurrat, nihil veriſimilius cenſeri poteſt, quam hunc ipſum primis Antonini Pii temporibus Vrbis Praefectum fuiſſe; cumque longaeva iam aetate premeretur, ideoque ab Auguſto miſſionem peteret, ipſi ſucceſſorem ab humaniſſimo Principe conceſſum eſſe.

Quod ſi Orſitus iſte Antonini Pii temporibus floruit, excuſari certe non poterit graviſſimus Contelorii error, qui ad Orſitum hunc a Capitolino memoratum tria Gruteri Marmora revocavit, in quibus *Memmius Vitraſius Orſitus* Praefectus Vrbis occurrit. Siquidem poſtremum ex Marmoribus illis *Cl. Iuliano nobiliſſimo, ac fortiſſimo Caeſari* dicatum fuit; ideoque ducentis, & quod excurrit annis poſt Antonini Pii mortem poſitum fuit. Cetera au-

(1) In Ant. Cap. 8.

ra autem Marmora facile iisdem ipſis Iuliani Apoſtatae temporibus, aut non multo prius excitata ſunt, cum ipſorum unum *Apollini Sancto* dicatum ſit, in altero *Pontifex Solis* memoretur, ac in utroque *Comitis ordinis primi*, *Comitis Ordinis ſecundi* titulus habeatur; eademque in Comitibus Ordinum varietas ſolis Conſtantini M. temporibus inſtituta fuerit, ut optime Cuiacius exiſtimavit.

Valeſius (1) tamen *Comites* illos, ipſorumque ordines longe Conſtantino M. antiquiores eſſe putavit, cum in hoc Reineſii (2) Marmore memorentur

M. NVMMIO. ALBINO V. C.
QVAESTORI. CANDIDATO
PRAETORI. VRBANO. COMITI
DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. ET
CONSVLI. ORDINARIO. ITERVM
NVMMIVS. SECVNDVS. EIVS F.

Itaque, concludit cum Reineſio Valeſius, cum hic Nummius Albinus an. Chr. 256. in Praefectorum Faſtis ab Anonymo memoretur, ac Albini nomen anno 246. & 263., & quidem addita iterati Conſulatus nota, in Conſulum Faſtis occurrat, ac iteratus ille Albini Conſulatus nullibi prorſus poſt Conſtantini M. tempora inveniatur, dubitari certe non poterit quin *Comitum* varietas, eorumque diſtinctio iam inde a Nummii Albini aetate, vel Gallieni temporibus uſurpata fuerit; cum praeſertim Noriſius (3) ipſe Albinum in eo Marmore memoratum unum eundemque fuiſſe putaverit, qui anno 227. Conſul proceſſit.

I 2 Ego

(1) In Euſeb. Vita Conſtan. Lib. IV. c. 1. (2) Claſ. VI. n. 132. (3) Epiſt. Conſ.

Digitized by Google

Ego vero doctiſſimi Valeſii, ac Noriſii pace utrumque ambigua nominis ſimilitudine deceptum eſſe putaverim, ut Marmor ad Nummium illum referrent, qui Gallieni tempore Vrbi praefuit, quod ad cognominem alium longe recentiorem ſpectavit. Ac certè quidem, ſi Albinus ille unus, idemque eſſe debuit, qui anno 246. & 263. Conſul, & annis 256. 261. 262. 263. Vrbi Praefectus fuit, ac Marmor poſt *ſecundum* Nummii Albini conſulatum, ideoque poſt annum Chr. 263. excitatum dicatur, cur Vrbana Praefectura, quae ab illo tot annis iam geſta fuerat, omnino reticetur, cum tamen *Praetura*, longeque humiliores dignitates aliae perſpicue memorentur? Si Comitum diverſitas ab ipſa quoque Gallieni aetate recepta iam fuerat, cur in innumeris ſane Marmoribus, aut Scriptoribus nuſpiam occurrit, ac prima eius mentio Conſtantini M. temporibus obverſatur? Quo teſte, ſeu vade Noriſius, ac Valeſius probare unquam poterit Nummium Albinum in Marmore nominatum unum eundemque eſſe oportere, qui anno Chr. 256. Vrbi praefuit, non vero potius eius nepotem, aut pronepotem fuiſſe? Illud unum opponi poſſe iam video quod Albinus ille, cui Marmor erigitur, *Conſul ordinarius iterum* appellatur; nullibi vero in Faſtis *Albinus II.* Conſul occurrit, niſi anno Chr. 263. ideoque Marmor, & Comitum varietas ad Gallieni tempora referri debet. Verum, cum Albinus alius anno 345. Conſul occurrat, cur in illo iterati Conſulatus nota in Faſtis ommitti non potuit, quod alibi quoque factum eſſe conſpicimus? Certe Albinus etiam ille, qui anno 263. Conſul proceſſit, in ſolis Florentinis maioribus, & Praefectorum Laterculo II. Conſul vocatur; at in ſex Faſtis aliis haec iterati Conſulatus nota prorſus ommittitur. Fieri quoque potuit ut M. Nummius Albinus alicubi in Faſtis habeatur, ſed alio nomine deſignetur,

quod

quod frequenter admodum contigiſſe Relandus (1) admonuit.

Addì etiam poterit ſequioribus iis temporibus, quibus Imperium mire a Tyrannis perturbatum fuit, Conſules aliquos *ordinarios* vocari, quorum tamen nomina nullibi in Faſtis occurrunt. Sic, ut exemplum unum hic proferam, in Reineſii (2) Marmore, quod anno 392. exhibebitur, *Virius Nicomachus Flavianus Coſ. ord.* vocatur, neque tamen Flaviani huius nomen in Faſtis invenies, quod fortaſſe ab Eugenio Tyranno Conſulatum illum acceperit. Quid ergo prohibet quin Albinus ille, qui anno 345. Conſul ordinarius in Faſtis habetur, anno 311. Maxentii tempore, ſive potius anno 350. Magnentii Tyranni aetate ordinarium Conſulatum alium geſſerit, qui in Faſtis quidem ommitti (3), ſed in Marmoribus tamen, honorificis nempe titulis, indicari facile potuit?

Itaque, niſi clarius monumentum aliud pro Valeſii, ac Noriſii ſententia proferatur, longe veriſimilius exiſtimo M. Nummium Albinum, cui Reineſii Marmor excitatum fuit, unum eundemque eſſe poſſe, qui anno 335. vel 346. Conſul fuit; ut quemadmodum nempe unus idemque civis in Anonymi Laterculo *Nummius Albinus*, in Vopiſco *Ceionius Albinus*, in Gruteri (4) Marmore *M. Nummius Ceionius Annius Albinus* vocatur, ita Conſul ille, qui in Faſtis Muratorii (5) *Ceionius Rufius Albinus* vocatur, in Reineſio nonniſi *M. Numius Albinus* dicatur; niſi fortaſſe potius Albinus, qui anno 346. Conſul fuit, iteratum Conſulatum alium aliquando obtinuerit.

Sal-

(1) In Praef. ad Faſtos Conſ. (2) Claſ. VI. n. 92.
(3) Vid. Murat. Claſ. V. ad an. 311. & 350. (4) Pag. 47. 6.
(5) Pag. 375. 3.

Salvius Iulianus Severus.

Cir. an. V. C. 914. *Chr.* 150.

SPartianus in Imperatoris Caeſaris Didii Iuliani vita (1) de ipſius maioribus loquens ait : *Didio Iuliano , qui poſt Pertinacem Imperium adeptus eſt , proavus fuit Salvius Iulianus bis Conſul , Praefectus Vrbi , & Iuriſconſultus* . Itaque, cum Didius Iulianus extincto Pertinace anno Chr. 193. Imperium invaſerit , Salvius Iulianus eius *proavus* ineunte Adriani Caeſaris imperio florere debuiſſet . Eutropius (2) tamen Iulianum illum Iuriſconſultum Didii Iuliani Auguſti non *proavum*, ſed *avum* appellavit : *Poſt Pertinacem Salvius Iulianus Rempublicam invaſit , vir nobilis , & iuris peritiſſimus , nepos Salvii Iuliani , qui ſub Divo Adriano Perpetuum compoſuit Edictum* . Qui ſane Eutropii calculus longe veriſimilior, & accuratior cenſeri facile poterit, cum Didius Iulianus fere ſexagenarius Imperium obtinuerit (3). Hinc Muratorius optime feliciterque coniecit in Spartiani textu non *proavus*, ſed *avus*, legendum eſſe . Et certe quid Spartianus diligenter adeo Didii Iuliani proavum , patrem , matrem , fratres , avunculum memoraſſet , paternum vero avum omnino diſſimulaſſet ; cum praeſertim ſubdat quod *avus paternus Inſubris Mediolanenſis* fuit , ideoque eius nomen a ſe iam antea indicatum eſſe ſupponat ? Quod ſi Salvius ille Iuliani Caeſaris avus fuit , commode Vrbana ipſius Praefectura circa annum 150. collocari poterit poſtquam anno 148. una cum L. Torquato Conſul proceſſerat . Quamvis enim in Gudiano Marmore , ideoque in ipſis etiam Relandi Faſtis,

(1) Cap. 1. (2) Hiſt. Rom. VIII. (3) Vid. Tillem. Tom III. Art. II. & Not. 1.

Faſtis, Torquati Collega *C. Iulianus Vetus* vocetur, in alio tamen apud Muratorium *Salvius Iulianus* Torquato coniungitur, ut proinde primus Iuliani Conſulatus ad annum illum cum Muratorio referri poſſit. De ſecundi vero Conſulatus tempore Muratorius ipſe ſubdubitat an ad annum Chr. 175. ſpectare poſſit, quo in Faſtis ipſis *M. Salvii Juliani*, & *Calpurnii Piſonis* nomen occurrit.

Ego vero non video cur unus idemque Iulianus tum anno 148. tum 175. Conſul fuiſſe non potuerit, ideoque ſecundum hunc Conſulatum fere octogenarius ſuſceperit. Quin etiam, ſi eximium Marmor illud, quod a Muratorio (1) profertur, ſincerum ſit, omnes illae Iuliani dignitates ipſius praeſidio perſpicue certoque confirmari poſſent.

M. SALVIO
IVLIANO. M. F. SEVERO
HVMANI. DIVINIQ. IVRIS
PERITISSIMO
EDICTI. PERP. ORDINAT.
IVDICI. INTER. SELECTOS. II. VIR.
IIII. VIR, A P. XVVIR. STLIT. IVDIC.
PATRONO COLLEG. GAIL. OMN.
DIVI. HADRIANI. CONLEGAE
A D. D. P. P. ANTONINO M. AVRELIO
ET L. AELIO VERO AD PRAET. VRB
ET COS. SEMEL. ET. ITER.
EVECTO
MEDIOLANENSES
CIVI OPT. ET PATRONO
INCOMPARAB.
OB MERITA L. D. D. D.

(1) Pag. 338. 1.

Quum

Digitized by Google

Quum fieri certe vix potuerit ut inter alias Salvii Iuliani dignitates Vrbana quoque Praefectura in hoc Elogio recenſita non fuerit, quae perſpicue diſerteque a Spartiano memoratur, in Marmore non PRAET, ſed PRAEF. legendum eſſe putaverim: ſicque dignitates omnes a Iuliano ſuſceptae in Marmore recenſerentur, quod poſt M. Aurelii, & Lucii Veri mortem, ideoque poſt annum 176. dicatum foret, ubi praeſertim characteribus illis D. D. P. P. *Divis Piis* exprimatur.

Quamvis autem nihil de Marmoris huius ſinceritate Muratorius dubitaverit, nonnulla tamen offendi, quibus illa in dubium revocari fortaſſe poterit. Ac primo quidem quid Marmor a *Mediolanenſibus civi*, & *Patrono* ſuo poſitum, & cui *locus decreto decurionum* Mediolanenſium *datus* fuit, non Mediolani, ſed *Vercellis*, reperitur? Quis ex verbis illis *Patrono. Colleg. Gail. omn. Divi. Hadriani Conlegae* commodum ſenſum exſculpat, niſi fortaſſe legatur *Collegae Collegiorum omnium*. Quis ſiglas illas IIII VIR. A P nobis exponat, cum *Quatuor viri* ſolum *Viarum*, ſive *Viarum Curandarum* Hadriani temporibus haberentur; aut *IIII Viri ab Aerario Pontificum*, aut *IIII Viri Iuri dicundo*, quorum nihil ex characteribus A P exſculpi poteſt, niſi A P pro AER. P. *Aerario Pontificum* exaratum ſupponatur! Itaque eruditi Viri ſubtilius inquirant an haec Epigraphe non e Marmore exſcripta, ſed e *Schedis* accepta ſincera ſit. Illud interim veluti certum haberi iam poterit quod ſicuti Salvii Iuliani nomen iterum Conſularibus Faſtis anno 175. inſcriptum fuit, ita in Praefectorum Serie circa annum 150. recenſeri poterit. Quamvis enim honores ab ipſo ſuſcepti ſic in Marmore exprimantur, ut ipſa quoque Vrbis Praefectura a Divis Piis Antonino, M. Aurelio, & L. Vero ipſi collata videatur, hoc uno tamen ſenſu intelligi id debet, quod Iulianus

nus

nus ipſe honores omnes antea recenſitos ab aliquo ex Auguſtis illis acceperit; ideoque, cum Praefecturam ab Antonino obtinuiſſet, ſecundum Conſulatum a M. Aurelio, ac L. Vero ſit conſequutus.

✱ Marcus Senſius Genialis.

Cir. an. V. C. 915. Chr. 162.

Hactenus incogniti Praefecti nomen in Gudiano Marmore nobis occurrit. (1)

M. SENSIO M. F. TERENTINA. GENIALI
IIIVIRO. CAPITAL. PRAEF. VRB.
* * *
CANDIDATO. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI
FLAMINI. TITIALI. PRAETORI. TVTELARI
QV. VIX. ANN. LXXXIII. M. IV. D. VI.

Marmor ipſum perſpicue diſtincteque nobis oſtendit quod Praefectus ipſe Traiani, qui anno Chr. 117. Imperium Adriano reliquit; ſimulque M. Aurelii temporibus floruit, qui anno 161. Imperium obtinuit. Siquidem in ipſo dicitur quod Senſius Genialis Traiani Candidatus fuit, ſimulque *Praetor Tutelaris* vocatur. Eiuſmodi vero *Praetoris Tutelaris* nomen, ac dignitas a M. Aurelio omnium primo inſtituta fuit, ut illuſtri Capitolini (2) teſtimonio erudimur: *Praetorem Tutelarem primus fecit, quum ante Tutores a Conſulibus poſcerentur, ut diligentius de Tutoribus tractaretur.* Itaque, ſi M. Senſius honores eodem ordine, quo in Marmore recenſentur, obtinuit,

K eius

(1) Pag. 138. 6. (2) In M. Aurel. c. 10.

eius Praefectura ad Traiani tempora referenda foret; ſin vero potius poſt inferiores dignitates alias ad Praefecturam omnium ſupremam aſcendit, facilius Hadriani, vel Antonini, vel denique M. Aurelii aetate circa annum 162. eo munere perfunctus fuit.

Quintus Lollius Vrbicus.

Cir. an. V. C. 916. Chr. 163.

VRbici quidem nomen a pluribus Scriptoribus memoratur, ut mox oſtendemus; ſed Vrbanae tamen Praefecturae dignitas ab illo ſuſcepta ſolo S. Iuſtini Martyris teſtimonio demonſtratur. Etenim ille in *Apologia II.* quam *Auguſto*, & *Romanis* obtulit, S. Ptolemaei martyrium memorans, quod χθὲς κὶ πρώην *heri ac nuper* contigiſſe dicit, aſſerit ipſum ἐπὶ Οὐρβίκυ *ſub Vrbico* martyrio coronatum fuiſſe; ſive, ut in Latinis Actis legitur, *ſub Vrbicio Praefecto*. Itaque dubitari non poterit quod paullo ante tempus, quo Iuſtinus ipſe Chriſtianae Religionis cauſam apud Caeſarem agebat, *Vrbicus* quidam Vrbanae Praefecturae munere fungeretur.

Optime quidem novi doctiſſimos etiam Viros in definiendo tempore diffidere, quo Sanctus Martyr Apologiam ipſam obtulerit; cum Valeſius (1) hanc quoque alterius, vel primae Apologiae inſtar Antonino Pio porrectam fuiſſe putaverit, Scaliger (2) autem, & Papebrochius (3) hoc M. Aurelii temporibus contigiſſe dixerint; idque Tillemontius (4), atque nuperrimus Iuſtini Interpres (5) pluribus argumentis demonſtraverint.

(1) Not. ad Euſ. Libr. IV. c. 17. (2) Ad Chr. Euſ.
(3) Ad diem 13. Apr. (4) Hiſt. Eccl. Tom. II. Not. 13.
(5) Praef. par. 3. art. 8.

rint . Ac certe quidem Euſebius perſpicue diſerteque dicit quod prima Iuſtini Oratio ad Antoninum cognomento *Pium* conſcripta fuit, *altera vero Antonino Vero nuncupata eſt Imperatoris ſupradicti ſucceſſori*, *&* *cognomini*, de cuius nomine, ac Imperio poſt Antonini Pii mortem ſuſcepto paullo ante (1) iam dixerat. Hinc Tillemontius non modo Apologiam M. Aurelio oblatam fuiſſe, verum etiam martyrium ipſum S. Ptolomaei ſub. M. Aurelio circa annum 166. contigiſſe dicit (2).

Quamvis autem in Apologia ipſa Lucius inducatur, qui ſaevitiem Vrbico Praefecto exprobrans dicit *ὐ πρέποντα εὐσεβεῖ Αὐτοκράτορι, ὐδὲ Φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδὶ κρίνεις ὦ Οὔρβικε non ut decet Pium Imperatorem*, *nec ut Philoſophum Caeſaris filium iudicas*, *Vrbice*, ideoque Antoninum Pium, eiuſque adoptivum filium M. Aurelium, qui *Philoſophi* nomine diſtinguebatur, innuere videatur. Interpres tamen exiſtimat M. Aurelium ipſum *Pii* nomine a privato quodam cive decorari potuiſſe, quamvis ipſi nondum *Pii* titulus a Senatu decretus eſſet; ac *Philoſophi* nomen *Lucio Vero*, tanquam ſapientiae ſtudioſo, concedi. Quandoquidem vero Valeſius Vrbicum ab Apuleio quoque memoratum Antonini temporibus Vrbi praefuiſſe dicit, reſpondet Interpres fortaſſe Vrbicum illum, qui Martyres damnavit, & quem Lucius alloquitur, non *Vrbi*, ſed *Praetorio*, Praefectum fuiſſe. Fortaſſe quoque Vrbicum ipſum tum Antonini, tum M. Aurelii quoque temporibus Vrbis Praefecturam geſſiſſe; cum praeſertim Apuleii Apologia non Antonini Pii, quem Scriptor ille *divum* appellat, ſed M. Aurelii aetate ſcripta videatur; ideoque Vrbicus ille, qui in ipſa veluti cauſarum Iudex, ac ſceleris ultor inducitur, Vrbana Praefectura ſub M. Aurelio fungi potuerit.

(1) Cap. 14. (2) Art. IV.

Sed, licet haec optime feliciterque ab Interprete dicta ſint, ego tamen Lucii Vrbicum alloquentis verba non de M. Aurelio, ac Lucio Vero, ſed de Antonino Pio, & M. Aurelio intelligi oportere putaverim; & argumentum, quod inde Valeſius arripuit, ut oſtenderet Apologiam Antonino Pio oblatam fuiſſe, alia, longeque meliori ratione ſolvi poſſe coniicio.

Itaque obſervari plurimum velim quod ea Lucii verba ex Martyrum Actis, quae S. Iuſtinus in Apologiae textum tranſtulit, exſcripta ſunt, ideoque non ad Apologiae Caeſaribus oblatae, ſed ad ſolum martyrii tempus, referri debent. Quamvis ergo Iuſtinus ipſe teſtetur quod Martyrum mors *paullo pridem* contigerat, fieri tamen potuit ut inter martyrium a Ptolomaeo & Lucio toleratum, atque Apologiam Caeſaribus exhibitam aliquod temporis ſpatium intercesſerit; ut proinde Apologia quidem primis M. Aurelii temporibus exarata ſit, Martyrum vero mors, ac iniqua Vrbici Praefecti ſententia Antonino Pio adhuc ſuperſtite contigerit.

Si id ego rite coniecerim, perſpicue certoque conſtabit quod Vrbicus ille poſtremis Antonini Pii temporibus Vrbanae Praefecturae munere decoratus fuit, poſtquam anno Chr. 138. Antonini Pii Legatus Britannos vicerat, & proximis annis Africae Proconſul fuerat, ut ex Apuleii Apologia perſpicuum eſſe putaverim. Licet enim plerique omnes Apuleii verba de *Praefecto Vrbis* intelligant; ſi tamen ſubtilius haec explorentur, de ſolo *Africae Proconſule* intelligi oportere conſtabit, qui in Sicinium Aemilianum exarſit, a quo deinde Apuleius ipſe ad Claudium Maximum *Africae Pronconſulem* delatus fuit. Itaque Vrbicus ille aliorum inſtar poſt varios honorum gradus Vrbanae Praefecturae munere tandem donatus videtur, eoque honore

honore decoratus Apollini titulum poſuit, cuius epigraphe a Grutero (1) iampridem edita fuit

APOLLINI
Q. LOLLIVS
VRBICVS
PRAEF. VRB.

in qua tamen Aldus e Mazzochii Schedis PRAET. legendum eſſe perperam exiſtimavit. Ita propemodum Sergius Scipio Orfitus, qui anno Chr. 149. Conſulatum geſſerat, atque anno 164. dum Africae Proconſul erat, ut ex Sponiano Marmore (2) apparet, ab Apuleio (3) laudatus fuit, ſub Antonino ipſo Praefecti Vrbani munus obtinuit, ut ſuperiori loco iam monui, iterumque in Memmio Vitraſio Orfito dicendum erit.

Si tamen hunc Vrbicum a Praefecto, quem S. Iuſtinus memorat, diſtinctum eſſe quis velit, reprehendi certe non poterit. Etenim Euſebius (4) eandem illam S. Ptolemaei hiſtoriam deſcribens Praefectum *Vrbicium* iterum, tertioque appellat; quemadmodum Nicephorus (5) Vrbicium Ἄρχοντα *Magiſtratum* vocavit: ideoque Tillemontii (6) coniectura admitti facile poterit quod Vrbicii duo Vrbi praefuerint, quorum unus Antonini Pii, alter M. Aurelii aetate Praefectus fuerit.

Publi-

(1) Pag. 38. 13. (2) Miſcell. p. 269. (3) Florid.
(4) Lib. IV. c. 17. (5) Lib. III. c. 32.
(6) Ad S. Iuſtin. nota 13.

Digitized by Google

Publius.

Cir. an. V. C. 917. Chr. 164.

DOlendum ſane quod ſolum Praefecti huius praenomen ſincera S. Felicitatis, filiorumque Martyrum Acta nobis conſervaverint. Siquidem in Actis illis habetur: *Imperator Antoninus iniunxit Praefecto Vrbis Publio, ut eam compelleret cum filiis ſuis Deorum ſuorum iras ſacrificiis mitigare. Publius itaque Praefectus Vrbis iuſſit eam adduci.* In apocryphis tamen Actis Publius ille, qui in ſinceris *Praefectus* vocatur, *Conſulis* nomine deſignatur.

Quamvis tamen Scriptores omnes in aſſerenda veterum Actorum ſinceritate conveniant, in definiendo tamen martyrii tempore plurimum diſſident, cum Ruinartus id anno Chr. 150. Baronius 175. Tillemontius 164. contigiſſe dixerint. Etenim, licet Imperator ille, ſub quo Felicitas martyrio coronata fuit, *Antoninus* vocetur, compertum eſt tamen quod M. Aurelius, & Commodus, aliique plures eodem ipſo *Antonini* nomine deſignari conſueverant. Quandoquidem vero Tillemontii opinio ceteris accuratior videtur, eorum Martyrum paſſio, ſimulque Vrbana *Publii* Praefectura ad annum 164. revocari facile poterit poſtquam Vrbicus dignitatem illam reliquerat.

Quid vero ſi *Publium* ipſum unum eundemque fuiſſe nunc ſuſpicer, quem in S. Iuſtini Actis *Ruſticum* appellatum eſſe oſtendemus?

Reineſius (1) hoc Marmor Caietae poſitum ex Holſtenianis Schedis exhibuit

VENE-

(1) Claſ. I. n. 93.

VENERI PELAG.
P. LVCILIVS RVSTICVS V. C.
PRAEFECTVS VRBI
COS. PROCOS. LIBY. PROCVRA
TOR. LVDI MATVTINI
PROCVRATOR. LVDI. MAGNI
PROCVRATOR XX HEREDITAT.
FLAMEN. MART.
S. P. SIGN. RESTIT.

Rineſius quidem ſubdubitat an Marmor ipſum *Veneri Pelagiae* dicatum ſincerum ſit, ipſumque ad II. Eccleſiae Seculum referendum eſſe arbitratur. Tillemontius ambigit an *Viri Clariſſimi* titulus ſecundo Chriſti Seculo adhiberetur. Facile tamen ſcrupulus ille doctiſſimo viro ſubortus eximi poterit, ſi obſervetur ab Apuleio, qui Antonini Pii, proximorumque Caeſarum aetate floruit, Claudium Maximum, & Lollium Vrbicum Africae Proconſules *Viros Clariſſimos* appellari. Itaque, cum Marmor ipſum, aut P. Lucilius Ruſticus ad Antonini tempora referri commode poſſit, nihil eſt certe quin ille unus idemque cum *Publio* cenſeatur, qui primis M. Aurelii temporibus Vrbanae Praefecturae munere fungens Martyres illos damnavit; & Ruſticus, ſub quo Iuſtinum paſſum eſſe mox videbimus, a M. Aurelii Praeceptore diſtinguatur.

Quod ſi Publius, & Ruſticus ita confundi poſſint, ut alterutro nomine unus idemque civis, vel Vrbis Praefectus deſignetur, tunc Q. Iunius Ruſticus ab iis diſtingui, & ad annum alium referri debebit; qui in tanto veterum ſilentio nobis incognitus eſſe debet.

Iunius

Iunius Ruſticus.

An. V. C. 920. *Chr.* 167.

IN S. Iuſtini Martyris, ac ſociorum Actis legitur: *συλληφθέντες οἱ ἅγιοι ἄνδρες εἰσήχθησαν πρὸς τὸν τῆς Ῥώμης Ἔπαρχον ὀνόματι Ῥουστικόν comprehenſi Sancti Viri adducti ſunt ad Romae Praefectum Ruſticum nomine.* Hoc ipſum *Ruſtici* Praefecti nomen ab Epiphanio (1) memoratur ubi S. Iuſtinum ſub illo paſſum eſſe teſtatur; quamvis Epiphanius Martyrem ipſum ſub Adriano Martyrio coronatum exiſtimet. Itaque, cum Iuſtini Martyris mors quae 13. Aprilis die colitur, in Alexandrino Chronico ad annum Chr. 165. referatur, eademque veriſimilius ex Euſebii (2) calculo ad annum 167. ſive 168. differenda ſit, perſpicue apparet quod Iunii Ruſtici nomen circa annum illum Praefectorum Faſtis inſerendum erit.

Ruſticus autem ille, qui primis M. Aurelii temporibus Vrbis Romae Praefectus fuit, unus idemque facile videretur cum *Iunio Ruſtico*, qui Capitolino (3) teſte, Imperatorem ipſum in Stoicae diſciplinae dogmatibus erudivit; cum praeſertim Caſaubonus, aliique plures ſententiam illam amplexi fuerint. Mihi vero Iunium Ruſticum Vrbis Praefectum ab hoc Iunio Ruſtico Aurelii Praeceptore diſtinguendum eſſe videtur. Certe Capitolinus honores omnes enumerans, & amoris ſignificationes, quibus M. Aurelius Iunium Ruſticum praeceptorem ſuum eſt proſequutus, oſcula, iteratum Conſulatum ipſi collatum perſpicue, diſerteque nominat, nihilque tamen de Vrbana Praefectura ſub-
indi-

(1) Haer. 46. c. 1. (2) Hiſt. Eccl. Lib. IV. c. 16.
(3) In M. Aurel. c. 3.

indicat. Itaque Iunius Ruſticus Vrbis Praefectus a Iunio Ruſtico, qui anno 162. Conſul proceſſit, atque in Florentinis Faſtis minoribus *ſecundo Conſul* vocatur, diſtingui debet; ac facile uterque eius Q. Iunii Ruſtici filius cenſeri, qui anno 119. Conſul fuit.

Illud autem Ruſtico noſtro honorificum maxime eſſe debet quod Divi Fratres, nimirum M. Aurelius, & L. Verus Auguſti in Reſcripto quodam, aut Lege, quae in Digeſtis (1) reperitur, ipſum *amicum* appellant: *a Iudice, quem ex Reſcripto noſtro ab ampliſſimis Conſulibus acceperas, Iunium Ruſticum amicum noſtrum Praefectum Vrbis provocaris*. Quum vero Reſcriptum illud L. Vero adhuc ſuperſtite, ideoque ante annum 171. editum ſit, perſpicuum fiet hanc Ruſtici Praefecturam inter annum 161. et 171. collocandam eſſe. Quo plane fieri deberet ut hic Ruſticus a Q. Iunio Ruſtico diſtingui debeat, de quo ad annum Chr. 345. diſſeretur.

Sergius Paulus.

Cir. an. V. C. 923. *Chr.* 170.

IN Gruteri Marmore (2) Sergii Pauli nomen, ac dignitas memoratur

HIC CONSECRATA EST
SEX. AELI. TERTI. CONIVX
SERGIA. SYNTYCHE. SERGI
PAVLI. QVONDAM. PRAEF.
VRB. ALVMNI. CHRYSIPPI
ALVMNA. FECERVNT. AELII
TERTIVS. ET. COMA. INCOM
PARABILI FEMINAE
L

In fini-

(1) Lib. XLIII. tit. 1. leg. 1. (2) Pag. 1090. 14.

Digitized by Google

In ſiniſtro vero eius Lapidis latere iidem Tertius, & Coma titulum poſuerunt *L. Aeli . Perpetui . Legatione functi patriae ſuae Coloniae Vlpiae Thamucadis ex Numidia*. Thamugadi quidem oppidi, vel Vrbis mentio ſaepius in Itinerariis, ac in ipſa quoque Peutingeri Tabula reperitur (1); quemadmodum *Tamucada* Mauritaniae urbs a Procopio, (2) et Auguſtino (3) memoratur, qui *Tamagudenſis Epiſcopi* etiam meminit. (4) Nullibi tamen *Tamugadi*, *Tamucade*, ſive *Thamugada* aut Numidiae, aut Mauritaniae Vrbis inter *Colonias* recenſetur, ſi Marmor iſtud exceperis, in quo *Colonia Vlpia Thamucadis* appellatur, quod nimirum ab Vlpio Hadriano Auguſto, qui *Mauritaniae Reſtitutor* in nummis vocatur, honorem illum acceperit. Itaque perſpicue apparet Sergium Paulum poſt Hadriani Auguſti tempora, ideoque poſt annum Chr. 140. Praefecti munere perfunctum eſſe, et Sergiam Syntychem ſacris Ethnicorum ritibus conſecratam fuiſſe.

Denique hic obiter obſervaſſe iuverit quod hic *Sergius Paulus* Urbis Praefectus eius L. Sergii Pauli filius, aut potius nepos eſſe potuit, qui anno Chr. 94. Conſul ſuffectus fuit, atque in Muratorii Marmore nominatur (5)

DEDIC. IX. KAL. OCT.
TORQVATO ASPRENATE L. SERGIO PAVLO
COS.

Vitra-

(1) Vid. Cellar. Lib. IV. c. 5. p. 906. (2) Vandal. Lib. II. (3) Retract. Lib. II. c. 59. (4) Epiſt. 164. (5) Pag. 314. 3.

Vitraſius Pollio.

An. V. C. 927. Chr. 174.

IN editis S. Iuſtini Operibus Apologiae I. ſubnectitur M. Aurelii Imperatoris Epiſtola, qua Caeſar ille teſtatur Romanum exercitum cum Marcomannis acerrime dimicantem ab extremo diſcrimine ſolis Chriſtianorum precibus ereptum fuiſſe, qui Romanis quidem ſiti languentibus pluviam, fulmina vero in Barbaros impetrarunt. Hinc Caeſar ipſe ſancivit ne Chriſtianus ullus ſolo religionis nomine accuſari, vel plecti poſſet. Poſtquam autem iuſſerat Decretum illud in Traiani foro Romae proponi ſubdit; *φροντίσει ὁ Πραίφεκτος Βιράσιος Πολλίων εἰς τὰς πέριξ Ἐπαρχίας πεμφθῆναι curabit Praefectus Vitraſius Pollio in finitimas Provincias mitti*. Itaque, cum portentum illud Chriſtianorum militum precibus a Deo impetratum anno Chr. 174. contigerit, ad annum ipſum Vrbana Vitraſii Pollionis Praefectura referri debebit (1).

Ac dubitari ſane non poterit quod Epiſtola quaedam a M. Aurelio ea de re ſcripta fuerit, cum plurimis, iiſque graviſſimis coaevorum Scriptorum teſtimoniis id oſtendatur; Graeca tamen Epiſtola, quae in Iuſtini Operibus circumſertur, apocrypha cenſeri debet (2), ac tercentos fere poſt annos, ut Scaliger exiſtimavit, conficta; ideoque de Vitraſii Pollionis nomine, ac Praefectura dubitari nunc poſſet. Quamvis tamen haec Epiſtola ficta concedatur, nihil tamen veriſimilius admitti poteſt, quum Graeculum Scriptorem, qui ipſam graece proponendam ſuſcepit, Latinam inſpexiſ-

(1) Tillem. Art. 15. (2) Till. ibi art. 16.

ſpexiſſe, ac nomina, quae in latina viderat, graece reddidiſſe; ideoque Vitraſii Pollionis nomen in latina quoque Epiſtola extitiſſe videtur.

Ac certe quidem M. Aurelii temporibus Vitraſium quendam Pollionem floruiſſe conſpicimus, cui Adrianus Caeſar reſcripſit (1); quique in Nemauſenſi Marmore *Auguſti Legatus* vocatur (2).

D. M.
VMIDI. AVITI. MILIT.
LEG. VII. GEMIN. FELICIS
BENEFICIARI
IVN. OMVLLI CONSVLAR.
CVRAT. VITRASI. POLLION.
LEGATI AVG.

Itaque cum Omullus ipſe anno Chr. 152. Conſulatum geſſerit, facile Vitraſius ante annum illum *Provinciae Lugdunenſis*, uti in Adriani Reſcripto legitur, *Legatus* fuit, tandemque poſt varios honorum gradus M. Aurelii temporibus circa annum Chr. 170. Urbanae Praefecturae munus obtinuit.

Non facile vero dixerim an Vitraſius ille in M. Aurelii Epiſtola memoratus cum *Tito Vitraſio Pollione* confundi debeat, qui M. Aurelii temporibus anno Chr. 176. ſecundum Conſulatum obtinuit. Certe in aliis etiam exemplis (3) apparet Praefectos alios, qui Urbi praefuerant, depoſito Praefecti munere, Conſularibus faſcibus ornatos eſſe, ut proinde hoc ipſum de Praefecto noſtro facile concedi poſſit.

* Quin-

(1) Leg. 15. D. de excuſ. tut. (2) Rein. Cl. VIII. n. 52. p. 532. (3) Vid. Grut. 30. 4. & 31. 3.

Digitized by Google

✤ Quintus Soſius Priſcus Senecio.

Cir. an. V. C. 923. Chr. 176.

MArmor Tibure poſitum a Gudio exhibetur (1):

SOSIO. PRISCO. PONTIFICI. SODALI
HADRIANALI. SODALI. ANTONINIANI
VERIANI. SALIO. COLLINO. QVAESTORI
CANDIDATO. AVGG. LEGATO. PR. PR.
ASIAE. PRAETORI. CONSVLI. PROCONSVLI. ASIAE
SORTITO. PRAEFECTO. ALIMENTOR.
XX. VIRO. MONETALI. SEVIRO. PRAEF.
FERIARVM. LATINARVM. QQ. PATRONO
MVNICIPII. ✻ ✻ ✻

Quum inter alias illuſtris huiuſce Viri dignitates Conſulatus etiam memoretur, et Q. Soſii Priſci nomen ad annum Chr. 169. in Conſularibus Faſtis occurrat, Urbana quoque Praefectura Feriarum Latinarum tempore ab illo ſuſcepta circa annum 176. collocari facile poterit: cum praeſertim *Auguſti* in Marmore memorentur, nimirum M. Aurelius, et L. Verus, quibus Imperium anno 161. auſpicatis anno 180. Commodus unus in Imperio ſucceſſit.

Huic vero Conſuli, et Praefecto *Senecionis* etiam nomen adieci quod ita prorſus in Muratorii (2) marmore nominetur.

Cete-

(1) Pag. 136. 5. (2) Pag. 336. 6.

Digitized by Google

Ceterum in eximio hoc Marmore, itemque in alio, quod ad annum 186. proferetur, illud obſervari facile poterit quod in ipſo *Antoniniani*, & *Veriani* Sodales memorantur, cuiuſmodi ſane nomen in nullis Scriptoribus occurrit, quamvis *Aureliani Sodales* a Capitolino memorati ſint (1).

Eiuſmodi vero Capitolini teſtimonium inſignem alium eiuſdem Scriptoris locum in mentem revocat, quem perperam, ut opinor, doctiſſimi quoque Viri explicarunt. Scriptor ille de Antonino Philoſopho, ſeu M. Aurelio, loquens ait: *Antonini mox ipſe nomen recepit, et quaſi pater L. Commodi eſſet, Verum eum appellavit, addito Antonini nomine. Ob hanc coniunctionem pueros, et puellas novorum hominum rei frumentariae perceptioni adſcribi praecepit.* Hoc *novorum hominum* nomine Chriſtianos ipſos hic deſignari putavit Baronius, eamque doctiſſimi viri opinionem reiecit Caſaubonus, ſimulque exiſtimavit novos homines hic appellari qui noviter civibus adſcripti forent. Salmaſius vero levi facilique mutatione reſcribendum eſſe arbitratur *novorum nominum*; eoſque cives *novorum nominum* dici, qui quamvis antea civitatis iure fruerentur, noviter tamen darent nomina, ſive perceptionem frumentariam poſtularent.

Ego vero Salmaſio quidem aſſentior ut non *hominum*, ſed *nominum* potius legatur, ſed *novis nominibus* non aliud omnino, quam *Antonini*, et *Veri* nomina, intelligenda exiſtimo; ea nimirum nomina, quae Capitolinus ante iam dixerat a M. Aurelio, L. Vero ſuſcepta fuiſſe: perinde ac ſi Scriptor ille dixiſſet Pueros, et Puellas a novis nominibus nuncupatas, hoc eſt *Antoninianas*, et *Verianas* frumentariae perceptioni adſcriptas fuiſſe; quemadmodum in Vlpii Traiani honorem *Vlpiani Iucri*, in *Fauſtinae* memoriam *Fauſtinia-*

(1) In M. Aurel. c. 8.

ſtinianae puellae inſtitutae iam fuerant. Ita nimirum cum Capitolinus duo *nova nomina* ſuſcepta, vel impoſita fuiſſe dixiſſet, optime repente ſubdit *Pueros*, & *Puellas novorum nominum* ad frumentariam perceptionem Caeſarum beneficio admiſſas fuiſſe.

Ac certe quidem haec frumentaria perceptio Pueris, ac Puellis a M. Aurelio conceſſa in eius nummo expreſſa conſpicitur, in cuius poſtica facie mulier ſtans exhibetur puerum ſupra ſiniſtrum & dextrum cubitum ſuſtinens, duaſque puellas hinc inde ſtantes habens; cumque epigraphe in adverſae partis ambitu legatur TR. POT. XV. COS. III., coniici poteſt eo Imperii anno pueros, ac puellas non inſtitutas quidem fuiſſe, ſed novis largitionibus auctas, ac ditatas; cum prima illarum inſtitutio ad prima eius Caeſaris tempora referri debeat, ut Capitolinus aperte demonſtrat (1).

Fuſcianus.

Cir. an. V. C. 931. Chr. 178.

Capitolinus (2) varios honoris gradus enumerans, quibus Helvius Pertinax tandem ad Imperium ipſum aſcendit ait: *deinde Proconſul Africae factus, poſt hoc Praefectus Urbi factus; in qua Praefectura poſt Fuſcianum hominem ſeverum Pertinax mitiſſimus, & humaniſſimus fuit, & ipſi Commodo plurimum placuit, quia ille eſſet iterum cum Pertinax factus eſt.* Quis eiuſmodi Capitolini locum cum Grutero, & Salmaſio mutilum, & hiulcum eſſe non videat? Qua vero meliori, clariorique ratione ſanari ille poterit, ſi tamen ſine melioris codicis ope ſanari ille poteſt, quam ſi reſcribatur

(1) Muſ. Theup. pag. 520. (2) In Pertin. c. 4.

batur *Quod ille eſſet iterum Conſul cum Pertinax factus eſt*: quod nimirum in ſecundo Commodi conſulatu Pertinax ipſe Conſul ſuffectus, & inde Praefectus Vrbi factus fuerit? In hac hypotheſi, cum ſecundus Commodi; & ſuffectus Pertinacis Conſulatus inciderit in annum Chr. 179. Pertinax ipſe Praefecti munus eodem anno incaepiſſe potuit, ideoque Fuſcianus ipſius praeceſſor aliquo ex ſuperioribus annis honore illo potiri; ſimulque intelligi profecto poſſet quod Pertinax Praefecti munere per plures annos fungi potuerit, ut inferius oſtendetur. Quamvis autem Praefectus ipſe Fuſcianus a Tertulliano quoque memoretur, nullus tamen temporis character ex obſcuriſſimi Scriptoris textu deduci poteſt. Etenim ſcelera, & fraudes innumeras ab Ethnicis perpetratas memorans ait: (1) *unde adeo Mimis, & Comoedis argumentorum venae fluunt: unde iſta quoque talis ante Tragoedia erupit Fuſciano Praefecto Vrbi iudicata punitione reatus . . . revelato ſcelere parentes ſibi laqueo medentur, bona filio male ſuperſtiti Praefectus adſcribit?* Illud unum ex verbis illis inferri poterit quod cum Tertullianus has *Orationes ad Nationes* circa annum Chr. 200. paullo poſt editum *Apologeticum* ſcripſerit, Fuſciani Praefectura proxime ſuperioribus annis contigerat; ſed ita tamen ut inter Fuſcianum ipſum Vrbi imperantem, ac Orationes a Tertulliano editas Pertinacis, Sulpiciani, & Severi Praefectura interceſſerit (2).

Quod ſi Fuſcianus iſte unus idemque, ut videtur, fuerit cum *Caio Allio Fuſciano*, qui anno Chr. 188. ſecundo Conſul proceſſit, integrum huius Praefecti nomen ex Conſularibus Faſtis haberemus; cumque in Iuſtiniani Codice (3) Reſcriptum a Septimio Severo, eiuſque filio Caracalla anno Chr. 197. *Fuſciano* datum reperiatur, ſi de eodem Fuſciano intelligi id debeat,

(1) Orat. ad Natio. Lib. I. (2) Vide Tillem. in Tertul. artic. 5.
(3) Lib. V. tit. 54. l. 1.

debeat, perſpicue conſtabit quod ille Pertinaci, qui ſibi in Praefectura ſucceſſerat, ſuperſtes fuit, quippe qui ad Septimii Severi, & ipſa quoque Caracallae tempora pervenerit.

Marcus Aufidius Victorinus.

Cir. an. V. C. 943. Chr. 180.

HAec Aufidii Praefectura in Gruteri Marmore (1) perſpicue expreſſa conſpicitur

M. AVFIDIO. FRONTONI
PRONEPOTI
M. CORNELI. FRONTONIS
ORATORIS. CONSVLIS
MAGISTRI. IMPERATORVM
LVCI. ET. ANTONINI
NEPOTI. AVFIDI. VICTORINI
PRAEFECTI. VRBIS. BIS. CONSVLIS
FRONTO. CONSVL
FILIO. DVLCISSIMO

Hoc ipſum Aufidii Victorini nomen, qui anno Chr. 200. Conſul proceſſit, addito *Caii* praenomine in duobus aliis Gruteri Marmoribus (2) reperitur: quemadmodum in Conſularibus Faſtis, atque etiam Marmoribus (3) *Marcus Aufidius Fronto*, ut opinor, eius frater memoratur, qui ſuperiori anno 199. Conſul proceſſerat. Itaque, ſi Marcus Aufidius Victorinus Vrbis Prae-

M

(1) Pag. 368. 2. & in Marm. Piſaur. n. 69.
(2) Pag. 269. 2. & 302. 2. (3) Pag. 313. 5. & 673. 12.

Praefectus utriuſque Conſulis pater fuit, atque anno 183. ſecundum Conſulatum geſſit, Vrbana ipſius Praefectura paullo ante annum 180. contigiſſe debuit.

Quandoquidem vero in ſuperiori Marmore M. Aufidius Fronto M. Cornelii pronepos, & Aufidii Victorini nepos vocatur, facile inferri poterit quod Aufidius Victorinus M. Cornelii Frontonis non *filius*, ut Antonius Auguſtinus exiſtimaverat, ſed *gener* fuit: cui belli adverſus Cattos gerendi curam a M. Aurelio datam teſtatur Capitolinus (1); niſi fortaſſe Aufidius Vrbis Praefectus ſolo adoptionis iure M. Cornelii filius dicatur; etſi non *Corneliae*, ſed *Aufidiae* ſolum, familiae nomen hic exprimatur. Certe doctiſſimus Oliverius, qui Piſaurenſia Marmora accuratiſſime illuſtravit, Aufidium Victorinum Vrbis Praefectum Corneliam M. Cornelii Frontonis filiam duxiſſe putat (2), ex qua Frontonem Conſulem ſuſceperit; ut proinde M. Aufidius Fronto, cui titulus ponitur, Corneliae eius nepos, et Cornelii pronepos fuerit.

Illud etiam ab Oliverio feliciter obſervatur quod Aufidius Victorinus Vrbis Praefecturam facilius a M. Aurelio, quam a Commodo, proborum hominum, ac illuſtrium hoſte, ſuſcepit; licet ab illo anno 183. Conſulatum ſecundum obtinuerit. Quo plane fieret ut Aufidii Praefectura inter utrumque ipſius Conſulatum, et paullo ante annum 180. quo Commodus imperare caepit, inciderit. Itaque, niſi plurimum fallor, huius Aufidii Praefecti filius cenſendus erit M. Aufidius Fronto, qui anno 199. Conſul proceſſit, itemque C. Aufidius Victorinus, qui ſequenti anno 200. Conſularibus Faſtis inſcribitur.

Denique, ne quidquam diſſimulem, quod afferendis Praefectorum nominibus conferre poſſit, Aufidii Victo-

(1) In M. Aurel. c. 8. (2) Pag. 156.

Victorini dignitas apud Anonymum in Excerptis Valeſianis (1) occurrit ubi legitur *Aufidio Victorino, qui Praefectus Vrbis fuerat, ſtatua poſita eſt*.

Helvius Pertinax.

Cir. an. V. C. 933. *Chr.* 180.

Pertinacis nomen circa annum Chr. 180. Praefectorum Faſtis inſcribendum eſſe iam vidimus. Ipſum vero pluribus annis vivente Commodo hoc munus geſſiſſe, eoque interempto ex Vrbis Praefecto Auguſtum Kal. Ianuariis anni Chr. 193. renunciatum fuiſſe perſpicuo Herodiani (2) teſtimonio erudimur, qui ita Laetum Praetorio Praefectum milites alloquentem, ac Pertinacis a militibus eligendi laudes memorantem inducit: *Virum aetate gravem, vita moderatum, militaris diſciplinae peritiſſimum, cuius bellicam virtutem vos quidem, Veterani, ſaepe numero experti, ceteri tot annos Vrbis Praefectum non honore ſolum, ſed etiam admiratione digniſſimum iudicaſtis*. Itaque, ſi Pertinax *tot annos* Vrbi praefuit, ipſius initium circa annum 180. collocari fortaſſe poterit.

Ceterum quod Pertinax ipſe dum ad Imperium evectus fuit Vrbani Praefecti munus obiret, illuſtri quoque Eutropii (3) teſtimonio confirmatur, qui dicit quod Pertinax *Ὕπαρχος τῆς Ῥώμης ἦ ὅτε παρῆλθεν εἰς τὴν βασιλείαν Praefectus Romae erat cum ad Imperium tranſivit*. Quo ſane loco non Ὕπαρχος, ſed Ἔπαρχος, libentius legerem, quod nomen in Dionyſio, ac Dione de Praefectis uſurpatur, quamvis eadem ipſa Ὑπάρχου voce *Praefectus* optime deſignetur. Eutropius tamen, quam-

M 2 vis

(1) Pag. 727. (2) Lib. II. c. 2. 193. (3) Lib. 8. c...

vis ea voce deſignandis tum *Praetorii*, tum *Vrbis* Praefectis utatur, eo tamen diſcrimine uti ſolet ut Praetorio Praefectum τῆς αὐλῆς Ὕπαρχον, Vrbi Praefectum Ὕπαρχον τῆς Ῥώμης appellet; licet Interpretes aliquando in reddendis vocibus illis erraverint. Ita Relandus Zoſimi verba Ἀβλάβιον τὸν αὐλῆς Ὕπαρχον *Praefectm Vrbis* interpretatur, cum *Praetorio Praefectum* reddi debeat; ac Zoſimi Interpres haec verba παραλύσας Θεόδωρον τῆς τῶν Ὑπάρχων ἀρχῆς Καικιλιανῷ ταύτην παρέδωκι latine reddidit *Theodoro Praefectura Vrbana deiecto Caeciliano eam tradidit*, cum tamen Theodorus ille non *Vrbis*, ſed *Praetorio*, praeſſet.

✠ - - - - onianus Octavius.

Cir. an. V. C. 933. *Chr.* 180.

Titulus, qui ſuperiori ſeculo Piſis in Templo S. Zenonis extabat, initio mutilus a Muratorio exhibetur (1)

. . . . . ONIANO. OCTAVIO. P. F.
PRAEF. VRB. FERIARVM. ET.
LEG. LEG. PRIM. ITAL. COS. II.
ANTONIAN. VERIAN. LEG. AVG.
. . ORIS. PRAETORI. ETRVRIAE. V̄. PISIS
PVBLICE
D. D.

Epigraphem ipſam *mutilam Marmoris exeſi* vulgavit olim Dempſterus (2)

. . . RO-

(1) Pag. 767. 7. (2) Etr. Reg. Libr. V. c. 1.

. . . . RONIANO. OCTAVIO

. . . . F. PRAEF. VRB. FERIAR.

LEG. LEG. PRIM. ITAL. COS. II.

ANTONIAN. VERIAN. LEG. AVG.

. . ORIS. PRAETORI. ETRVRIAE. V. PISIS

PVBLICE

D. D.

. . . . . PATRIAM. SVAM. BENEFICIA

\- - - - - - -

quemadmodum Gorius (1) ex Strozzii apographo paucis mutatis edidit, ut proinde apographum ipſum ex Marmore, vel e Dempſtero ſumptum videatur.

Quamvis autem in exemplis omnibus habeatur COS. II. quod cum ſequentibus vocibus haerere certe non poteſt, legendum tamen arbitror SODALI. Sic enim optime exprimeretur quod Civis ille *Antoninianus*, et *Verianus* Sodalis fuiſſet, quos Sodales in Antonini, ac Lucii Veri honorem inſtitutos eſſe ad annum 176. iam vidimus. In 5. verſus initio legerem QVAESTORI. in fine vero, licet retineri fortaſſe poſſit V. PISIS, ut exprimatur *Quinquennali Piſis*; libentius tamen reſcriberem XV. POP. ut nimirum conſueta formula indicetur quod ille XV. Etruriae Populis praefuit; quemadmodum in Grutero (2) legitur *Pract. Etrur. XV. Populorum*, et in Reineſio (3) *Praetor Hetrur. XV. Popul.* Ita recenſitis eius Praefecti honoribus indicatur quod ipſi titulus, ac ſtatua *Publice*, nimirum publico ſumptu, *Decurionum Decreto ob eius in patriam beneficia* dicata fuit: ut proinde hic Vrbis Praefectus praeclaris aliis Piſanis Civibus accenſendus videatur.

Non

(1) Inſcr. Etrur. Tom. II. p. 18. num. 12. (2) Pag. 385. 1.
(3) Claſ. VI. n. 114.

Digitized by Google

Non plurimum vero fortaſſe fallar ſi ad eandem illam familiam, ex qua Praefectus iſte prodierat, referendum exiſtimem *Coloniae Piſanae Patronum*, qui in hoc Marmore memoratur (1)

. . . . . NEP. L. PRON.
. . . . . D. OCTAVIO. PRISCO.
. . . DIVI. TRAIANI. PARTHICI. PRAEF.
. . . . SEVIR. EQVIT. ROMAN.
SEVIRO. QVINQ. II. PATRON. COLON.
COL. PISANA.

In utroque Marmore vel Aproniano, vel Varroniano, vel quidpiam ſimile reſtitui debet; et *Octavius Priſcus* alterius . . *niani Octavii* pater cenſeri poterit.

Perennius.

Cir. an. V. C. 937. *Chr.* 184.

QVamvis incertum plane, atque obſcurum videatur an *Perennis* iſte, ſive *Perennius Praetorio*, vel *Vrbi* Praefectus fuerit, eius tamen nomen in Praefectorum Vrbis ſerie memorandum eſſe putavi, quod pluribus fortaſſe indiciis appareat ipſum Vrbi quoque Commodi temporibus praefuiſſe. Ac primo quidem Euſebius (2) de Apollonii Senatoris Romani martyrio loquens ait quod ipſius accuſator confractis cruribus occiſus fuit, Περεννίου δικαςοῦ τοιαύτην κατ' αὐτοῦ ψῆφον ἀπενήνοχαντος *Perennio Iudice eiuſmodi adverſum ipſum ſententiam pronunciante*. Deinde vero ſubdit Euſebius quod cum

(1) Fabret. Cap. V. num. 351. (2) Hiſt. Eccl. Lib. V. c. 21.

cum Apollonius Perennii conſilium ſequutus cauſam ſuam in Senatu egiſſet, a Senatu damnatus fuit; aſſeritque Euſebius quod *cuncta ab illo in iudicio dicta, et quaecumque Perennio interroganti reſpondit*, in Martyrum Paſſionibus a ſe conſcriptis reperiuntur. Eiuſmodi Euſebii teſtimonio erudimur quod Apollonius Senator a ſcelerato ſervo ad Perennium veluti ipſius Iudicem delatus fuit, Apollonius Perennii hortatu apud Senatum cauſſam ſuam inſtituit, in ipſo Senatu *Perennio interroganti reſpondit*, tandemque iniqua Senatus ſententia damnatus fuit.

Itaque Valeſius, ac Tillemontius, cum Perennem Commodi temporibus ab anno V. C. 183. ad 186. *Praetorio*, non *Vrbi* Praefectum fuiſſe conſpicerent (1), Apollonium a Praetorii Praefecto iudicatum eſſe putarunt. Ac Valeſius quidem ingenue profitetur quod Commodi aetate Praetorii Praefecti non ex *Senatorio*, ſed *equeſtri* ſolum Ordine ſeligebantur, nullumque ius in Senatores ipſos exercere poterant, ſed criminales Senatorum cauſae a ſolo Vrbis Praefecto, adiectis tamen quinque Senatorum ſuffragiis, cognoſcebantur, ut ex Sidonii Epiſtolis, (2) aliiſque Veterum teſtimoniis oſtendi poſſet. Itaque Valeſius ingenue fatetur intelligi vix poſſe quomodo Apollonius Senator non ad Vrbis Praefectum, cuius intererat, ſed ad Praetorii Praefectum delatus fuerit.

Vt autem nodum hunc dirimat, obſervavit quod Apollonius Senator ad Perennium quidem delatus fuit; ſed, cum ipſe eum Senatorem eſſe intelligeret, ad Senatum remiſit, a quo ſolo damnatus fuit. Tillemontius vero contendit quod Commodi aetate Senatores etiam Praefectorum Praetorio iuriſdictioni ſuberant, idque Severi exemplo perſpicuum eſſe arbitratur,

(1) Lampr. in Com. c. 6. Herodian. Lib. I.
(2) Lib. IV. ep. 10. Vid. Notas Iuret.

tur, qui quamvis Senator, et Proconſul foret, a Praetorii tamen Praefecto iudicatus fuit.

Niſi tamen plurimum fallor, Valeſii explicatio refelli debet, cum perſpicuo Euſebii teſtimonio compertum ſit Perennium in Senatu ſediſſe, Apollonium interrogaſſe, atque cum Senatoribus aliis ſententiam tuliſſe, quod ex ipſa Valeſii hypoteſi Praefecto Praetorii convenire non poterat. Ita quoque Tillemontius ipſe, & Septimii Severi exemplum ab eo prolatum refelli poterit; cum Praetorii Praefectus neque in Senatu ſederit, neque iure ſuo, ſive *ordinaria* poteſtate iudicium inſtituerit, ſed peculiari ſolum Principis imperio Severus ab utroque Praetorii Praefecto iudicatus ſit, *quibus* Spartiano (1) ipſo teſte *audiendus datus fuerat*.

Itaque non immerito cenſeri poterit quod Perennius ille tunc temporis non *Praetorii*, ſed *Vrbis* Praefectus eſſet, quamvis iterum Praetorio mox praefuerit; ſive potius in tanta poteſtate, qua tunc abutebatur, Praetorio, ſimulque Vrbi imperaverit. Certe fieri vix potuit ut ſervus ille, qui Apollonium accuſavit, ipſum ad alienum tribunal detulerit; cumque intelligeret Senatores vel ad Vrbis Praefectum, vel ad Senatum provocandos eſſe, dominum ſuum ad Praetorii Praefectum detulerit. Quod vero Perennius, qui Commodi aetate rerum omnium arbiter erat, ipſo quoque Vrbanae Praefecturae munere fungi potuerit, non obſcure ex ipſo Lampridii textu deduci poteſt. Etenim ille de Commodo loquens ait. *Praefectos Paternum & Perennium non diu tulit, ita tamen ut etiam de his Praefectis, quos ipſe fecerat, triennium nullus impleret . . . & Praefectos Vrbis eadem facilitate mutavit*. Hinc Lampridius (2) ipſe teſtatur quod *Praefecti Praetorii per boras, ac dies*

(1) In Commod. c. 3. (2) In Comm. c. 6.

ac dies mutabatur, idque Nigri exemplo demonſtret, qui *ſex tantum horis Praefectus Praetorii fuiſſe perhibetur* . . . et *Martius Quartus Praefectus Praetorio diebus quinque*. Quis hic aperte non videat quod Perennius ille, qui a Commodo anno 183. Praetorii Praefectus electus erat, ad annum uſque 186., quo interemptus fuit (1), ſecus ac Valeſio, ac Tillemontio videbatur, eo Praefecti munere fungi non potuit; ſed facile ad Vrbis Praefecturam translatus fuit?

Video quidem id coniecturae ſolum inniti, ſed in tanta rerum obſcuritate cur coniecturis uti non liceat, ubi praeſertim ex Scriptoribus nulla propemodum lux effulgere videatur? Certe Ruffinus Euſebium exſcribens Perennium ipſum *Iudicem* appellavit, in Romano Martyrologio legitur Apollonium *Romae ſub Commodo Principe, & Perennio Praefecto* martyrii palma 18. Aprilis die donatum fuiſſe: ideoque ſemper ambiguum ſupereſſet an Perennius ille vel Vrbi, vel Praetorio Praefectus foret.

Cum tamen in Sacris Romanis Tabulis non *Praetorii*, ſed *Vrbis*, Praefectus indicari conſueverit, inde quoque non prorſus immerito deduci poterit quod Perennius ille tunc temporis Vrbi, non Praetorio, praefuerit.

Denique, ne quid hac in parte diſſimulem, fortaſſe coniicere, vel ſuſpicari quis poterit *Perennium* illum, qui in Martyris Apollonii Actis memoratur, ab eo Perenni diſtinguendum eſſe, qui a Lampridio veluti Praetorio Praefectus exprimitur. Certe Praefectus ille a Lampridio ſemper *Perennis* vocatur, cum tamen alter ſemper *Perennii* nomine deſignetur.

Quod ſi Perennius in Vrbis Praefectorum ſerie retineri facile poſſit, id tamen de Cleandro, & Paterno cum Contelorio effingi ſane non poterit, quum uter-

N que

(1) Tillem. in Com. Art. 5.

que non Vrbi, ſed Praetorio ſolum praefuerit. Hinc Ammianus (1) de Strategii crudelitate differens ait quod *invisior Cleandro fuit, quem agentem ſub Imperatore Commodo Praefecturam ſublata vecordia diverſas legimus vexaſſe fortunas, & oneroſior Plautiano, qui Praefectus itidem ſub Severo ultra mortale tumens cuncta confuderat, ni gladio periiſſet ultore*: quemadmodum ſane Cleander ipſe a Commodo anno Chr. 189. interemptus fuit (2).

Marcus Antonius Antius Lupus.

Cir. an. V. C. 939. Chr. 186.

IN Gruteri Marmore (3) non modo Praefecti huius nomen exprimitur, ſed ipſum quoque tempus, licet obſcurius, indicatur, quo eo munere functus fuerit.

D. M.
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR.
PATRICII. AVGVRIS. QVAEST. SODAL. TITII. TRIB.
MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE. FIDEL. X VIR
STL. IVD. PRAEF. FER. LAT. CVIVS. MEMO
RIA PER VIM OPPRESSI IN INTEGRVM
SECVNDVM. AMPLISSIMI ORDINIS CONSVLTVM
RESTITVTA EST * * *

Itaque, cum Lampridio (4) teſte Commodus Imperator Anicium Lupum occiderit, atque, ut Salmaſius obſervavit, in Palatino Lampridii Codice non *Anicium Lupum*, ſed *Antium Lupum*, legatur, nihil veriſimilius eſſe poteſt, quam quod Marmor ipſum de ci-

ve,

(1) Libr XXVI. (2) Tillem. in Com. Art. 7. & Herodia. Lib. I. c. 13. (3) Pag. 356. 1. (4) In Com. c. 7.

ve, qui a Commodo oppreſſus fuerit, loquatur; cum praeſertim Capitolinus (1) afferat quod a Pertinace poſt Commodi mortem *eorum memoria reſtituta fuit, qui occiſi fuerant*. Hinc vero facile apparet quod Antius Lupus Commodi aetate Feriarum Latinarum cauſſa Vrbi praefuit; ideoque, cum Commodus ab anno Chr. 180. ad annum uſque 193. imperaverit, Antii Praefectura iis finibus circumſcribi debet.

Baſſus.

Cir. an. V. C. 946. Chr. 193.

PRaefecti nomen Spartianus (2) in Severi Vita paucis, & obſcurius expreſſit. Ille nimirum de Severo ipſo loquens, qui anno Chr. 193. Imperium adeptus erat, Dionis (3) inſtar aſſerit quod cum Severus *Probo genero ſuo Praefecturam Vrbis obtuliſſet, ille recuſavit, dixitque minus ſibi videri Praefectum eſſe, quam Principis generum*. Deinde vero ſubdit Spartianus quod Severus in Illyricum, atque Orientem adverſus Peſcennium Nigrum, qui Imperium arripuerat, profecturus *Domitium Dextrum in locum Baſſi Praefecti Vrbis reliquit*. Itaque, cum Severus Roma digreſſus iter ſuſceperit anno Chr. 193. Baſſi Praefectura, niſi fortaſſe ſuperiori tempore inceperat, inter tempus illud, quo Severus Imperium ſuſcepit, & tempus, quo Domitius Baſſo ſucceſſit, conſtitui debet.

(1) In Pertin. c. 6. (2) Cap. 8. (3) Lib. LXXVIII

Domitius Dexter.

An. V. C. 946. Chr. 193.

EX perſpicuo Spartiani loco, quem ſuperius expoſui, manifeſtiſſime apparet quod anno Chr. 193. Baſſo vel amoto, vel defuncto Domitius Dexter in Vrbanae Praefecturae honore a Severo Auguſto ſuffectus fuit.

Flavius Claudius Sulpicianus.

An. V. C. 946. Chr. 193.

DVm Pertinax Imperium obtinebat Vrbanae Praefecturae munus Sulpiciano eius ſocero delatum fuiſſe Herodianus (1) oſtendit ubi de pluribus loquens, qui Pertinace iam mortuo ad Imperium ipſum adſpirabant, ait: *Iulianus Conſularis quaerebat Imperium, eodem tempore Sulpicianus & ipſe vir Conſularis, ac Praefectus Vrbis, ſocerque Pertinacis Imperium licitabatur*. Itaque, cum Pertinacis imperium trium ſolum menſium ſpatio circumſcriptum fuerit, eodem ipſo Chriſti anno 193. quo Pertinax & electus, & nefarie occiſus fuit, Sulpiciani Praefectura a Spartiano (2) quoque memorata adſcribi debet.

Ceterum Sulpicianus ille a Spartiano *Claudius* vocatur, ubi tamen Caſaubonus *Flavii* nomen adiungendum eſſe arbitratur: quod nimirum ille cum ab Herodiano Conſularis dicatur, unus idemque videtur cum Flavio Claudio Sulpiciano. qui in Conſularibus Faſtis occurrit.

* Cor-

(1) Lib. II. c. 6. (2) In Did. Iulia. c. 2.

✠ Cornelius Repentinus.

An. V. C. 946. Chr. 193.

SVlpiciano, qui generi ſui Pertinacis aetate Vrbi praeſuit, Cornelium hunc ſucceſſiſſe perſpicuo Spartiani teſtimonio erudimur. Ille nimirum deſcribens ea, quae occupato emptoque a militibus Imperio a Didio Iuliano (1) facta ſunt, ait: *Praefectum Vrbi Cornelium Repentinum generum ſuum fecit in locum Sulpitiani*. Quandoquidem vero Iulianus ipſe poſt bimeſtris Imperii ſpatium interemptus fuit, facile quoque eius gener Cornelius Vrbis Praefectus, ac Didiae Clarae maritus honorem, vitamque ſimul amiſit.

✠ Lucius Fulvius Gavius Numiſius Petronius Aemilianus.

Cir. an. V. C. 953. Chr. 200.

EPigraphem hanc Romae poſitam Cl. Maffeius (2) in Muſeo Veronenſi protulit

L. FVLVIO. L. FIL. OVF.
GAVIO. NVMISIO. PETRONIO
AEMILIANO. PRAETORI
TVTELARIO. CANDIDATO
AVGG. QVAESTORI. CANDID.
AVGG. PONTIFICI. PROMAGIS
TRO. SALIO. COLLINO. PRAEF.
FERIAR.

(1) In Did. Iuli. c. 3. (2) Pag. 252. 3.

Digitized by Google

FERIAR. LATINAR. III. VIR
MONETALI. A. A. A. F. F. VI. VIR
TVRMAE. I. EQVIT. ROMANOR
ATTIA. CERVIDIA. VESTINA
MARITO.

Quamvis in eiuſmodi Elogio nullus omnino temporis character affulgeat, non plurimum tamen fortaſſe fallar ſi Praefectum illum ad M. Aurelii, ac L. Veri, ſive potius ad Septimii Severi, filiorumque tempora referendum exiſtimem, cum ſemel iterumque *Auguſtorum* mentio habeatur; ac *Praetoris Tutelaris* dignitas in ipſo memorata ſatis oſtendat quod ille poſt M. Aurelii initium floruit, a quo dignitas illa inſtituta fuit. Quod ſi titulus ille ab Attia Cervidia coniugi non defuncto, ſed adhuc ſuperſtiti, poſitus exiſtimetur, tunc Fulvius in Marmore memoratus cum Fulvio Aemiliano confundi facile poterit, qui cum Nummio Albino anno 206. Septimii Severi temporibus Conſul proceſſit; ideoque titulus ante annum illum dicatus cenſeri, antequam Fulvius Conſulatum adeptus eſſet. Quum tamen haec omnia prorſus ambigua, & obſcura ſint, nihil hic temere definiendum; ſed huius Praefecti nomen circa annum Chr. 200. non immerito fortaſſe Faſtis inſcribi poterit.

✠ Caius Oreſtius Paulinus.

Cir. an. V. C. 953. Chr. 200.

Illuſtre quoddam Elogium a Marruvii civibus huic Oreſtio poſitum a Gudio exhibetur (1)

C. ORESTIO PAV
LINO. C. V.

PRAEF.

(1) Pag. 134. 5.

PRAEF. VRBIS. P. FERIARVM
LATINARVM. QVAESTO
RI. VRBANO. AED. CER.
PRAETORI. EODEMQ.
TEMPORE. PRAETOR
HETRVR. XV. POPVL.

* * * * *

Marmor ipſum, ſed mire depravatum, ediderat Reineſius (1)

CO MESTIO. PAV
LINO. CV......
PRAEF. VRBIS. FERIARVM
LATINARVM &c.

ibique *Domeſtio* legendum eſſe putavit quod ii, qui prius *Domitii* vocabantur, Conſtantinianis temporibus *Dometii*, ſive *Domeſtii* appellari caeperint, ac Praefectus ille *Comes Domeſticorum* fortaſſe fuerit. Hinc Reineſius ipſe arbitratur quod hic Praefectus unus, idemque fuerit, qui in Gruteri Marmore vocatur L. VIRIVS PAVLINVS V. C. COMES DOMESTICORVM, atque Aemiliani Auguſti temporibus anno 253. Vrbi praefuit. Marmoris tamen exemplum, quod a Reineſio ipſo exhibetur, vix patitur ut inde Lucii Virii Paulini nomen, ſimulque *Comitis Domeſticorum* dignitas exſculpatur: quae ſane Aemiliani Auguſti temporibus inſtituta iam fueras; licet ipſorum Comitum Ordines, atque diſtinctio prorſus ignota foret, ut ad annum 150. opportunius obſer-

(1) Claſ. VI. 114. (2) Pag. 273. 7.

obſervavi. Hoc idem Marmor a Muratorio quoque ita exhibetur (1)

COMESTIO PAV
LINO CV......
PRAEF. VRBIS FERIARVM
LATINARVM QVAESTO
RI VRBANO. AED. CVR.
PRAETORI EODEMQVE
TEMPORE. PRAETOR
AETRVR. XV. POPVL

* * * *

Quum in exemplis omnibus perſpicue diſerteque legatur *Praetor Etruriae XV. Populorum*, intelligi ſane non poterit cur Reineſius ibi *XII. Populorum* reſcribendum eſſe putaverit. Quamvis enim Etruria priſcis temporibus in XII. Vrbes, aut Populos diſtincta foret, proxime tamen in XVI. & XVIII. dirempta fuit; quemadmodum prorſus Hadriani Caeſaris aetate *Praetorem*, mox *Rectorem*, aut *Correctorem*, alioque tempore *Conſularem* habuit. Itaque, cum Comeſtius, ſive C. Oreſtius Etruriae *Praetor* fuerit, ad tempora Hadriano proxima referri ille debet, ideoque non prorſus immerito circa annum Chr. 200. Faſtis inſcribi.

Lucius

(1) Pag. 1037. 2. Spon. Miſcell. p. 1027.

Digitized by Google

Lucius Fabius Cilo Septimianus II.

Cir. an. V. C. 953. *Chr.* 200.

VErum Praefecti huius nomen magnifico Elogio debemus, quod a Mediolanenſibus ipſi dicatum, atque inter Donianas Inſcriptiones a Cl. Gorio vulgatum fuit (1)

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI
SEPTIMIANO. COS. PRAEF. VRB.
LEG. AVGG. PRO. PR. PANNON.
* * * * * * * *
COMITI. AVGG. LEG. AVGG.
\- - - - - - - - - - - - - -

Itaque, licet ille in Conſularibus Faſtis ad annum 204. *L. Fabius Septiminus Cilo*, in Grutero (2) autem *Septimius Cilo* vocetur, atque in Marmoribus, & Faſtis aliis *Chilo* habeatur, ubique tamen *Cilo Septimianus* reſcribi debet. Quemadmodum vero bis Conſul ille fuit quod anno quidem 193. ſuffectum, anno vero 204. ordinarium Conſulatum geſſerit, ita quoque Vrbanae Praefecturae munere bis decoratus fuit. Etenim Spartianus (3) de Caracallae ſaevitia loquens ait: *in ſummum diſcrimen etiam Cilo iterum Praefectus, & Conſul venit:* quemadmodum hoc ipſum mortis diſcrimen a Dione (4) memoratur τὸν δὲ δὴ Κίλωνα τὸν τροφέα τὸν εὐεργέτην, τὸν ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πεπολιαρχηκότα, ὃν καὶ πατέρα πολλάκις ἐκεκλήκει. ἐβουλήθη μὲν ἀποστερῆσαι τοῦ ζῆν. *Cilonem quoque, qui ipſum educaverat, & a quo multa beneficia* [illegible] *acce-*

(1) Claſ. VI. n. 16. & Grut. pag. 407. 2. (2) Pag. 407. 2.
(3) In Carac. c. 4. (4) Lib. LXXVII. c. 4.

acceperat, quique Praefectus Vrbis fuerat patris temporibus, quem etiam patrem ſaepenumero appellaverat, vita privare voluit Caracalla. Eiuſmodi Dionis teſtimonio erudimur quod Cilo Septimii Severi tempore, qui ab anno 193. ad 211. imperavit, Vrbis Praefecturam obtinuit; cumque in Gruteri Marmore legatur (1)

L. FABIO. M. F. GAL. SEPTIMINO

CILONI. PRAEF. VRB. C. V. COS. II

ideoque exprimatur quod anno 204. quo ſecundum Conſulatum geſſerat, nondum ſecundam Vrbis Praefecturam, quae in haec Epigraphe diſſimulata non foret, adeptus erat, hic alter Praefecturae honor poſt annum 204. ipſi delatus fuit. Hoc ipſum ex alio Gruteri Marmore deduci poterit, in quo legitur (2)

Λ. ΦΑΒΙΟΝ

ΧΕΙΛΩΝΑ

ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ

ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ

ΥΠΑΤΟΝ ΤΟ Β

Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ

ΤΗΣ ΓΑΛΑΤΙΑΣ

ΑΝΚΥΡΑ

ΤΟΝ ΕΑΥΤΗΣ

ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ

Lucium Fabium Cilonem Clariſſimum Praefectum Romae, Conſulem ſecundo Metropolis Galatae Ancyra Patronum ſuum honorat. Ceterum Cilonem ipſum Vrbi Septimii Severi

(1) Pag. 406. 9. (2) Ibi num. 10. Vide pag. 407. 1.

Digitized by Google

veri temporibus praefuiſſe ex variis etiam Legibus evinci poteſt, praeſertim vero ex Severi Epiſtola ad eum data, quae in Digeſtis (1) indicatur. *Epiſtola Divi Severi ad Fabium Cilonem Praefectum Vrbi miſſa*; quemadmodum in Digeſtis ipſis alio in loco (2) dicitur *deportandi in Inſulas ius Praeſidibus Provinciae non eſt datum, licet Praefecto Vrbi detur: hoc enim Epiſtola D. Severi ad Fabium Cilonem Praefectum Vrbi expreſſum eſt*.

✠ Lucius Marius Maximus Perpetuus Aurelianus.

Cir. an. V. C. 953. *Chr.* 200.

ETſi L. Marii Maximi nomen ad annum Chr. 218. in Praefectorum Faſtis occurrat, iterum tamen hoc ipſum nomen iis inſcribendum putavi, non modo quod L. Mario Maximo hic memorato *Perpetui Aureliani* nomen additum ſit, verum etiam quod honores ab hoc ipſo ſuſcepti ab iis honoribus diſtinguantur, quibus alter decoratus conſpicitur; ideoque hi duo fere cognomines inter ſe ſe diſtingui debeant.

Marmora, quibus alterius Marii Maximi nomen, dignitas, aetas probatur, ad annum 218. proferentur; ea vero, quibus huius Praefecti nomen nobis innotuit, hic ex Muratorio (3) ſubiiciuntur

L. MARIO MAXIMO
PERPETVO AVRELIANO
C. V. PRAEF. VRBIS
PROCONSVLI PROVINC.

 ASIAE

(1) Libr. I. tit. 12. l. 1. (2) Lib. XLVIII. tit. 20. l. 6.
(3) Pag. 2023. 5.

ASIAE ITERVM
PROCONSVLI PROVINC.
AFRICAE
M. IVLIVS CEREALIS
MATERNVS EX CIVITATE
FORO IVLIENSIVM
PATRONO OPTIMO

Brevius Elogium apud Muratorium (1) ipſum occurrit

L. MARIO MAXIMO
PERPETVO
AVRELIANO C. V.
PRAESIDI PROVINC.
GERMANIAE INFER.

* * *

Nobilis demum, ac luculenta Epigraphe ipſi dicata a Muratorio exhibetur (2)

L. MARIO L. F. QVIR.
MAXIMO. PERPETVO
AVRELIANO COS.
SACERDOTI FECIALI LEG. AVGG. PR. PR.
PROVINCIAE. SYRIAE. COELAE. LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE GERMANIAE. INFERIORIS. ITEM
PROVINC. BELGICAE. DVCI EXERCIT. MYSIA
CI APVD BYZANTIVM ET APVD. LVGDVNVM
LEG. LEG. I. ITALIC. CVR. VIAE. LATINAE
ITEM

(1) Pag. 719. 2. (2) Pag. 497. 4.

Digitized by Google

ITEM REIP. FAVENTINORVM. ALLECTO IN TER PRAETORIOS TRIB. PLEB. CANDIDATO QVAESTORI VRBANO TRIB. LATICL.

* * *

Quum Praefectus iſte *Leg. Augg.* mox *Leg. Aug.* dicatur, id optime Severi temporibus congruit, qui una cum Caracalla filio *Auguſtus* fuit, moxque moriens Caracallae ſoli *Auguſti* nomen reliquit. Ita quoque cum appellatur *Dux exercitus Myſiaci apud Byzantium*, de primis Severi ipſius temporibus intelligi poteſt, quibus Severus ipſe Byzantium adverſus Peſcennium Nigrum eius aemulum occupavit; ut proinde L. Marii Maximi Praefectura circa annum Chr. 200. collocari facile poſſit.

Lucius Fulvius Plautianus.

Cir. an. V. C. 956. Chr. 203.

QVamvis Herodianus, & Scriptores etiam alii teſtentur quod Plautianus iſte Septimii Severi temporibus Praetorio Praefectus fuit, nihil eſt tamen cur ex Praefectorum Vrbis ſerie, in qua Panvinius, &. Contelorius ipſum deſcripſerant, expungatur. Tanta nimirum Plautiani potentia fuit poſtquam praeſertim Fulviam Plautillam filiam ſuam Caracallae Severi Auguſti filio nuptui conceſſerat, ut omnia arbitrio ſuo diſponeret, ac Imperii non modo particeps, ſed etiam arbiter videretur. Quemadmodum ergo tot aliis honoribus auctus, & Conſularibus ornamentis (1), mox anno 203. ipſo quoque Conſulatu decoratus fuit, ſic etiam

(1) Vid. Dio. Lib. XLVI.

etiam facile Vrbanam Praefecturam geſſiſſe videtur, ubi praeſertim Severus ipſe Roma diſcedens rerum omnium curam Plautiano commiſit, ut Baronius ad annum ſuum 201. nimirum vulgaris Aerae 203. obſervavit.

Ceterum Plautianum ipſum non *Septimii* cum Panvinio, ſed *Fulvii* nomine cum Noriſio (1) vocandum eſſe argumento eſſe poterit quod eius filia Caracallae tradita *Fulviae* Plautillae nomine donata fuit; cum praeſertim Spartianus ipſe, qui de Severo loquens dixerat (2), *Plautianum ad occupandos Nigri liberos miſit*, alibi (3) dicat *Severus miſit Fulvium ad occupandos adultos Nigri filios*: quod nimirum unus idemque civis *Fulvii Plautiani* nomine vocaretur.

Iulius Felix Campanianus.

Cir. an. V. C. 953. *Chr.* 200.

QVamvis omnino incognitum ſit quo tempore Campanianus iſte Praefecti munere fungi potuerit, ipſum tamen hoc Faſtorum loco memorandum putavi quod ille, Fabretto (4) iudice, Antoninorum tempore floruiſſe videatur. Eius autem nomen ex ſolo Gruteri Marmore nobis affulſit, in quo legitur (5)

IVLIVS. FELIX CAMPANIA
NVS V. C. PRAEFECTVS VRBI
AD AVGENDAM THERMA
RVM TRAIANARVM GRATIAM
CONLOCAVIT

Prae-

(1) Epiſt. Conſ. pag. 411.
(2) In Seve. c. 6.
(3) In Peſcen. c. 6.
(4) Cap. X. n. 31.
(5) Pag. 177. 6.

Praefecti hius nepos, aut fortaſſe pronepos eſſe potuit Iulius Felix Campanianus, qui in hoc Fabretti Marmore nominatur (1)

ARCVS PILAS ET PLVTEVM EX VTRAQVE PARTE
OVATA .... LABORE EXPENSOA. VV. CC. ET
SPECTABILIBVS TARPEIO. ANNEIO FAVSTO
VC COMITE ORDINIS. PRIMI ET FORMARVM
ET IVLIO FELICE CAMPANIANO VC. EXCOMITE
ORDINIS PRIMI ET FORMARVM INSTAVRATVM

Siquidem ea Comitum in varios ordines diſtinctio ſequioribus ſolum Conſtantini M. temporibus invecta fuit, ut ad annum 150. demonſtravi, & Comitiva *Formarum* poſt Theodoſii iunioris aetatem inſtituta videtur, cum prima ipſius mentio apud Caſſiodorum occurrat. Ita quoque Gregorii M. (2) aetate *Campanianus glorioſus Magiſter Militum* floruit, qui fortaſſe ad eandem illam Iulii Felicis familiam ſpectavit.

✠ Caius Iulius Asper.

Cir. an. V. C. 965. Chr. 212.

IN Conſularibus Faſtis ad annum Chr. 212. *C. Iulius Aſper*, & *C. Iulius Aſper* nominantur, ideoque ſemper incertum erit quiſnam ex fratribus illis, qui nullo prorſus nominum diſcrimine diſtinguuntur, Urbanae quoque Praefecturae munus ſuſceperit; cum praeſertim in Muratorii Marmore ſolum *Aſpri* nomen exprimatur (3)

ASPER

(1) Cap. X. n. 31. (2) Libr. I. Epiſt. 44. olim. 42.
(3) Pag. 353. 1.

ASPER
BIS COSVL
PRAEFECTVS
VRBI

Illud unum hic aſſeri poterit quod ille ſolum Praefecturam obtinuit, qui *bis Conſul* fuit, ideoque prior in Faſtis nominatur; cum in Faſtis ipſis iterati Conſulatus nota exprimatur. Quin etiam Noriſius (1) optime exiſtimavit alterutrum ex his fratribus non *Caii*, ſed *Cnaei* praenomine donatum fuiſſe; non modo quod illi *Cnaei Iulii Aſpri* filii forent, ideoque ipſorum aliquis patris praenomen habuerit, verum etiam ut accuratiſſima nominum ſimilitudo vitaretur; cum praeſertim uterque *Iulii Aſpri* nomine vocaretur. Id omnium primus ex Fabretti (2) Marmore obſervavit Noriſius (3), in quo legitur, *C. Iulio Aſpro. Coſ. Praetori* &c. quemadmodum in alio dicitur . . . *Iulio Cn. F. Po. Aſpro*, ideoque ipſorum patrem *Cn. Iulium Aſprum* vocatum eſſe putavit. Quandoquidem vero in Donis (4) Excerptis a Valeſio (5) editis dicitur, quod Caracalla *Iuliano Aſpro* plurimos honores contulit, ſed *cum ad maximum culmen extuliſſet, ipſum, ac filios tot ſimul faſcium pompa conſpicuos* in Patriam remiſit; Noriſius in Dionis textu non *Iulianum*, ſed *Iulium*, ſcribendum eſſe contendit. Ego vero nihil omnino in Dionis textu mutandum eſſe putaverim, verumque eius nomen *Cn. Iulium Iulianum Aſprum* fuiſſe dixerim: qua ſane ratione Dionis Excerpta, ac Fabretti Marmora probe conciliantur. Id ego potiſſimum ex alio Marmore perſpicue certoque deduci poſſe conſpicio, quod eodem ipſo in loco erutum fuit, in quo

(1) De An. & Ep. Syr. Diſſ. III. p. 158. (2) Cap. I. n. 289. & p. 51. (3) De Epoch. Syro Maced. Diſſ. III. p. 158. (4) Ex Lib. LXX. c. 5. (5) Pag. 743.

Digitized by Google

quo ſuperius Aſpri Praefecti marmor inventum eſt. Siquidem in ipſo legitur (1)... IVLIAE. IVLIANAE. SORORI. ASPRI. Aſper ille, cuius ſoror Iulia Iuliana vocatur, non alius profecto fuit, quam Aſprorum Conſulum pater: etenim, ſi illorum ſoror fuiſſet, non *Aſpri*, ſed *Aſprorum* ſoror diceretur. Ergo, cum ipſa quoque *Iuliae Iulianae* nomine vocaretur, perſpicue apparet quod eius frater, & Aſprorum Conſulum pater *Cn. Iulii Iuliani Aſpri* nomine donatus erat. Non plurimum vero falli videretur, qui eius Cn. Iulii Iuliani Aſpri patrem fuiſſe dixerit *Lucium Iulium Iulianum* illum, qui in pluribus Gruteri (2) Marmoribus memoratur; quamvis Panvinius, atque olim ipſe quoque Noriſius (3) ipſum Aſprorum Conſulum patrem exiſtimaverit. Ita ſane facilius intelligeretur quod Caracalla Aſprorum Conſulum patrem *remiſerit in Patriam*, cum L. Iulius Iulianus, eiuſque filii vel Interamna, vel Ocriculo oriundi forent, ut ex ipſis Gruteri marmoribus inferri poterit, ac Villam prope Tuſculum haberent, in qua Aſprorum Conſulum, eorumque amitae Iuliae Inſcriptiones inventae ſunt. Eiuſmodi tamen coniectura ſolo Tribus nomine refelli facile poterit, cum L. Iulius Iulianus in Grutero memoratus ad *Palatinam*, Aſprorum vero pater ad *Poblilіam*, ſive ſi mavis Polliam, vel ad *Pomptinam* Tribum ſpectaret.

Ceterum, cum C. Iulius Aſper anno 212. Conſulatum geſſerit, poſt annum illum Praefecturam Vrbis geſſiſſe debuit; antequam nefarius Auguſtus Caracalla Aſprorum familiae infenſus, ac anno 218. interemptus foret. Denique, ne quidpiam diſſimulem, quamvis in alio Fabretti Marmore legatur (4)

C. IVLIO. ASPRO. IT. C. IVLIO. ASP....
P. R. C. ANN. DCCCCLXV.

P ideo-

(1) Mur. p. 353. (2) Pag. 422. (3) Epiſt. Conſul. p. 127.
(4) Cap. VI. n. 188. p. 494.

ideoque facile alterutri ex Aſpris illis *Cnaei* praenomen adſcribi poſſit, nihil eſt tamen cur utrobique *Caii* praenomen intelligi nequeat; cum pluribus exemplis aliis appareat plures etiam fratres non paterno, ſed uno interdum, eodemque praenomine donatos eſſe.

✠ Catius, *vel* Tatius.

Cir. an. V. C. 968. Chr. 215.

MVratorius (1) ex Donio, & Ambroſianis Schedis hoc Marmor ad Oſtia Tiberina poſitum exhibuit, quod a Grutero (2) quoque iam editum fuerat.

LITTORIBVS NOSTRIS QVONIAM CERTAMINA LAETVM
EXHIBVISSE IVVAT CASTOR VENERANDEQVE POLLVX
MVNERE PRO TANTO FACIEM CERTAMINIS AEQVAM
MAGNA IOVIS PROLES VESTRA PRO SEDE LOCAVI
VRBANIS TACITVS GAVDENS ME FASCIBVS AVCTVM
NEPTVNOQVE PATRI LVDOS FECISSE SABINOS.

Quum in Donii (3) exemplo habeatur

LITTORIBVS VESTRIS QVONIAM CERTAMINE LETVM

et pro *Tacitus* legatur *Catius*, Muratorius exiſtimavit integrum Conſulis (ibi nimirum de Conſularibus faſcibus agi putavit) nomen fuiſſe *Catium Laetum;* cumque ad annum 215. in Faſtis occurrat *Laetus II.* Marmor ipſum ad hunc Conſulem revocavit. Vbi tamen *Catii* nomen in Marmore ſupponatur, longe facilius ad anni 216. Conſulem referri poſſet, qui alicubi *C. Atius Sabinus*, alibi *Cattus*, ſive *Catius* appellatur.

At,

(1) Pag. 353. 4. (2) Pag. 99. 2. (3) Cl. IV. 55.

Digitized by Google

At, niſi plurimum fallor, *urbanis faſcibus* longe facilius hic *Vrbis Praefectus*, quam *Conſul*, deſignatur. Certe Scaliger in Indice IV. *Tatium* hunc (ita nimirum in Gruteri exemplo legitur) Praefectum Vrbis fuiſſe exiſtimat; ideoque Almelovenius hic fallitur, qui contra metri leges non *Tatius*, ſed *Statius* legendum eſſe opinatur, ac Marmor ipſum ad *M. Statium Priſcum* referri, qui anno Chr. 159. Conſularibus Faſtis inſcribitur.

Mirari vero quis poterit quod *Sabini* ludi Neptuno ſacri, qui perſpicue, diſerteque hoc in Marmore memorantur; nullibi prorſus aut in Scriptoribus, aut in monimentis aliis occurrant. Eos vero Neptuno ſoli ſacros fuiſſe, aut certe in ipſius honorem a Tatio vel inſtitutos, vel celebratos eſſe conſpicimus. Itaque Scaliger, ut opinor, hic fallitur, qui ludos ipſos in Caſtoris etiam ac Pollucis honorem peractos eſſe putavit. Ea vero de cauſa Caſtorem, ac Pollucem hic a Tatio memoratos exiſtimo quod ille *aequam*, vel *ipſam*, ut in exemplis aliis legitur, hoc eſt accuratam certaminis editi, vel celebrati faciem in Caſtorum *Sede*, vel templo collocaverit. Ac certe quidem Caſtorum aedem ad Oſtia Tiberina extitiſſe, ibique Tertullum Vrbis Praefectum ſacra feciſſe, ut ab iis facilem optatae frugis, & annonae adventum impetraret, ex illuſtri Ammiani loco deprehendi, qui ad annum 360. opportunius proferetur. Interim vero quid prohibet ne ludos illos a Catio celebratos non alia de cauſa *Sabinos* appellatos eſſe coniiciam, quam quod a Catio *Sabino* vel Conſule, vel Vrbis Praefecto inſtituti vel celebrati illi fuerint? Liberius hoc quidem, ac propemodum audax conjecturae genus: ſed eiuſmodi tamen, quod a temporum illorum moribus minime abhorreat. Quod ſi vis aliqua huic coniecturae eſſe poſſit, tunc Praefectus hic noſter cum C. Atio, ſive, ſi libeat, Catio Sabino Conſule facilius confundi poterit.

P 2 Alii

Digitized by Google

Alii vero, ſi libeat, diligentius inquirant an Catius iſte, qui monumentum Dioſcuris excitavit, unus idemque eſſe poſſit, qui dum Praetor Vrbanus eſſet monumentum aliud Herculi dedicavit, quod ita mutilum ab Appiano profertur (1).

HERCVLES INVICTE CATIVS HOC TVO DONV
NVMINI SANCTO DICAVIT PRAETOR VRBIS
CVM PIA SOLENNI MENTE RITE FECISSE
TRADIDISTI QVOD POTIVS EVANDRIO
ADMINISTRANDVM QVOTTANNIS HIC ADE

Quod ita in Grutero (2) ſuppletum, & emendatum conſpicitur

HERCVLES INVICTE CAVTVS HOC TVO DONVm libens
NVMINI SANCTO DICAVIT PRAETOR VRBIS Annius
CVM PIA SOLENNE MENTE RITE FECISSET tuum
TRADIDISTI QVOD POTITIS EVANDREO ſeculo
AMINISTRANDVM QVODANNIS HIC ADES votis ſavens.

✠ Sempronius Rufus.

Cir. an. V. C. 968. Chr. 215.

ACcuratiſſimus, & coaevus Scriptor Dio (3) plura commemorans, quae Caracallae aetate turpiſſime contigerunt ait: *καὶ ὅγε μάλιϛα ϗ ἀσχημονέϛερον, ϗ ἀναξιώτατον, ϗ τῆς γερυσίας ϗ τῦ δήμυ Ῥωμαίων ἐγένετο ϗ εὐνῦχος ἡμῶν τὸ γένος Ἴβηρ, τὸ δὲ ὄνομα Σεμπρώνιος Ῥῦφος τὸν*

δὲ δὴ

(1) Pag. 217. (2) Pag. 47. n. 3. (3) Libr. LXXVIII.

δὲ δὴ τὸν τρόπον φαρμακεὺς καὶ γόης κατεκράτεσι id vero turpiſſimum, atque indigniſſimum Senatu Populoque Romano, quod eunuchus natione Hiſpanus nomine Sempronius Rufus moribus veneficus, & praeſtigiator imperium in nos habuit. Itaque Tillemontius (1) optime exiſtimavit quod cum Eunuchus ille in Romanos, atque Senatum ipſum imperium habuerit, Vrbanam Praefecturam geſſerit; cum ampliſſima poteſtas illa in Senatum ac Populum in ſolo Vrbis Praefecto reſideret, ut opportune iam alibi demonſtravi. Quandoquidem ergo Caracalla (2) ab anno 211. ad annum uſque 217. imperavit, Sempronius ille circa annum 215. in Praefectorum ſerie recenſendus erit.

✠ Caius Perpennianus.

An. V. C. 970. *Chr.* 217.

IN Gruteri (3) Marmore Perpenniani nomen, atque Vrbanae Praefecturae ab illo ſuſceptae tempus exprimitur.

M. OPELI. ANTONINI
DIADVMENIANI. CAES.
PRINCIPIS. IVVENTVTIS
C. PERPENNIANVS. V. C.
PRAEF. VRB. DD.

Panvinius quidem, ipſique ſemper inhaerens Contelorius Perpennianum ipſum in Praefectorum ſerie ad annum Chr. 218. collocavit. Cum tamen, ut inferius oſten-

(1) Hiſt. Imp. Tom. III. art. 8. (2) In Praef. §. VI.
(3) Pag. 271. 5.

Digitized by Google

oſtendetur, Dione teſte Macrinus Advento Conſulatum ſimulque Vrbanam Praefecturam conceſſerit, quemadmodum hic Adventi Conſulatus ineunte anno 218. incepit, ita quoque Praefectura ipſa ad eundem annum referri debebit. Itaque facile C. Perpennianus anno 218. Praefectus eſſe non potuit; cumque proxime poſt Adventum L. Marius Maximus Vrbi praefuerit, Perpenniani Praefectura ad ſuperiorem annum 217. quo Macrinus undecimo Aprilis die Imperium, & M. Opelius eius filius Caeſaris dignitatem obtinuit, referri debebit.

✠ Lucius Marius Maximus.

An. V. C. 971. Chr. 218.

HVius Marii Maximi Praefecti nomen in quatuor Marmoribus a Muratorio allatis occurrit. Siquidem in primo legitur (1)

L. MARIO MAXI
MO. V. C. PRAEF.
VRBI. COS.

in altero (2)

IOVI. O. M. ET
FIDEI. CAND. SACR.
PRO. SALVTE
L. MARI. MAXIMI
C. V. PRAEF. VRB. COS.

in tertio (3), & quarto (4)

L. MARI. MAXIMI
PRAEF. VRB.

Siqui

(1) Pag. 394. 4. (2) Ibi n. 5. (3) Pag. 719. 1. &
(4) Pag. 2023. 6.

Siquidem *Lucius Marius Maximus Perpetuus Aurelianus*, qui in tribus Inſcriptionibus aliis memoratur (1), ad ſuperiora tempora ſpectaſſe debuit, ut opportune ad annum 200. indicavimus.

Interim vero obſervandum quod non ex Marmoribus ſolum, ſed etiam ex perſpicuo Dionis (2) teſtimonio haec Vrbana Marii Maximi Praefectura deduci poteſt. Siquidem ubi dixiſſet Dio id in Macrino Auguſto reprehenſum fuiſſe quod Adventum imperitum, ac ineptum hominem Praefectum Vrbi feciſſet, ſubdit. *ὅθεν ὐκ εἰς μακρὰν τῷ Μαξίμῳ τῷ Μαρίῳ τὴν τῆς πόλεως προστασίαν ἀντ' αὐτῦ προσέταξε καθάπερ ἐπὶ τῦτο μόνον Πολίαρχον αὐτὸν ποιήσας δια μιάνῃ τὸ βυλευτήριον ὅτι τὴν τῆς πολεως ἀρχὴν πρὸ τῦ τῆς ὑπατείας ἔργυ εἰλήφει, τυτέςι Πολίαρχος πρότερον ἢ βυλευτὴς ἐγεγένει unde factum ut non multo poſt eius loco Mario Maximo* Macrinus *Praefecturam Vrbanam traderet; ac ſi idcirco Praefectum eum Vrbis creaſſet ut Curiam pollueret . . . quod Praefecturam Vrbanam prius quam Conſulatum fuerat conſecutus, id eſt quod Praefectus Vrbi antea fuerat, quam Senator.*

Illud unum optime a Reimaro Dionis Interprete eſt obſervatum quod Macrinus ipſe una cum Praefectura Mario Maximo Conſularia ornamenta conceſſiſſe videtur; ut is proinde anno 223. quo vere Conſul proceſſit, in Faſtis ipſis Conſul II. dicatur. Quandoquidem vero Macrinus 11. Aprilis die anno 217. auſpicatus, & 8. Iunii die anno 218. interemptus duorum fere annorum ſpatio Imperium obtinuit, perſpicue apparet quod Marii Maximi Praefectura ad annum illum referri debet.

* Quin-

(1) Pag. 397. 4. Pag. 719. 2. Pag. 1023. 5.
(2) Lib. 78. c. 14.

✠ Quintus Coclatinus Adventus.

An. V. C. 971. *Chr.* 218.

VArios huius Adventi honores ab Herodiano, Dione, Capitolino, & Conſularibus etiam Faſtis expreſſos conſpicimus. Ipſum una cum Macrino Caracallae temporibus Praetorio Praefectum fuiſſe teſtatur Herodianus; (1) cumque a militibus ipſi delatum foret Imperium, longaevam ſenectutem cauſſatus illud Macrino reliquit, ut a Dione (2) & Capitolino (3) memoratur. Poſtquam vero Caracallae cineres Macrini iuſſu Romam detulit, Senator, Praefectus Vrbis, & anno Chr. 218. cum Macrino ipſo Conſul proceſſit. Quamvis enim in Faſtis Antonini Elagabali Auguſti, veluti Adventi Collegae, nomen occurrat; ibi tamen *Macrini* nomen eraſum, atque *Elagabali* ſubſtitutum fuit, ut Noriſius (4) oſtendit. Hinc in Dionis Fragmentis legitur quod Macrinus Adventum *non modo Senatorem, ſed etiam Collegam in Conſulatu, & Praefectum Vrbis creavit*. Itaque, licet Tillemontius Adventi Praefecturam in annum 217. revocaverit (5), cum conſulatus ille ineunte anno 218. ſuſceptus, atque elapſo bimeſtri ſpatio depoſitus fuerit, ipſa quoque Adventi Praefectura eodem tempore circumſcribi debet, cum Macrinus ipſe Dione teſte (6) Praefecturam Advento ereptam Mario Maximo conceſſerit, atque *Vrbis Praefecto Maximo* epiſtolam dederit antequam 7. Iunii menſis die anno 218. occideretur (7).

Quamvis autem Sponius (8) laudato Reineſii (9) Mar-

(1) Lib. IV. (2) Lib. LXXVIII. c. 14. (3) In Macrino. (4) Epiſt. Conſ. p. 130. Turre de an. Elag. p. 75. Vid. Reland. Faſt. Conſ. (5) In Macr. Art. 7. (6) Lib. LXXVIII. cap. 14. (7) Ibi c. 36. (8) Miſcel. p. 72. (9) Cl. I. n. 244.

Marmore exiſtimavit Adventum iſtum eundem eſſe qui *C. Antiſtius Adventus Legatus Aug. Propraetor* in Marmore nominatur, mihi tamen unus ab altero diſtinguendus videtur, verumque Praefecti noſtri nomen ex conſtanti Faſtorum conſenſione agnoſcendum putaverim. Quod ſi in Florentinis Faſtis minoribus legitur Ὀκλατιανὸς, ϗ Ἄτβεντος, ſuſpicari facile poſſumus id ex aliquo Faſtorum exemplo prodiiſſe, in quo Macrini nomen eraſum foret, ideoque ſcriptor, ut integrum Conſulum par haberetur, ita *Oclatini Adventi* nomina diſcerpſit, ut duo diſtinctique viri, ſeu Conſules viderentur.

Quemadmodum vero Sponii coniecturam refellendam eſſe iam diximus, ita quoque Dodvelli opinio refelli facile poterit, qui in *Diſſertatione de aetate Iſidori Characeni* opinatur *Adventum* illum, cui Solinus Opus ſuum inſcripſit, unum eundemque fuiſſe, qui hoc anno Vrbi praefuit. Siquidem Adventus ille Solini fautor *optimarum Artium ſtudiis praeſtabat ceteris*, ut Solinus ipſe teſtatur (1), quod de Advento noſtro ſuſpicari certe non poſſumus, qui Dione, ac Herodiano teſte, rudis ac imperitus eſſe debebat. Accedit etiam quod in antiquioribus Solini editionibus non *Adventi*, ſed *Autii* nomen occurrit, pro quo vel *Antium*, vel *Avitum* reſcribendum eſſe Delrio coniecit.

✠ Leo.

An. V. C. 972. Chr. 219.

INter innnumera, quae infauſtis nequiſſimi Caeſaris Elagabali temporibus temere, atque indecore contigerunt, illud etiam a Scriptoribus memoratur quod ad auguſtam Vrbanae Praefecturae, & Conſulatus dignita-

Q

(1) Cap. I.

gnitatem viliſſimi etiam viri Caeſaris arbitrio evecti ſint; atque in Praefectis ipſis mira perturbatio invecta fuerit, ut Praefectis aliis in ordinem redactis unus idemque libertus iterum, tertioque ſucceſserit; ut de Comazonte mox oſtendetur. Interim perſpicuo Dionis (1) teſtimonio erudimur quod prior ex Praefectis illis, quibus Comazon ſucceſſit, L. Marius Maximus eſse debuit, ſecundus vero *Leonis* nomine vocabatur; qui ineunte Elagabali imperio cum Praefectus electus eſſet Auguſtum ipſum aurigantem una cum aliis ſpectabat: *ἄλλοί τε, κ̀ ὁ Λέων Πολίαρχος & alii, & Leo Vrbis Praefectus*. Itaque Praefectus ille ad prima Elagabali tempora, ideoque ad annum Chr. 219. referendus erit.

✠ Eutychianus, *ſive* Comazon.

An. V. C. 973. *Chr.* 220.

POſtquam Dio (2) perſpicue diſerteque dixerat quod Eutychianus quidam libertus, alioque nomine *Comazon* vocatus ab Elagabalo Praetorii Praefecturam, conſularia ornamenta, mox Conſulatum, & Vrbis Praefecturam ſemel, iterum, tertioque accepit *ὑπάτευσεν οὐχ ἅπαξ μόνον ἀλλὰ κ̀ δεύτερον κ̀ τρίτον, ὃ μηδενὶ πώποτε ἄλλῳ ὑπῆρξεν*, narrata Elagabali nece alios enumerans, qui eodem ipſo tempore interempti ſunt, ait (3) *κ̀ Φούλβιος ὁ Πολίαρχος, κ̀ αὐτὸν ὁ Κωμάζων, ὡς κ̀ τὸν πρὸ αὐτοῦ, διεδέξατο· ὥσπερ γὰρ προσωπεῖόν τι ἐς τὰ θέατρα ἐν τῷ διακένῳ τῆς τῶν Κωμῳδῶν ὑποκρίσεως ἐσεφέρετο, κ̀ οὕτω κ̀ ἐκεῖνος τῇ τῶν Πολιαρχησάντων ἐπ αὐτῇ κένῃ χώρᾳ προσετάττετο item-que Fulvius Praefectus Vrbis, cui Comazon, ut etiam ei,* qui

(1) Libr. 79. c. 14.
(2) Libr. LXXIX. c. 4.
(3) ibi c. 21.

qui ante ipſum fuerat, *ſucceſſit*: *nam*, *ut perſona quaedam inferebatur in theatra quo in loco actores Comaedıarum non erant*, *ita hic in loco deſtituto a Praefectis Vrbis collocabatur*. Hinc vero manifeſtiſſime apparet quod Comazon primum quidem L. Mario Maximo, deinde vero Leoni ſuperius memorato, moxque Fulvio ſucceſſit; ideoque ter Vrbis Praefectus fuit, quod antea nulli contigerat. Itaque in ſuperiori Dionis loco non ὑπάτευσεν *Conſul fuit*, ſed ἐπολιάρχησεν *Praefectus Vrbis fuit* reſcribi debet; ſive potius ὑπάτευσεν, ϗ ὑπολιάρχησεν *Conſul*, *& Vrbis Praefectus fuit*, ut Reimarus optime obſervavit. Etenim pluribus etiam aliis contigerat ut *tertio* Conſulis munere fungerentur, ideoque Dionis verba non de Conſulatu, ſed de ſola Praefecti dignitate tertio ſuſcepta, intelligi poſsunt.

✠ Fulvius.

An. V. C. 975. Chr. 222.

DVM Elagabalus a furentibus militibus die 11. Martii anno Chr. 222. interemptus fuit, Fulvium Vrbanae Praefecturae munere decoratum fuiſſe, ac ipſum quoque una cum plurimis aliis occiſum eſse ſuperiori loco iam vidimus. Itaque hoc anno *Fulvii* nomen Praefectorum Faſtis inſerendum erit: ſimulque Eutychiani, vel Comazontis, qui Fulvii ſucceſſor tertiam poſtremamque Praefecturam obtinuit.

Digitized by Google

Turcius Almachius.

Cir. an. V. C. 983. *Chr.* 230.

ALexandri Severi aetate Praefecti munus ab Turcio Almachio ſuſceptum fuiſſe in Romano Martyrologio diſerte legitur ubi ad 22. Novembris diem de illuſtri S. Caeciliae martyrio dicitur: *Hanc Almachius Vrbis Praefectus teneri, atque illuſtri paſſione poſt ignem ſuperatum gladio fecit conſumari tempore M. Aurelii Severi Alexandri Imperatoris*. Itaque, cum Severus Alexander ab anno Chr. 222. ad annum uſque 235. Imperium tenuerit, Almachii Praefectura his terminis circumſcribi debet, & circa annum 230. collocari commode poterit.

Quamvis autem Praefectum hunc Martyrologii textum ſequutus *Almachium* vocaverim, alterum tamen *Turcii* nomen adieci quod in Caeciliae Martyris Actis dicatur: *Turcius, qui etiam Almachius, cum eſſet Praefectus Vrbis, iubebat Sanctorum corpora relinqui inſepulta*: perinde ac ſi duo diſtincta nomina viderentur, quorum alterutro Praefectus ille deſignaretur. Fortaſse tamen utroque nomine is vocabatur, ideoque *Turcius Almachius* dicendus erit.

✠ Decimus Caelius Balbinus.

An. V. C. 983. *Chr.* 230.

QVamvis Tillemontius (1) Balbinum hunc ex Vrbis Praefectorum ſerie expungendum eſſe putaverit, ego tamen hunc quoque cum Praefectis aliis recenſeo

(1) In Maximino Art. 7.

Digitized by Google

cenſeo quippe qui Capitolini (1) auctoritate plurimum moveat, qui dignitatem hanc non Pupieno ſolum, ſed Balbino quoque conceſsam eſse teſtatur. Etenim de utroque ex Auguſtis illis ad Imperium evecto diſſerens ait: *huc accedit quod multis honoribus, ac poteſtatibus explorati ſunt; cum alter bis Coſ. & Praefectus, alter Coſ. & Praefectus ad Imperium longaevi perveniſſent.*

Video quidem ex his Capitolini verbis perſpicue, certoque inferri non poſse an Balbinus *Vrbi* potius, quam *Praetorio*, Praefectus fuerit; idque, ut opinor, Tillemontium impulit ut de Vrbana Balbini Praefectura dubitaret. Verum, cum Scriptor ille tum de Pupieno, tum de Balbino loquens iisdem omnino verbis utatur, ideoque eandem prorſus Praefecturam utrique tribuere videatur, ſi Pupienus Vrbanam ſolum Praefecturam obtinuit, ut mox oſtendetur, haec ipſa quoque Balbino ipſius in Imperio Collegae adſcribi debet. Quo vero tempore Balbinus eam adeptus fuerit, in tanto Scriptorum ſilentio definiri non poteſt. Fortaſse tamen haec dignitas ipſi conceſsa fuit circa annum Chr. 213. quo ſecundo Conſul proceſserat; & ante annum 238. quo Imperium arripuit.

Marcus Claudius Pupienus Maximus.

An. V. C. 991. Chr. 238.

Capitolinus (2) ipſe varios honorum gradus enumerans, quibus Pupienus ad Imperium evectus eſt, ait: *Proconſulatum Bithyniae egit, & deinceps Graeciae, ac tertio Narbone. Poſt haec Praefectus Vrbis prudentiſſimus, ac ingenioſiſſimus, & ſeveriſſimus approbatus eſt. Quare veluti*

(1) In Max. & Balb. c. 15. (2) In Pupie. & Balbi. c. 5.

uti Senatus ei homini, quod non licebat, novae familiae Imperium tamen detulit. Qui ſane Capitolini locus, ut id obiter moneam, longe clarior, & concinnior eſt futurus, ſi verba temere a librariis tranſpoſita hoc ordine reſtituantur: *quare Senatus ei homini, quod non licebat, veluti novae familiae, Imperium tamen detulit*.

Hanc ipſam Pupieni Maximi Praefecturam Herodianus etiam expreſſit (1): *τῆς τε Ῥωμαίων πόλεως Ἔπαρχος καταςὰς ἐπιςρεφῶς τε ἄρξας, καὶ ἐν ὑπολήψει παρὰ τοῖς ὄχλοις φρενῶν τε ἀγχινοίας, καὶ βίου σώφρονος & Praefectura Vrbis egregie geſta maximam ingenii, providentiaeque, praeterea vitae continentis opinionem vulgo de ſe praebuerat*.

Ex huiuſmodi Herodiani loco, praeſertim vero ex ſuperioribus Capitolini verbis perſpicue, ut opinor, inferri poterit quod Pupieno Maximo Imperium eo tempore delatum fuerit, quo Vrbanae Praefecturae munere laudatiſſime fungebatur; ideoque, cum ad Imperium ipſum anno 238. evectus fuerit, eius nomen commode Praefectorum Faſtis anno 238. inſerendum erit, poſtquam nunciata Gordianorum electione Sabinus Maximi fautor a Populo interemptus fuerat, ut ſequenti loco oſtendetur.

Sabinus.

An. V. C. 991. *Chr.* 238.

CApitolinus (2) narrata Alexandri Severi nece poſt Imperium a Gordianis in Africa ſuſceptum illa quoque recenſet, quae Romae contigerunt: *Appellati Gordianus ſenex, & Gordianus iuvenis a Senatu Auguſti. Interfectus eſt Sabinus Praefectus Vrbis percuſſus in Populo*.

(1) Libr. VII. c. 10. (2) In Maximinis c. 15.

pulo. Deinde vero in Gordiani Africani vita (1) paullo accuratius populi furorem exponens, quo *facem Maximinianae tyrannidis*, omnes nimirum Maximini fautores, contra quem Gordianis ipſis Imperium delatum fuerat, ait, *Tunc & Praefectus Vrbis Sabinus Conſularis vir fuſte percuſſus occiſus, & in publico derelictus eſt*. Itaque, cum Gordianorum electio in annum Chr. 238. inciderit, perſpicue apparet quod Sabini Praefectura eidem, aut proxime ſuperiori anno adſcribi debet.

✠ Vlpius Vettius Sabinus.

An. V. C. 991. *Chr.* 238.

QVum Romam utriuſque Gordiani Africani caedes nunciata foret, qui contra crudele Maximini Imperium, ſive tyrannidem electi fuerant, *Vettius Sabinus ex familia Vlpiorum* Senatui auctor fuit, ut Auguſti duo Pupienus, & Balbinus eligerentur; cumque haec electio rite a Senatu peracta foret, Sabinus ipſe Vrbis Praefectus electus fuit: *Poſt has relationes Praefectura Vrbis in Sabinum collata eſt, virum gravem, & Maximi moribus congruentem* (2).

Itaque perſpicue apparet quod hic Sabinus ab alio diſtingui debet, qui repente poſt Gordianorum electionem a Romano populo interemptus fuit, cum ille Maximini Auguſti fautor foret, ideoque a populo contra *Maximinianae tyrannidis faces* furente occiſus, hic autem a novis Auguſtis Pupieno, ac Balbino Maximino obiectis Praefecti munere decoratus conſpicitur.

* Miſi-

(1) Cap. 13. (2) Capit. in Max. & Balbin. c. 2.

Digitized by Google

✠ Miſitheus.

An. V. C. 993. *Chr.* 240.

PRaeclara tanti Viri merita, ſimulque honores ipſi conceſſos Capitolinus in Gordiani tertii Vita deſcribit (1). Etenim, cum ſcientia, & eloquentia clariſſimus ille foret, ac Praetorio Praefectus eſſet, Gordianus Pius Furiam Sabinam Tranquillinam Miſithei filiam in coniugem ſibi ſelegit, eamque *Auguſtae* nomine decoravit. Tanta vero Gordiani pietas erga Miſitheum ſocerum, atque obſervantia fuit, ut ipſum non alio, quam *patris*, nomine compellaret. Itaque Senatus etiam Auguſti exemplo permotus Miſitheo titulum hunc a Capitolino (2) conſervatum ſtatuae, ut videtur, ſubiectum dicavit

MISITHEO
EMINENTI VIRO
PARENTI. PRINCIPVM
PRAEF. PRAETORIO
ET. TOTIVS. VRBIS
TVTORI. REIP.
S. P. Q. R.
VICEM. REDDIDIT

Titulus alter eidem dicatus, qui ducentis ab hinc annis viſebatur, a Grutero exhibetur (3)

MISITHEO. PARENTI
PRINCIPVM. P. R. TVTORI
REIP. S. P. Q. R....
. . . .

Caſau-

(1) Cap. 23. (2) In Gord. tert. c. 27. (3) Pag. 439. 4.

Caſaubonus (1) quidem in ſuperiori Capitolini loco, & epigraphe, quae ab illo profertur, non VRBIS, ſed ORBIS, legendum eſſe arbitratur, idque Gutherio (2) quoque videbatur. Cum tamen in Capitolini Codicibus nulla lectionis varietas habeatur, ac in optimo quoque Palatino Codice legatur *Vrbis*, ideoque hoc nomen *Vrbis* retineri commode poſſit, nihil eſt certe quin *Praetorii*, ſimulque *Vrbis* Praefectura, ac Reipublicae tutela tanto viro tributa concedatur. Ipſi quidem in Praetorii Praefectura Capitolino (3) teſte Iulius Philippus poſtmodum Imperator anno Chr. 243. ſucceſſit, quem vero Miſitheus in Vrbani Praefecti munere ſucceſſorem habuerit ignoramus.

Flavius Eurycles Epitynchanus.

An. V. C. 996. Chr. 243.

BReviſſimum Gruteri Marmor huius Praefecti nomen, atque annum, quo Vrbi ille praefuit, perſpicue nobis oſtendit (4).

FL. EVRYCLES	CONDITOR HVIVS FORI
EPITYNCHANVS V. C.	COLL. X. KAL. FEBR
PRAEF. VRB.	ARRIANO ET PAPO COS.

Quum eiuſmodi Conſulum par anno Chr. 243. in Faſtis occurrat, etiam Euryclis Praefectura eodem anno contigiſſe debuit; quo Eurycles ipſe, cum Forum condidiſſet, Numinis alicuius, vel Auguſti ſtatuam *collocavit*.

R Appius

(1) Ad Capit. c. 27. (2) De Offic. Domus Aug. c. 8. (3) Cap. 28. (4) Pag. 168. 7.

Appius Claudius Cenſorinus III.

Cir. an. V. C. 1003. *Chr.* 250.

TRebellius (1) ubi de Cenſorini Auguſti moribus, rebuſque geſtis loquitur antequam ille ſenex, & claudus reluctans a militibus ad Imperium anno 270. evectus eſſet, ait: *Cenſorinus vir plane militaris, & antiquae in Curia dignitatis bis Conſul, bis Praefectus Praetorii, ter Praefectus Vrbi, quarto Proconſul, tertio Conſularis &c.* Itaque, ſi infelix hic Imperator, qui purpura, ac Imperii imagine ſeptem ſolum diebus potiri potuit, inter honores alios trinam quoque Vrbis Praefecturam obtinuerat, eius nomen in Praefectorum Faſtis circa annum Chr. 252. collocari commode poterit.

Vlpius, *ſive* Vlpianus.

Cir. an. V. C. 1004. *Chr.* 251.

VLpiani Praefecti nomen Scriptoribus aliis incognitum ex ſolis Eccleſiae Faſtis agnovimus. Siquidem ubi S. Hippolyti Portuenſis Epiſcopi, ſociorumque Martyrum, atque Aureae Virginis martyrium memoratur, in ipſorum Actis illud ſub Vlpiano Vrbis Praefecto contigiſſe dicitur; licet in Actis ipſis pro *Vlpiani* alicubi *Vlpii* nomen occurrat, ac Hippolytus ipſe ſub *Claudio* paſſus dicatur, & in Romanis Martyrologii Tabulis habeatur *ſub Alexandro Imperatore*. Itaque Con-

(1) In Cenſor. c. 33.

Contelorius Baronium ſequutus huius Praefecti nomen Praefectorum Faſtis ad annum 229. inſcripſit.

Ac certe quidem Martyres illos Vrbani Praefecti iuſſu partim ad Oſtia Tiberina, partim in Portu Romano paſſos fuiſſe perſpicue certoque ex Prudentii Carmine deduci poteſt ubi de Hippolyto loquens ait (1)

Siſtitur inſano Rectori Chriſticolas tunc
Oſtia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma ſeceſſerat, ipſos
Peſte ſuburbanos ut quateret populos.
Praetulerat rabiem Tyrrheni ad litoris oras,
Quaeque loca aequoreus proxima Portus habet.

Ceterum an Prudentius ipſe in hoc Carmine tres Hippolytos una confuderit a plurimis accuratiſſime diſputatur (2), ut apud Tillemontium obſervatur, cuius fontes adire poterit quicumque hoc illuſtre ſacrae Hiſtoriae caput pernoſſe velit.

Illud unum ex Tillemontio (3) ipſo obſervari plurimum debet quod Hippolyti mors, ideoque Vlpiani Praefectura ex anno 229. ad annum circiter 250. transferri debet. Siquidem a Prudentio (4) ipſo erudimur quod Hippolytus antea Novati Schiſmati adhaeſerat, atque illud ante martyrium eiuravit; eiuſmodi vero Schiſma Euſebio (5) teſte, poſt Decii perſecutionem, ideoque circa annum Chr. 250. eruperat. Accedit etiam quod ceteris S. Hippolyti Operibus accenſetur (6) Epiſtola *ad Reginam* quandam, quam Baronius (7) Iuliam Mammaeam Alexandri Severi matrem fuiſſe cenſet; Bucherius (8) de Severina quadam intelligit: cum praeſertim in marmorea Sancti Martyris Cathedra inter alia

R 2 eius

(1) Περὶ στεφάνων Carm. XI. ver. 39. (2) Viden. Ruinart. Act. Martv. (3) Hiſt. Eccl. Tom. III. pag. 468. (4) Ver. 19. (5) Hiſt. Eccl. Lib. VI. c. 43. & in Chron. (6) Theodor. dial. 2. (7) Ad an. 229. (8) In Cycl.

Digitized by Google

eius ſcripta *Exhortatio ad Severinam* memoretur. Tillemontius (1) denique id de *Severa* Auguſta Philippi coniuge intelligi poſſe arbitratur, ad quam Origenem ipſum ſcripſiſſe accepimus. Itaque, licet Paſchalis Cyclus ab Hippolyto anno Chr. 222. & Alexandri Severi primo editus fuerit, ac Hippolytus ſub Alexandro martyrii palma decoratus dicatur, veriſimilius eſt tamen quod ad Decium uſque, ſive annum Chr. 250. ſuperſtes ille fuerit: quo plane fieri oporteret ut *Vlpius* etiam, ſive *Vlpianus* Decii temporibus Praefecti munus obierit.

Quis vero coniicere, vel definire nunc poſſit quinam fuerit *Vlpius*, vel *Vlpianus* ille, qui Decii aetate Vrbi praefuit, cum nullibi certe eius nomen occurrat? Si quis coniecturae locus hic eſſe poſſit, ſuſpicari facile poſſumus ipſum non alium fuiſſe, quam *M. Vlpium Crinitum*, qui cum Valeriani temporibus anno Chr. 258. Dux Illyriciani Limitis foret, Aurelianum illum adoptavit, qui poſtea Imperium obtinuit. Siquidem hic Vlpius Vopiſco (2) teſte tribus Conſulatibus iam geſtis inſignis erat, ideoque facile ipſa quoque Vrbis Praefectura ſub Decio potiri potuit. Quamvis tamen haec coniectura maximam fortaſſe veri ſpeciem praeſeferat, nihil hic temere definire ego velim, aut ipſam veluti certam proponere.

Cele-

(1) Tom. III. pag. 243.

(2) In Aurel. c. 38.

Digitized by Google

Celerinus.

Cir. an. V. C. 1005. *Chr.* 252.

CElerini Praefecti nomen ſemel iterumque in Martyrologio Romano nobis occurrit. Nam 25. Octobris die ubi de S. Chryſantho, & Daria Martyribus agitur, habetur: *qui poſt multas, quas ſub Celerino Praefecto pro Chriſto ſuſtinuerunt paſſiones, iuſſi ſunt a Numeriano Imperatore via Salaria in arenario deponi, atque ibi viventes terra, & lapidibus obrui*. Ita quoque 22. Novembris die dicitur: *Romae S. Mauri Martyris, qui ſub Numeriano Imperatore, & Celerino Vrbis Praefecto agonizavit*. Baronius quidem in primo Martyrologii loco pro *Numeriano* reſcribendum eſſe putavit *Valeriano*, quod hiſtoriae magis congrueret, cum Numerianus nunquam Romae fuerit, aut imperaverit; ſed eadem prorſus emendatio in poſteriori quoque loco adhibenda foret, ne Celerini nomen, ac Praefectura diſſitis adeo temporibus adſcribatur. Certe Tillemontius (1) quoque pluribus oſtendit quod eorum Martyrum triumphus ad Valeriani potius, aut Decii, quam Numeriani, tempora revocandus eſſet: cum vero Martyrum illorum Acta vel apocrypha, vel ſuſpecta maxime ſint, nihil prorſus praeſidii pro Celerini Praefecti nomine exſculpi inde poteſt; cum praeſertim Vſuardus S. Mauri elogium exſcribens *Numeriani* nomen omiſerit.

Lucius

(1) Hiſt. Eccl. Tom. IV.

Digitized by Google

Lucius Virius Paullinus.

An. V. C. 1006. *Chr.* 253.

BReviſſimo temporis ſpatio, quo Aemilianus Auguſtus Imperium obtinuit, Paullinum hunc Vrbi praefuiſſe ex hoc Gruteri Marmore (1) deprehendi poteſt.

D. N. C. AEMILIANO. FOR
TISSIMO. PRINCIPI
HERCVLI. CONSERVATORI
L. VIRIVS. PAVLLINVS. V. C.
COMES. DOMESTICORVM
PRAEF. VRB. D. N. M.
Q. EIVS.

Itaque, cum Aemilianus anno Chr. 153. Imperium ſuſceperit, menſibuſque tribus fere exactis interemptus illud amiſerit, perſpicue apparet huius Praefecti nomen in anno ipſo 253. collocandum eſſe.

Illud autem in breviſſimo hoc Marmore obſervari maxime debet quod *L. Virius Paullinus V. C. Comes Domeſticorum* vocatur, quae ſane *Comitum Domeſtinorum* dignitas in nullo prorſus ex antiquioribus Marmoribus, aut ex Scriptoribus obſervatur. Itaque, ſi Valeſio contra Cuiacium oſtendere libuiſſet *Comitum Domeſticorum* dignitatem, ac nomen iam inde a Gallieni Auguſti temporibus uſurpatum eſſe, non ambiguo *M. Numii Albini* Marmore, ſed hoc potius illuſtri, certo-

(1) Pag. 273. 7.

certoque uti debuiſſet, quod ipſa quoque Gallieni tempora praecedit, eamque Comitum dignitatem ipſe quoque omnium primus iis temporibus adſcripſiſſem. Quum vero Valeſius non modo *Comites Domeſticorum*, ſed varios etiam illorum *ordines* Gallieni temporibus uſitatos eſſe coniecerit, eius hypoteſim opportunius ad annum Chr. 150. perſpicue, ni fallor, impugnavi, veramque M. Numii Albini aetatem demonſtravi.

✠ Lucius Iunius Validianus.

An. V. C. 1006. *Chr.* 253.

Validiani nomen, atque aetas, quae hactenus ignota fuerant, ex hoc Muratorii Marmore nuper affulſit (1).

IMP. CAES. VIBII. . . . ,
GALLI. AVG. . . . .
L. IVNIVS. VALIDIANVS. VIR. CL.
PRAEF. VRB. STAT. EXAEN
. . . .
COLLOC

Quum C. Vibius Trebonianus Gallus exeunte anno Chr. 251. poſt Traiani Decii mortem Imperium ſuſceperit, atque illud poſt octodecim menſes interemptus reliquerit, Vrbana L. Iunii Validiani Praefectura ad ineuntem annum 253. referri commode poterit.

Lollia-

(1) Pag. 252. 9.

Digitized by Google

Lollianus.

An. V. C. 1007. *Chr.* 254.

IN accuratiſſima Praefectorum Serie, quae ab anno Chr. 254. ad 354. ab Anonymo quodam contexta, atque a Cuſpiniano, & Bucherio, ut opportunius in Praefatione iam diximus, edita fuit, ipſorum agmen ducit eodem anno 254. *Lollianus Praefectus Vrbis*.

Marcus Valerius Maximus.

An. V. C. 1008. *Chr.* 255.

PRaefectus hic in Anonymi Serie anno Chr. 255. collocatur his verbis: *Valerius Maximus P. V.* Quum vero longe veriſimillimum ſit Praefectum hunc unum eundemque fuiſſe, qui proximo anno 256. Conſulatum obtinuit, atque in Conſularibus Faſtis *M. Valerius Maximus* appellatur, Praefecti huius nomini *Marci* praenomen adieci.

Nummius Ceionius Albinus I.

An. V. C. 1009. *Chr.* 256.

IN veteri quidem Praefectorum Vrbis Laterculo Praefectus iſte *Nummius Albinus* vocatur; in Vopiſco (1) tamen, ſive potius in Valeriani Auguſti Epiſtola ad Albinum ipſum data, *Ceionius Albinus* appellatur. Etenim

(1) In Aurelia. c. 9.

nim ſcriptor ille Aureliani, qui ſub Valeriano dux fuerat, ipſique paucos poſt annos in Imperio ſucceſſit, laudes, ac praeclara merita deſcribens ait: *eiuſdem Valeriani eſt Epiſtola, quae laudes illius* Aureliani *continet, quam ego ex ſcriniis Praefecturae Vrbanae protuli. Nam illi Romam venienti ſalaria ſui Ordinis ſunt decreta. Exemplum Epiſtolae: Valerianus Auguſtus Ceionio Albino Praefecto Vrbis. Vellemus quidem* &c. Itaque, cum tempora mire conveniant, ideoque unus idemque Vrbis Praefectus utrobique exprimatur, dubitari certe non poterit quin Praefectus ille *Nummius Ceionius Albinus* vocaretur, quem rurſus anno 261. eodem ipſo Praefecti munere functum videbimus.

Quin etiam Gudius ex Marmore, quod in Grutero (1) conſpicitur, Praefectum ipſum integro nomine *M. Mummium Ceionium Annium Albinum* vocandum eſſe putavit. Siquidem in Marmore legitur

DEO. HERCVLI
M. MVMMIO CE
IONIO. ANNIO ALBINO
PRAET. VRBANO
V. C. DEDICANTE

Itaque, cum in Aureliani epiſtola apud Vopiſcum (2) *Ceionius Albinus* Vrbis Praefectus vocetur, Gudius in ſuperiori Marmore non PRAET. ſed PRAEF. legendum eſſe opinatur; quemadmodum Reineſius *Nummium* pro *Mummio* reſcripſerat. Vt ingenue tamen fatear, nihil in Marmore mutandum eſſe putaverim. Siquidem in eo *quadrato Lapide omnibus lateribus notis inciſo* quatuor *Praetorum* nomina inſcripta videntur, nimirum T. Flavii Iuliani Qua-

(1) Pag. 47. 6. (2) In Aurelia. c. 9.

Digitized by Google

ni Quadratiani, M. Mummii Ceionii Annii Albini, Iunii Feſti, Pompeii Appii Fauſtini, qui ſane his temporibus in Vrbanorum Praefectorum ſerie nullibi occurrunt. Accedit etiam quod ipſorum tribus PR. VRBAN. & PRAET. VRBAN. titulus appingitur, qui raro admodum Praefectis Vrbis tribuitur, qui fere ſemper VRBIS, vel VRBI vocantur. Itaque vel Nummius Albinus Praefectus ab Albino Praetore diſtingui debet; vel, ſi unus idemque ille fuerit, in Marmore tamen eius Praetura, non Praefectura, memoratur.

Ita quoque non ad Praefectum noſtrum, ſed ad alium fortaſſe cognominem, qui ſequioribus temporibus floruit, Marmor aliud referri debet, quod a Reineſio (1) profertur

M. NVMMIO ALBINO V. C.
QVAESTORI. CANDIDATO. PRAETORI VRBANO
COMITI. DOMESTICO. ORDINIS PRIMI.
ET CONSVLI. ORDINARIO. ITERVM.
NVMMIVS SECVNDVS EIVS F.

Etenim, cum M. Nummii Albini nomen ad annum 263. in Faſtis occurrat, lapis ille poſt annum ipſum dicari debuit; cumque in illo non trina *Praefectura*, quae diſſimulari certe non poterat, ſed *Praetura* ſolum memoretur, argumento eſſe poterit hunc Albinum Praetorem ab Albino Praefecto diſtinguendum eſſe.

Sed de hoc Albino, eiuſque muneribus, atque aetate opportune iam alibi ad annum 150. diſputavi ubi de Orfito P. V. ageretur (2).

Iunius

(1) Claſ. VI. 132.

(2) Vid. Valeſ. ad Euſeb. in Vit. Conſtant. p. 240.

Digitized by Google

Iunius Donatus.

An. V. C. 1010. *Chr.* 257.

PRaefectorum Laterculus a Bucherio editus anno, quo Valerianus IV. & Gallienus III. Conſules proceſſerant, nimirum Chr. 257. Praefectum Vrbis fuiſſe docet *Iunium Donatum*. Hoc ipſum Iunii Donati nomen, ac Praefecti dignitas in ſinceris Sanctarum Virginum Ruffinae, & Secundae Actis memoratur (1). Siquidem in iis legitur quod *cum fervor perſecutionis iuſſu Valeriani, & Gallieni Auguſtorum in Vrbe Roma ſaeviret, ſceleratiſſimus Comes Archeſilaus revocans eas ad Vrbem Romam Iunio Donato Praefecto obtulit*; eademque fere Notkerus in Martyrologium ſuum tranſtulit; quamvis in aliis Eccleſiae Faſtis Praefecti huius nomen non exprimatur. Itaque, cum annus, quo Iunius Donatus Vrbanae Praefecturae munere functus eſt, perſpicuis adeo characteribus deſignetur, Virginum illarum martyrium non anno 260., ut Baronio videbatur, ſed anno 257. adſcribi debet; cum Donatus ipſe, non alio, quam praeſenti ſolum anno, Vrbi praefuerit.

Publius Cornelius Secularis.

An. V. C. 1011. *Chr.* 258. 259. 260.

INter Praefectos alios, qui ab Anonymo recenſentur, hic omnium primus occurrit, qui tribus continuis annis Vrbanae Praefecturae munere perfunctus fuerit. Neque ſolum Vrbanam hanc Praefecturam, ſed

(1) Die 10. Iulii.

ſed ipſos etiam Conſulares faſces uno eodemque tempore geſſiſſe videtur. Cum enim ad annum Chr. 260. *Cornelius Secularis II.* & *Iunius Donatus* in Conſularibus Faſtis memorentur, nihil veriſimilius admitti poteſt quam Iunium Donatum, qui anno 257. Praefectus fuerat, itemque Cornelium Secularem, qui anno 258. 259. eodem munere functus erat, & adhuc ipſo fruebatur, Conſulum Faſtis inſcriptos fuiſſe. Itaque Seculari *Publii* praenomen adiungi debet, quod in Muratorii (1) Marmore Conſuli tributum conſpicitur.

Placidus.

Cir. an. V. C. 1013. *Chr.* 260.

PLacidi Praefecti nomen ex ſacris ſolum Eccleſiae Faſtis affulſit. Siquidem in Romano Martyrologio legitur (2) *Interamnae S. Valentini Epiſcopi, & Martyris, qui . . . decollatus eſt iuſſu Placidi Vrbis Praefecti.* Quamvis autem nullus omnino temporis character hic exprimatur, cum tamen in S. Feliciani Fulginatis Epiſcopi Actis dicatur quod Felicianus ipſe Valentinum Interamnatum Epiſcopum conſecravit, moxque furente Decianae perſecutionis rabie martyrii palmam obtinuit, ſi Valentinus aliquo temporis ſpatio Feliciano Epiſcopo ſuperſtes fuit, ipſius martyrium, ideoque Placidi Praefectura, circa annum Chr. 260. collocari poterit.

Nice-

(1) Pag. 364. 1. (2) Ad diem 14. Febr.

Digitized by Google

Nicetius.

Cir. an. V. C. 1013. *Chr.* 260.

INter alios, qui Gallieni Auguſti temporibus martyrii palmam adepti ſunt, 25. Decembris die in Romano Martyrologio nomen occurrit *S. Eugeniae Virginis, quae tempore Gallieni Imperatoris poſt plurima virtutum inſignia ſub Nicetio Vrbis Praefecto diu agonizans noviſſime gladio iugulata eſt*. Itaque, cum Gallienus, qui anno 254. una cum Valeriano patre Imperium ſuſceperat, hoc anno, patre apud Victores Perſas defuncto, ſolus imperare caeperit, Eugeniae martyrium, ac Vrbana Nicetii Praefectura his facile temporibus adſcribi poterit, quamvis in Bucheriano Praefectorum Laterculo nomen aliud occurrat.

Marcus Nummius Ceionius Annius Albinus II.

An. V. C. 1014. *Chr.* 261. 262. 263.

IN Praefectorum ſerie ab Anonymo contexta iterum Nummii Albini, qui iampridem anno 256. Praefectus fuerat, nomen tribus continuis annis occurrit; ac nullus propemodum ambigendi locus eſſe poterit quin utrobique unus idemque vir deſignetur.

Digitized by Google

Marcus Aurelius Victor.

Cir. an. V. C. 1015. *Chr.* 262.

Contelorius quidem huius etiam Praefecti nomen expreſſit, ſed eius tamen aetatem incertam eſſe putavit, cum nulla ſane temporis nota in Gruteri Marmore reperiatur (1)

M. AVR. VICTORI
C. V.
PRAEF. FERIAR.
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS
RELIGIOSISSIMO

At in alio Gruteri Marmore (2) nomen ipſum ita memoratum inveni, ut M. Aurelius Victor ad Gallieni Caeſaris tempora referatur

GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI
* . . * . * . * . . *
M. AVRELIVS VICTOR

Itaque, ſi unus idemque *M. Aurelius Victor* in utroque marmore memoretur, dubitari non poterit quin Civis ille inter annum 260. & 268. cum Gallienus, Valeriano patre defuncto, ſolus imperavit Vrbanae Praefecturae munere ſolo Latinarum Feriarum tempore perfunctus ſit.

Pater-

(1) Pag. 313. 9. (2) Pag. 274. 5.

Digitized by Google

Paternus.

An. V C. 1017. *Chr.* 264. 265. 266.

CVM in antiquo Praefectorum Indice ſolum *Paterni* nomen exprimatur, obſcurum plane, ac incertum eſſe debet quinam ex pluribus, qui eodem ipſo *Paterni* nomine vocabantur, Vrbanam Praefecturam tribus continuis annis ſuſceperit. Siquidem, ut antiquiores alios omittam, *Paterni* Conſulis nomen ad annum 267. 268. 269. 279. in Conſularibus Faſtis habetur; quemadmodum anno 281. Ovinius Paternus Praefectus Vrbis occurret. Itaque, licet Paternus ille, qui his annis Praefectus fuit, cum Conſulum illorum aliquo confundi poſſit, obſcurum eſt tamen ad quemnam potius referri ille debeat.

Lucius Caeſonius Lucillus Macer Rufinianus.

Cir. an. V. C. 1020. *Chr.* 268.

PRaeclari viri memoria, honorumque ab illo ſuſceptorum Series in Gruteri Marmore reperitur (1)

L. CAESONIVS C. FIL. QVIRINA. LVCILLVS
MACER RVFINIANVS COS. FRATER ARVALIS
PRAEF. VRBI ELECTVS. AD COGNOSCENDAS CAE-
SARIS VICE
COGNITIONES PROCONS. PROV. AFRICAE
* * * *

Quam-

(1) Pag. 381. 3.

Quamvis incertum plane ſit quo potius anno Rufinianus hic Vrbi praefuerit, cum tamen eius nomen anno 265. in Conſularibus Faſtis occurrat, Vrbiſque Praefectura poſt Conſulatum in Marmore memoretur, facile poſt annum illum Praefectorum Faſtis inſcribendus erit.

Haec ipſa eius aetas ex eo quoque Marmore deprehendi poteſt, quod *Caeſonius Lucillus* P. Caeſonio Macro Rufiniano patri poſuit (1). Siquidem pater *comes Imp. Severi Alexandri Aug.* vocatur, ſimulque dicitur *donatus donis militaribus a Divo Marco*, nimirum *Marco Antonino Caracalla*, quem Spartianus etiam ſolo Marci nomine deſignavit (2).

Ceterum P. Caeſonius cum L. Caeſonio, pater nempe cum filio, confundi non debet, quod tamen a Cl. Gorio factum eſſe conſpicio (3).

Lucius Petronius Taurus Voluſianus.

An. V. C. 1020. *Chr.* 267. & 268.

SOlum Petronii Voluſiani nomen, ſimulque tempus, quo duobus continuis annis Vrbi ille praefuit, in veteri Praefectorum ſerie demonſtratur. Integrum tamen eius nomen ex Gruteri (4) Marmore deprehendiſſe videor, in quo legitur

L. PETRONIO L. F.

SAB. TAVRO VOLVSIANO. V. COS.

ORDINARIO PRAEF. PRAET.

¯EM. V. PRAEF. VIGVL. P. V. TRIB.

COH. PRIMAI. PRAEF. PROTECT.

AVGG. NN. ITEM. TRIB. COH. IIII. PRAE

* * * * * *

Ete-

(1) Ibi num. 1. (2) In Didio Severo (3) Ad Inſcr. Doni Cl. IV. 15. (4) Pag. 1028. 2. Vid. Fabr. Cap. V. n. 69. p. 356.

Etenim, cum anno 261. in Conſularibus Faſtis *Petronii Voluſiani* nomen occurrat, vix ullus ambigendi locus eſſe poterit quin unus idemque eſſe debeat, qui poſt ſex annos Praetorio primum, mox Vrbi praefuerit. Quamvis autem Epigraphe poſt ſuſceptum Conſulis, & Praefecti munus poſita fuerit, in illa tamen dignitates etiam aliae ſuperioribus annis obitae recenſentur, ideoque dicitur PROTEC. AVGG. N. N. *Auguſtorum noſtrorum*, ac inferius *Traepoſitus equitum ſingulariorum* AVGG. N. N quod ad ea tempora referri debet, quibus ab anno 254. ad 260. Valerianus una cum Gallieno filio imperavit, antequam Gallienus extincto patre ſolus Imperium obtinuit.

Quamvis autem in Gruteri exemplo legatur EM. V. ideoque *Eminenti Viro* exponendum videatur, Gorius (1) tamen in Marmore, quod Arretii conſpicitur, ſcriptum notavit ¯EM, ſicuti ſemel iterumque habetur PRAE, ideoque non EM. ſed ITEM, intelligi debet, ut exprimatur ipſum *Praetorio*, *item Vrbi* praefuiſſe, ſicuti inferius in recenſendis eius honoribus haec ipſa vox *item* bis adhibetur. Illud etiam hic obiter obſervandum quod in ipſo Marmore linea 3. littera C. omiſſa fuit, qua *Vir Clariſſimus* exprimebatur; ſicuti mox characteribus P. V. *Perfectiſſimus Vir* indicatur.

Flavius Antiochianus.

An. V. C. 1022. *Chr.* 269. 270. *&* 272.

IN Conſularibus Faſtis Antiochiani nomen ad annum 270. reperitur; cumque in Faſtis aliis *Conſul* II. dicatur, Conſulatum alium ſuffectus iam geſſerat, ut ac-

T cura

(1) Inſc. Etrur. Tom. II. pag. 189.

Digitized by Google

curate iam alibi demonſtravi cum in Epiſtola iampridem edita de Aureliani Auguſti aetate diſſerui.

Non facile vero ego dixerim an Antiochianus ille Conſul unus idemque cenſeri debeat cum *Flavio Antiochiano*, qui in hac Praefectorum ſerie ab Anonymo annis 269. 270., iterumque anno 272. collocatur, ne ſcilicet ille utraque Conſulis, ac Praefecti dignitate uno eodemque tempore decoratus dicatur, quod tamen ſaepius contigiſſe opportune iam alibi demonſtravi.

Quandoquidem vero Antiochianus ille, qui anno 270. una cum Orfito Conſul proceſſit, in Faſtis Florentinis minoribus *Antiochus* appellatur, & Aureliani Auguſti temporibus nullus omnino *Antiochus* Vrbi praefuit, ſuſpicor hunc ipſum Antiochianum Praefectum in ſacris etiam Martyrologii Tabulis, ſed *Antiochi* nomine, memorari. Etenim in iis 18. Auguſti die legitur: *Praeneſte S. Agapiti Martyris, qui iuſſu Aureliani Imperatoris . . . ſub Antiocho Praefecto . . gladio miniſtrorum coronandus percutitur*. In ſecundis quidem eius Martyris Actis legitur quod in Aureliani perſecutione *agebat Romae Praefectoriam poteſtatem Praeſes quidam nomine Antiochus*, perinde ac ſi Antiochus ille non *Vrbis Praefectus*, ſed *Praeſes* fuiſſet. At *Praefectoria poteſtas* non alteri, quam Praefecto convenire poteſt; & Suareſius (1) optime obſervavit quod *ſaepe Praefecti Vrbis Praeſides appellantur in Martyrologiis*. Itaque Antiochus ille, ſub quo S. Agapitus paſſus fuit, unus idemque cum Flavio Antiocho, ſive Antiochiano eſſe debuit, ideoque S. Agapiti martyrium ad annum 272. referendum erit, ut Aureliani Auguſti tempore contigiſſe potuerit.

Poſtu-

(1) Praen. Antiq. Lib. II. c. 3.

Poſtumius Varus.

An. V. C. 1024. *Chr.* 271.

SOlus Praſectorum Vrbis Indiculus Poſtumii Vari nomen Scriptoribus aliis indictum ad annum Chr. 271. memoravit.

Virius Orfitus.

An. V. C. 1026. *Chr.* 273. *&* 274.

AB Anonymo quidem in edita Praefectorum ſerie *Virius Orfitus* hic appellatur; ibi tamen *Furii Orfiti* nomen reſcribendum eſſe perſpicue demonſtrat Inſcriptio, quae in Gruteri (1) Marmore reperitur

IMP. CAES. L. DOMITIO
AVRELIANO. PIO. FELICI
INVICTO. AVG. PONTIF. MAXIMO
GOTHIC. MAX. GERMANICO. MAX.
TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III.
P. P. PROCONS. RESTITVTORI. ORBIS
INVICTISSIMO. ET VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI FVRIVS ORFITVS V. C. PRAEF. VRB.
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS
DED. KAL. FEBR.
AVRELIANO. AVG. III. ET. MARCELLINO. COS.

T 2 Itaque,

(1) Pag. 276. 4.

Digitized by Google

Itaque, cum tertius Aureliani Conſulatus in annum Chr. 275. inciderit, ſi tempore, quo exarata fuit Inſcriptio, ac Furius Orfitus Vrbi praeerat, Aurelianus ipſe III. Conſul *deſignatus* erat, neceſſario dicendum erit Vrbanam Orfiti Praefecturam anno 274. tribuendam eſſe, antequam titulus ineunte proximo anno Caeſari dicatus foret, atque Orfito Poſtumius Syagrius ſuccederet.

Poſtumius Syagrius.

An. V. C. 1028. *Chr.* 175.

POſtumii Syagrii nomen Anonymo debemus, qui Praefectorum ſeriem conſcripſit, ac Poſtumium ipſum in anno 275. collocavit.

✱ Turcius.

Cir. an. V. C. 1018. *Chr.* 175.

PRaefecti huius nomen plane ſubdubitans, mihique ipſi diffidens Faſtis hic inſero non modo ut felicioribus aliis explorandum proponam an vere Praefecti munere is fungi debuerit, verum etiam ut ambigua quaedam hiſtoriae capita opportune examinem. In ſacris Romani Martyrologii Tabulis ad 23 Iunii diem legitur: *Sutrii in Tuſcia S. Felicis Presbyteri, cuius os tandiu iuſſit Turcius Praefectus lapide contundi donec emitteret ſpiritum*. Baronius ad haec Martyrologii verba, quae in antiquis etiam, & ſinceris S. Felicis, & Muſtiolae Actis occurrunt, adnotavit quod *in veteribus Inſcriptionibus de Turcio Praefecto mentio habeatur*, nimirum

in Mar-

in Marmoribus, quae a Grutero (1) proferuntur, perinde ac ſi unus idemque Turcius in Actis illis, ac Marmoribus etiam memoretur; cum tamen Turcius in utroque Marmore nominatus anno 363. Vrbi praefuerit; Turcius autem ab Actis indicatus Aureliani Auguſti aetate circa annum 275. vixiſſe debuerit. Etenim in Actis ipſis perſpicue diſerteque dicitur quod *temporibus Aureliani Auguſti*, cum perſecutio excitata foret, Aurelianus ipſe *quemdam Vicarium nomine Turcium, Praefectoria data dignitate, ad Chriſtianorum diſcuſſionem direxit*, qui Sutrii Felicem interimi iuſſit, paulloque poſt Cluſii Muſtiolam Matronam *Claudii Imperatoris conſobrinam* martyrii palma decoravit, quae ſane matrona in Romano Martyrologio (2) *ſub Aureliano* Imperatore *coronam Martyrii meruiſſe* dicitur.

Itaque plane non video quî Papebrochius in Actis illis pro *Aureliani* nomine, *Valeriani* nomen reſcribendum eſſe coniecerit, ac Turcium eius *Iunii Donati*, qui anno 257. Vrbi praefuit, *Vicarium* fuiſſe dixerit, ſimulque *Turcii* cuiuſdam *Aproniani* filium, qui ante annum 254. ac fortaſſe Decii temporibus, Vrbanae Praefecturae munere decoratus fuerit. Etenim, ut omittam in Actis ipſis, & Romani Martyrologii, ſimulque Vſuardi Faſtis *Aureliani* nomen haberi, Valeriani aetate, vel anno 257., Muſtiola *Claudii Imperatoris conſobrina* vocari certe non poterat, cum Claudius ipſe decennio poſt Valeriani mortem, hoc eſt anno 268., Imperium ſuſceperit.

Itaque Felicis, ac Muſtiolae martyrium, ideoque Turcii dignitas cum Baronio, ac Tillemontio (3) ad annum 275., nimirum ad extrema Aureliani tempora, quibus ille in Chriſtianos ſaevire caepit, referri debet. Quod enim Tillemontius opponit *Vicarios* nonniſi ſub

(1) Pag. 647. 6. & 7. (2) Die 3. Iul. (3) Hiſt. Eccl. Tom. IV. pag. 682. not. 4.

ſub Diocletiano, Lactantio teſte (1), inſtitutos eſſe, facile ut opinor, refelli poterit ubi obſervetur quod eiuſmodi Martyrum Acta *poſt ethnicismum*, ut in aliquibus Codicibus legitur, exarata ſunt, ideoque ipſorum Auctor facile iis etiam nominibus tunc uti poterat, quae ſuis temporibus adhibebantur, ut Praefecti adiutor, legatus, adminiſter, cuiuſmodi certe Turcius ille eſſe debuit, exprimeretur.

Quandoquidem vero in Actis iis habetur quod Aurelianus ipſe Turcio non vicariam Praefecti poteſtatem conceſſit, ſed ipſum *Praefectoria data dignitate* in Tuſciam direxit, ſatis, ut opinor, innuitur quod ipſi tunc primum Vrbanae Praefecturae *dignitas* conceſſa fuit, ut ille nimirum, aliorum Praefectorum inſtar, conſueto iure ac poteſtate in Chriſtianos ſaeviret. Certe mox in Actis ipſis hic Turcius non Praefecti Vicarius, ſed *Praefectus* vocatur: *audiens Turcius Praefectus* &c. eodemque prorſus *Praefecti* titulo in Martyrologiis decoratur. Hinc, ut opinor, Turcius ille non veluti *Praefecti Vicarius*, ſed vere ut *Praefectus Vrbis* illorum Faſtis inſcribendus eſſet, quippe qui non Vicariam Praefecti poteſtatem, ſed ipſam potius *Praefectoriam dignitatem* ab Auguſto ſuſcepiſſet.

Quid vero ſi coniecturam hanc eximio Marmoris teſtimonio ſuaderi poſſe nunc dixerim, quamvis illud exeſum, mutilum, ac implexum maxime videatur? Eiuſmodi Marmor Romae in via Latina poſitum Gudius (2) exſcripſit

MAVORTIO. SACRVM

L. APRONIANVS. V. C. PRAEF. VRB.

LEG. AVG. N̄. N̄. MAXIMIANO

ET.

(1) Lactant. de Mor. Perſ. c. 6. (2) Pag. 38. 5.

ET. DIOCLETIANO. SEMPER. AVGG.
AC. TRIVMPHAT. CVRATOR. N. N.
EORVM . - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - - - - - -

Quum *Aproniani* ad Turciam familiam ſpectarent, ut ad annum 339. 363. 494. pluribus oſtendetur, quis hic aperte non videat in hac Epigraphe *Lucium* (conſuetum Turciorum praenomen) *Turcium Apronianum* Diocletiani, & Maximiani temporibus memorari, qui *Praef. Vrb.* vocatur, quod nimirum non ſub Auguſtis illis, ſed aliquo fortaſse ex ſuperioribus annis Vrbi praefuerit, deinde vero ſub Auguſtis illis ipſorum *Legati* munus obiverit, partiſque victoriis, Mavorti ſtatuam erigendam curaverit? Quid enim obſtat quin ita poſtremi verſus in marmore refingi poſſint?

LEG. AVGG. N̄. N̄. MAXIMIANI
ET. DIOCLETIANI. SEMPER. AVGG.
AC. TRIVMPHAT. CVRAVIT N̄. M̄. Q̄.
EORVM. DICATISSIMVS.

Ac mirari certe non poſſumus ſi L. Apronianus poſt adminiſtratam Vrbis Praefecturam *Auguſtorum Legatus* dicatur. Etenim, ut omittam eiuſmodi Legatorum dignitatem maximam, bellique tempore ſupremam fere fuiſſe, exemplis aliis erudimur quod Vrbis Praefecti, depoſito Praefecti munere, minoribus dignitatibus aliis fruebantur, ut primis Tiberii Auguſti temporibus Paulus Aemilius Regillus, geſta iam Vrbis Praefectura, Caeſaris *Quaeſtor* in Hiſpania fuit. Quod ſi fortaſſe cui libeat hunc Lucium Apronianum prius *Legati*, mox *Praefecti* munus obiiſſe, tunc eius Praefectura ad prima Diocletiani tempora referenda foret, cuius, veluti antiquioris, nomen Maximiani nomini praepoſitum in ſupe-

Digitized by Google

ſuperiori Marmore legeretur, niſi ſolo quadratarii, vel exſcriptoris vitio ipſi poſtpoſitum videretur.

✠ Aelius Caeſetianus.

An. V. C. 1028. *Chr.* 275.

FLavius Vopiſcus (1) ubi de Comitiis agit, quibus inſolita, atque admirabili plane ratione Claudio Tacito pene reluctanti Imperium delatum fuit anno Chr. 275. Aelium hunc Caeſetianum Vrbis Praefectum fuiſſe teſtatur: *Inde itum ad Campum Martium, ibi Comitiale tribunal aſcendit, ibi Praefectus Vrbis Aelius Caeſetianus ſic locutus eſt: Viri ſanctiſſimi, Milites, & ſacratiſſimi vos, Quirites, habetis Principem, quem de ſententia omnium Senatus elegit, Tacitum dico auguſtiſſimum virum &c.* Itaque, cum Taciti electio, & aſſenſus in diem 25. menſis Septembris inciderit anni 275., perſpicue certoque erudimur quod Vrbana Aelii Caeſetiani Praefectura ab eodem anno divelli non poteſt, quamvis ipſius nomen, ac dignitas in Anonymi ſerie, ideoque in Panvinio, & Contelorio prorſus omiſſa fuerit.

Ovinius Pacatianus.

An. V. C. 1029. *Chr.* 276. & 277.

CVm in Laterculo Praefectorum Vrbis legatur *Ovinius Pacatianus P. V.*, iſque duobus annis Vrbi praefuiſſe dicatur, Praefectorum Faſti eius nomine annis 276. & 277. decorandi ſunt.

Virius

(1) In Tacit. c. 7.

Virius Lupus.

An. V. C. 1031. *Chr.* 278. 279. & 280.

QVemadmodum ſuperior Praefectus dignitatem illam duobus continuis annis obtinuit, ita quoque in Praefectorum Indice tribus continuis annis Virii Lupi nomen occurrit. Quamvis autem in Conſularibus Faſtis hoc anno 278. Lupi Conſulis nomen legatur, fieri tamen fortaſſe poterit ut unus idemque Virius Lupus utroque munere ſunctus dicatur. Denique coniicere fortaſſe quis poſſit hunc Virium Vrbis Praefectum, & Conſulem eius Virii Lupi filium fuiſſe, qui Britanniae Praeſes fuit, ut ex Imperatoris Reſcripto appareť, quod in Pandectis (1) memoratur, ubi tamen *Virius Luppus* vocatur.

Ovinius Paternus.

An. V. C. 1034. *Chr.* 281.

PRaeter Indiculum Praefectorum Ovinius ipſe, Glandorpio quidem iudice, in Cónſularibus etiam Faſtis indicatur, in quibus anno Chr. 268. *Paternus II. Conſul* memoratur. Quum tamen ad annum etiam 267. & 269. Paternus alius, ut videtur diſtinctus occurrat, divinare certe non poſſumus quinam ex Conſulibus illis Vrbanam Praefecturam mox geſſerit. Pagius quidem in Critica (2) id de Paterno illo cenſendum exiſtimat, qui anno 279. Conſul proceſſit; ideoque Conſulem illum Ovinii Paterni nomine vocandum exiſtimavit.

V Pom-

(1) Lib. XXVIII. tit. 6. l. 2.

(2) Ad an. 279.

Pomponius Victorianus.

An. V. C. 1035. *Chr.* 282.

VNI Praefectorum Indiculo Praefecti huius notitia debetur, cum is a nullo prorſus ex Scriptoribus aliis memoretur. Quum tamen hoc anno in Conſularibus Faſtis *Victorini* nomen occurrat, hunc unum eundemque cum Victoriano fuiſſe a pluribus exiſtimatur, qui Conſulis ac Praefecti quoque munere perfunctus fuit.

Titurius Robuſtus.

An. V. C. 1036. *Chr.* 283.

QUamvis ab Anonymo Praefectus iſte exſcriptoris fortaſſe vitio *Roburrus* vocetur, Cuſpinianus tamen *Robuſtus* reſcribendum eſſe coniecit.

Agrestius Chromatius.

Cir. an. V. C. 1037. *Chr.* 284.

IN ſinceris S. Sebaſtiani Martyris Actis habetur quod Marcus, & Marcellianus ab *Agreſtio Chromatio Vrbis Praefecto* capite damnati ſunt; cumque Chromatius ipſe a podagrae doloribus divinitus liberatus, Chriſtianam religionem ſuſcepiſſet, ab Auguſto obtinuit ut valetudinis cauſa in Campaniam ſecedere poſſet, ideoque *Fabianus* in Praefecturae munere ipſi ſucceſſit, eiuſque iuſsu

iuſſu S. Tiburtius anno 287. martyrii palmam obtinuit. Itaque in Actis illis duo Praefectorum nomina occurrunt, quae tamen in Bucheriana Praefectorum ſerie reticentur; & annis illis, quibus *Chromatii*, & *Fabiani* nomina inſcribenda forent, Ceionius Varus, Junius Maximus, Junius Maximus, & Pomponius Januarius ab Anonymo recenſentur.

Tillemontius, (1) qui ſubtiliter, & accurate Martyrum illorum hiſtoriam, temporumque ſeriem exploravit, optime feliciterque putavit Chromatium quidem inter Titurium, & Ceionium anno 284., Carino adhuc ſuperſtite, Vrbi praefuiſſe, Fabianum vero à Julio menſe anni 286. uſque ad Auguſtum ſequentis anni 287.; ut proinde Junius Maximus, qui ab Anonymo anno 286., & 287. Faſtis inſcribitur, Fabianum primis anni 286. menſibus praeceſſerit, moxque poſtremis anni 287. menſibus ipſi ſucceſſerit; quemadmodum prorſus in eadem illa Anonymi Serie conſpicitur quod anno 312. Aradius Rufinus Annium Anulinum praeceſſit, ſimulque mox illi in Praefectura ſucceſſit.

Non facile vero ego dixerim an ad Chromatium ipſum Vopiſci (2) verba referri debeant, quibus de Carino Auguſto diſſerens ait: *Praefectum Vrbi unum ex Cancellariis ſuis fecit: quo foedius nec cogitari potuit aliquando, nec dici;* quum nihil omnino de Chromatii huius genere, moribus, ac muneribus traditum habeatur; idque unum ex graeco eius nomine deduci fortaſſe poſſit quod libertini generis eſſe debuerit.

V 2 Mar-

(1) Tom. IV. p. 515. & Not. 3. & 4. (2) In Cari. c. 16.

Digitized by Google

Marcianus.

Cir. an. V. C. 1037. *Chr.* 284.

MArcianum hunc Contelorius Baronii veſtigiis inſiſtens in Praefectorum ſerie ad annum Chr. 284. revocavit quod in Romanis Martyrologii Tabulis 22. Decembris die habeatur: *Romae S. Marini Ordinis Senatorii, qui ſub Carino Imperatore, & Marciano Praefecto.... percuſſus gladio triumphum martyrii adeptus eſt*. Ac certe quidem, ſi Marinus Carini Auguſti tempore paſsus dicatur, eius mors, & Marciani Praefectura in eodem anno 284. collocari commode poterit: cum Auguſtus ille ab anno 282. ad annum uſque 284. imperaverit.

Verum, ut diſſimulem in Praefectorum Serie duobus annis 284. 285. Ceionium Varum occurrere, in editis S. Marini Actis plurima reperiuntur, quae prorſus abſurda, vel perperam conficta ſunt, ut Tillemontius (1) optime demonſtravit; cum praeſertim in Actis ipſis Marcianus veluti *Auguſtus*, aut *Imperator* deſcribatur. Ne tamen Romani Martyrologii auctoritati liberius detrahere hic videar, Marciani nomen in Praefectorum Faſtis retinui, cum praeſertim iis nequiſſimi Carini temporibus maxima perturbatio eſse potuerit, ut ille poteſtatem uni Praefecto ademptam alteri repente concederet.

Ceio-

(1) Tom. IV. p. 568. in S. Caio.

Ceionius Varus.

An. V. C. 1037. *Chr.* 284. & 285.

EAdem ipſa Aureliani, Probi, & Diocletiani Caeſaris aetate non modo Ceionius Varus, qui his annis 284. 285. ab Anonymo in Praefectorum Serie recenſetur, ſed etiam Ceionius Albinus, de quo ſuperius ad annum 256. egimus, cui, Vopiſco teſte, Aurelianus Imperator ſcripſit, & Ceionius Iulianus, quem ſibi amicitia iunctum fuiſse Vopiſcus (1) ipſe teſtatur, floruerunt. Itaque facile Ceionius Varus, qui primis Diocletiani temporibus Vrbi praefuit, ipſorum frater cenſeri poterit; aut certe Ceionii Poſtumii, & Ceionii Albini pater, qui ſub Conſtantino M. maxime floruere (2).

Iunius Maximus.

An. V. C. 1039. *Chr.* 286. & 287.

DVobus continuis annis hic Iunius Maximus Vrbanae Praefecturae munere functus ab Anonymo dicitur. Quin etiam ſuſpicari poſſumus ipſum tertium quoque annum auſpicatum fuiſse; ſiquidem Anonymus ipſe ad annum 288. adnotavit: ***Kal. Mart. Pomponius Ianuarius P. V.*** quod nimirum Iunio Maximo vel defuncto, vel amoto Pomponius Ianuarius ſucceſſit. Quod ſi Praefectus iſte unus idemque cum ***M. Iunio Maximo*** fuit, qui in Faſtis etiam hoc anno Conſul occurrit, ut Pagius exiſtimavit, Praefecto noſtrò *Marci* praenomen adiungi deberet.

Fabia-

(1) In Firmo c. 2. (2) Vid. Capitol. in Albino c. 4.

✱ Fabianus.

An. V. C. 1041. *Chr.* 286.

INter annum 286., & 287. aliquo temporis ſpatio Fabianum hunc Vrbi praefuiſse ad annum 284. Tillemontio duce iam diximus.

Pomponius Ianuarius.

An. V. C. 1041. *Chr.* 288. 289.

VRbis Praefecturam maxima huius anni parte, hoc eſt a 3. Kal. Martias iam geſtam ſequenti etiam anno Pomponius obtinuit, ut ex Anonymi ſerie erudimur. Neque modo Praefecti, ſed ipſo quoque Conſulis munere hoc eodem anno 288. functus videtur; ideoque utrumque nomen in Conſulum Faſtis, Relandum, & Pagium ſecutus, exprimendum exiſtimo.

Ceteris autem rationibus, quibus Noriſius (1), Pagius (2), Valeſius (3), & Relandus (4) optime demonſtrarunt Ianuarium hunc anno 288. non *Maximi II.* ſed *Maximiani* Auguſti ſecundo Conſulis Collegam fuiſse, haec etiam adiungi debet quod, niſi hoc anno Maximianus ipſe II. Conſul fuiſset, ſequentes eius Conſulatus mire fluctuarent, eorumque temporum hiſtoria perturbaretur.

Tur-

(1) Diſſer. de Num. Dioclet. c. 3.
(2) Ad an. 288.
(3) Ad Ammian. Lib. 23.
(4) Faſti Conſul.

Turranius Gratianus.

An. V. C. 1043. *Chr.* 290.

TVrranius iſte ex Anonymo non modo integrum annum Chr. 290. in Vrbanae Praefecturae munere exegit, verum etiam duobus fere ſequentis anni menſibus illam obtinuit, cum Iunii Tiberiani eius ſucceſsoris initium in 17. Februarii menſis die ab Anonymo collocetur.

Iunius Tiberianus I.

An. V. C. 1044. *Chr.* 291.

TIberiani nomen hoc anno tum in Conſularibus, tum etiam in accuratis Praefectorum Faſtis occurrit, ideoque facile cum Pagio opinari quis poterit unum eundemque civem fuiſse, qui in Conſularibus quidem Faſtis *Tiberianus*, in Anonymi vero ſerie *Iunius Tiberianus* vocatur, cum pluribus exemplis aliis appareat Conſulis, ac Praefecti munera una aliquando coniungi conſueviſse. Id vero facilius de Tiberiano ipſo cenſeri poterit, quum Praefecturam nonniſi 17. Februarii menſis die ſuſceperit, ideoque facile poſt bimeſtrem conſulatum ineuntis anni initio ſuſceptum, mox Vrbi praeeſse caeperit.

Hoc Praefecturae initium manifeſte nobis oſtendit quod inſignis ille Vopiſci locus, in quo de Iunio Tiberiano Vrbis Praefecto ipſe loquitur, non ad annum 303., quo Tiberianus iterum Praefectus fuit, ſed ad hunc annum 291. referri debet. Etenim Vopiſcus in Aure-

liani

liani vita ſic ait : (1) *Hilaribus , quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus, & dici, impletis ſolemnibus, vehiculo ſuo me & iudiciali carpento Praefectus Vrbis Vir Illuſtris , ac praefata reverentia nominandus Iunius Tiberianus accepit*. Itaque, cum *Hilaria* Feſta in 25. Martii diem inciderent, atque anno 303. Iunius Tiberianus nonniſi 12. Septembris die Praefecti munus ſuſceperit, illudque proximo anno 304. ineunte Ianuario menſe reliquerit, eius Praefecturae tempore Hilaria Feſta celebrari non poterant. Viciſſim vero alterius Praefecturae tempore, quam hoc anno 291. obtinuerat, Hilaria Feſta ſemel iterumque contigerant, cum Praefecti honorem, quem 18. Februarii die anno 291. ſuſceperat, nonniſi 3. Auguſti die anno 292. ſucceſsori reliquerit. Quod ſi Hilaria Feſta ſemel iterumque ſub Praefecto Tiberiano peracta ſunt, ſuſpicari certe quis poterit quod Vopiſcus eodem anno 291. Aureliani Vitam ediderit antequam anno 292. Hilaria redirent. Certe Vopiſcus ipſe ſe Conſtantii Chlori aetate vixiſſe teſtatur (2), quamvis in Libris, quos pridem ediderat, alia poſt annum 308. & alia quoque poſt annos 341., & 343. vel ab ipſo, vel a Scriptoribus aliis addita, & inſerta ſint, ut Dodvellus optime exiſtimavit. Itaque Gothofredi coniectura refelli facile poterit, qui *procul dubio* Tiberianum hunc a Vopiſco memoratum unum eundemque eſse putat cum Tiberiano, qui anno 336. *Vicarius Hiſpaniarum* fuit, (3) atque in Codice Iuſtinianeo *Comes Hiſpaniarum* anno 332. vocatur. (4)

Clau-

(1) Cap. 1. (2) In Aurelian. c. 44.
(3) Cod. Theod. Lib. III. tit. 5. l. 5. (4) Lib. VI. tit. 1. l. 6.

Claudius Marcellus.

An. V. C. 1045. *Chr.* 292.

FOrtaſse primis huius anni menſibus idem ille Iunius Tiberianus in munere perſtitiſse videtur, qui etiam anno 303. Vrbanae Praefecturae honore decoratus occurret. Siquidem ad hunc annum in Praefectorum Indice legitur: *Claudius Marcellus P. V. III. Nonas Auguſti*; ut is proinde Praefecti munus nonniſi 3. Auguſti menſis die ſit auſpicatus.

Septimius Acyndinus.

An. V. C. 1046. *Chr.* 293. & 294.

HIC etiam ex Anonymi teſtimonio Praefecti munus ſerius eſt auſpicatus. Ait enim: *Septimius Acyndinus P. V. III. Idus Martias*; ſed ipſum ad ineuntem annum 295. continuavit.

Ariſtobolus.

An. V. C. 1048. *Chr.* 295.

HOC anno in Praefectorum Laterculo legitur: *Ariſtobolus P. V. III. Idus Ianuarias*. Quandoquidem vero in Conſularibus etiam Faſtis ad annum 285. hoc ipſum *Ariſtobuli* nomen occurrit, nullus propemodum dubito quin utrobique unus idemque vir exprimatur; cum praeſertim Diocletianus inſignem hunc Virum, quamvis Carini fautorem, primo Imperii ſui anno in

Digitized by Google

Conſulatu Collegam habere voluerit. Siquidem Sextus Aurelius Victor (1) quum initum a Diocletiano Imperium, & Aprum Numeriani ſocerum interfectum eſſe dixiſſet, ſubdit: *Ceteris venia data, retentique hoſtium fere omnes, ac maxime Vir inſignis Ariſtobulus Praefectus Praetorio per officia ſua*. Quemadmodum ergo Ariſtobolus ipſe Kalendis Ianuariis anno 285. una cum Carino Auguſto Conſul proceſſerat, licet interim alio Praefecti Praetorio munere fungeretur, ita quoque Diocletianus ipſe dum Carino occiſo ſolus Imperium obtinuit, & Conſulatum ſuſcepit, Ariſtobolum collegam habere coepit.

Quo certe loco Ammiani (2) error corrigi debet, qui Ariſtobulum hunc omnium poſtremum fuiſse dicit uſque ad annum 363., qui, licet privatus, una cum Auguſto quodam Conſul proceſserit. Etenim anno 288. privatus alius, nimirum Pomponius Ianuarius, una cum Maximiano Auguſto Conſul proceſſit, ut ad annum illum obſervavimus.

Caſſius Dio.

An. V. C. 1049. *Chr.* 296.

ALexandri Severi aetate anno Chr. 229. Caſſius Dio Hiſtoricus ſecundo Conſul proceſserat, eiusque filius, aut nepos, ut Auguſtinus (3) exiſtimat, Caſſius Dio anno 291. una cum Tiberiano Faſtos ſignavit. Quemadmodum vero Tiberianus ille anno 291. Praefecturam Vrbis obtinuit, ita quoque Caſſius Dio eius in Conſulatu collega eodem ipſo Praefecti munere hoc anno functus videtur a 17. Februarii die auſpicatus, ut in Anonymo legitur.

Afra-

(1) Cap. 39. (2) Lib. XXIII. (3) Famil. Roman.

Afranius Anniballianus.

An. V. C. 1050. *Chr.* 297.

AB Anonymo quidem Praefectus iſte *Aeranius Anniballianus* facili, levique errore vocatur, quem tamen Bucherius, & Cuſpinianus etiam emendarunt. Quandoquidem vero in Conſularibus Faſtis ad annum 292. *Hannibaliani* nomen conſpicitur, unus idemque eſse potuit, qui primum *Conſulis*, deinde vero *Praefecti Vrbis* munus obiverit.

Artorius Maximus.

An. V. C. 1051. *Chr.* 298.

NVllibi prorſus, praeter quam in Anonymi Serie, Praefecti huius mentio reperitur, quamvis alii ex Artoria familia tum in Scriptoribus, tum in Marmoribus memorentur.

Anicius Acilius Aginatius Faustus.

An. V. C. 1052. *Chr.* 299.

INtegrum Praefecti huius nomen non ab Anonymo quidem, a quo ſolum *Anicius Fauſtus P. V.* vocatur, quemadmodum prorſus in Conſulum Faſtis ad annum 297. *Anicius Fauſtus II.* Conſul nominatur, ſed a Gruteri Marmore haberemus, (1) ſi *Anicius Acilius Aginatius Fauſtus*, qui in eo Marmore nominatur, unus idem-

 que

(1) Pag. 1067. 5.

que cenſendus eſset ac Fauſtus ille, qui hoc anno in Praefectorum Faſtis ab Anonymo collocatur. Cum tamen, Muratorio iudice, Gruteri Marmor ad annum 424. referendum videatur, ipſum eo potius in loco proferemus.

Pompeius Appius Faustinus.

An. V. C. 1054. *Chr.* 301.

ANonymus in ſuo Praefectorum Catalogo ſolum huius nomen, annum, ac Praefecturae initium indicavit: *Pompeius Fauſtinus P. V. III. Kal. Martias*. At in Gruteri Marmore (1) ipſum quoque *Appii* nomen adiicitur

HERCVLI. INVICTO
POMPEIVS. APPIVS
FAVSTINVS
V. C. PRAEF. VRBIS
N. D. D.
FELICITER

In alio tamen Marmore (2) eadem prorſus nomina, ac verba reperiuntur; niſi quod ibi non *V. C. Praef. Vrbis*, ſed *V. C. Pr. Vrban.* legitur; quod argumento eſſe poterit Fauſtinum hunc ante Praefecturam Vrbis, Vrbanam quoque Praeturam geſſiſſe, niſi fortaſſe compendiis illis *Praefectus Vrbanus* deſignetur, ut ad annum 342. oſtendetur, aut Fauſtinus *Praetor* a Fauſtino *Praefecto* diſtingui debeat; ideoque diſtincta Marmora diſtinctis Viris dicata, vel uni eidemque viro diverſis temporibus poſita fuerint.

Video

(1) Pag. 47. 1. & 8. (2) Num. 8.

Video quidem quod Cl. Gothofredus ſubdubitat an Fauſtinus iſte unus, idemque eſſe poſſit, qui anno Chr. 410. Praetorio Praefectus occurrit. Vix tamen conceſserim anno 410. quo Deorum templa, atque arae ſubverſae fuerant, aram hanc *Herculi Invicto* dicari potuiſſe. Accedit etiam quod in eadem ipſa baſi *M. Mummii Ceionii Annii Albini* nomen exaratum conſpicitur; ideoque, cum Albinus ille ad antiquiora tempora ſpectaſſe debeat, ut ad annum 256. oſtendi, Fauſtinus ad annum 410. referri certe non poterit.

Aelius Dionyſius.

An. V. C. 1054. *Chr.* 301.

HVius etiam Praefecti nomen, atque annum, quo Vrbi ille praefuit, ex veteri Praefectorum Serie ab Anonymo olim contexta, atque a Cuſpiniano edita, cognovimus.

Nummius Tuſcus.

An. V. C. 1055. *Chr.* 302.

NON plurimum fortaſſe fallar ſi Praefectum hunc, de quo Anonymus ait *Nummius Tuſcus P. V. XI. Kal. Mart.*, eius Nummii Albini filium fuiſſe dixerim, qui praeter iteratum Conſularium Faſcium honorem, annis Chr. 256. 261. 262. 263. Vrbi praefuit; quemadmodum hic ipſe Nummius, qui hoc anno Praefectus fuit, anno 295. Conſul proceſſerat, quamvis ille ſolo *Tuſci* nomine in Faſtis, ac Marmoribus etiam deſignetur.

Iunius

Iunius Tiberianus II.

An. V. C. 1056. *Chr.* 303.

HOC ipſum Iunii Tiberiani nomen in Praefectorum Faſtis occurrere ad annum 291. obſervavimus, quo *XIII. Kal. Martias* Vrbi praeeſſe ille caepit. Hoc autem anno munus illud longe ſerius, hoc eſt exeunte fere anno, eſt auſpicatus, cum in Anonymi ſerie legatur: *Iunius Tiberianus P. V. pridie Idus Sept.*

Laodicius.

Cir. an. V. C. 1056. *Chr.* 303.

IN Actis S. Papiae, & Mauri legitur quod Martyres illos, furente perſecutionis rabie *tempore Diocletiani Imperatoris . . Laodicius Vrbis Praefectus* extremo ſupplicio 29. Ianuarii menſis die affecit; quemadmodum 3. Februarii die S. Apronianus eadem martyrii palma *ſub Laodicio Praefecto* decoratus memoratur. Itaque, cum teterrima illa Diocletiani immanitas, & perſecutio anno 303. inceperit biennio antequam Diocletianus ipſe Imperium deponeret, Martyrum illorum triumphus, ideoque Vrbana Laodicii Praefectura circa annum illum collocari commode poterit. An vero Laodicius iſte, qui Diocletiani temporibus Vrbi praefuit, eius Laodicii pater fuerit, qui anno 365., ut ex Theodoſiano Codice (1) apparet, *Sardiniae Praeſes* fuit, ſuſpicari quidem, ſed aſſerere certe non poſſumus.

Tra-

(1) Lib. IX. tit. 1. l. 12.

Aradius Ruffinus.

An. V. C. 1057. Chr. 304.

LIcet in Anonymi Serie legatur: *Aradius Ruffinus P.V. pridie Nonas Ianuarias*, Cuſpinianus tamen, ac Panvinius emendarunt *Eraclius Ruffinus*. Quum tamen ad annum 312. hic ipſe *Aradius Ruffinus* Vrbis Praefectus occurrat, hoc etiam loco *Aradii* nomen retinendum eſſe videretur. Video quidem quod Diocletiani, & Maximiani Reſcriptum anno 293. editum, atque *Heraclio* cuidam directum in Iuſtiniani Codice (1) reperitur, quod Glandorpio ceteriſque fraudi eſſe potuit ut Anonymi textum ſollicitarent. Sed plane incompertum quis Heraclius ille fuerit; neque ex ambigua nominum ſimilitudine Anonymi noſtri textus, alioquin accuratus, temere ſollicitandus videtur.

Draccus.

Cir. an. V. C. 1057. Chr. 304.

TRiceſima Auguſti menſis die in Romano Martyrologio Felicis, & Adaucti martyrum triumphus hoc elogio celebratur: *Romae beati Felicis presbyteri ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus.. quidam Chriſtianus cum eodem pariter decollatus eſt; huius nomen ignorantes Chriſtiani Adauctum eum appellaverunt*. In Adone tamen, qui cetera ex Martyrum illorum Actis excerpſerat, legitur: *Romae beatiſſimorum Martyrum Felicis, & Adaucti ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Praefecto*,

(1) Lib. IV. tit. 5. l. 4.

fecto, *& Iudice Dracco*; quemadmodum in Actis ipſis Draccus ille ſemel, iterum, tertioque *Praefectus* vocatur, atque in nonnullis Codicibus Dracontius appellatur.

Itaque, cum Diocletiani perſequutio anno 303. inceperit, Martyrum illorum caedes, ideoque Dracci Praefectura proxime poſt annum illum contigiſſe debuit, antequam Diocletianus, & Maximianus Auguſti kalendis Maiis ſequentis anni 305. purpuram, ac Imperium deponerent.

Magnentius.

Cir. an. V. C. 1057. *Chr.* 304.

IN ſacris Eccleſiae Faſtis ad 14. Iulii diem S. Iuſti militis, ac Martyris mentio cum hoc elogio reperitur: *Romae S. Iuſti Militis, qui . . . a Magnetio Praefecto . . in rogum immitti iuſſus, in confeſſione Domini reddidit ſpiritum.* Magnentius ipſe Praefectus in Graeco quoque Baſilii Synaxario memoratur: *παρεπέμφθη Μαγνεντίῳ τῷ Ἡγεμόνι ad Magnentium* Romae *Praeſidem miſſus eſt*; quo certe *Praeſidis* nomine non aliud, quam *Vrbis Praefectus*, intelligi poteſt; cum nullus Romae *Praeſes* haberetur, & Chriſtianorum cauſſae ad Praefectum ipſum ſpectarent.

* Pinius

✠ Pinius Paulus Silvanus.

Cir. an. V. C. 1057. *Chr.* 304.

QVamvis ab Anonymo Praefectus iſte omittatur, perſpicue tamen certoque eius nomen, dignitas, atque aetas in Fabretti (1), Reineſii (2), & Gudii (3) Marmore demonſtratur

IVNON. REGIN
SACRVM
PRO SALVTE
D. N. DIOCLETIANI. IN
CLYT. PRINCIP. SEMP. AVG.
PINIVS. PAVLLVS. SILVANVS
VIR. CLAR. PRAEF. VRB.
IVDEX. SACRARVM. COGNITIO
NVM. VOLVNT. EIVS. CVR.

Quandoquidem ergo Diocletianus Auguſtus ſequenti anno 305. purpuram ac Imperium depoſuit, hujus Praefecti nomen hoc anno, qui Diocletiano poſtremus fuit, exhibendum putavi; quamvis etiam ad aliquem ex ſuperioribus annis referri facile poſſit, poſtquam Diocletianus anno 283. Imperio potitus fuit. Nullus tamen hoc ipſo anno 304. opportunior eſſe poteſt, in quo votiva haec Epigraphe pro Diocletiani Auguſti ſalute dicari potuerit, cum Auguſtus ipſe aegrotus Conſulatum hoc anno Ravennae ſuſceperit, ibique aegritudine preſſus aeſtatem tranſegerit.

Y Titus

(1) C. III. n. 518. p. 209. (2) Claſ. I. 282.
(3) Pag. 12. 8.

Digitized by Google

Titus Flavius Poſtumius Titianus.

An. V. C. 1058. *Chr.* 305.

POſtumii nomen ad hunc annum in Anonymi Indiculo memoratur: *Poſtumius Titianus P. V. pridie Idus Februarias*; ſed in ipſis etiam Conſulum Faſtis anno 301. inſcriptum fuerat; quamvis enim in iis breviſſime dicatur *Titianus II. Nepotianus*, in veteri tamen Marmore apud Fabrettum (1) legitur

T. FL. POSTVMIO. TITIANO. V. C. COS.
PROCOS. PROV. AFRICAE

quod nimirum Titianus ille, antequam Vrbi praeeſſe inciperet, honoribus illis functus fuiſſet.

Annius Paulinus.

An. V. C. 1059. *Chr.* 306.

IN veteri quidem Praefectorum Indiculo legitur *Annius Paulinus P. V. XIV. Kal. Apriles*; Panvinius tamen, & Contelorius Annii Annulini nomen hic exhibent, quod nimirum illud ad annum 312. in Praefectorum Faſtis inferius occurrat, atque Anulinus, qui facile cum illo unus idemque eſſe potuit, anno 295. cum Tuſco Conſul proceſſerit. Ego vero ſolo levioris huius, ut opinor, coniecturae praeſidio nihil in Praefecti nomine mutandum eſſe putaverim.

Iuſte-

(1) Cap. III. n. 516. p. 208.

Iuſteius Tertullus.

An. V. C. 1060. *Chr.* 307.

NON facile profecto ego dixerim cur Panvinius, & Contelorius Praefectum hunc *Iuſtum Tertullum* appellaverint, cum in Anonymi Serie perſpicue legatur *Iuſteius Tertullus P. V. VI. Kal. Septembres*, conſuetaque formula Praefecti familia exprimi debeat; ideoque non *Iuſtus*, ſed *Iuſteius*, ſcribi oportuerit. Quod ſi fortaſſe cui libeat *Iuſtius* hic legere, familiae nomen habebitur, quod in pluribus monimentis aliis occurrat.

Statius Rufinus.

An. V. C. 1061. *Chr.* 308.

STatii Rufini P. V. nomen ab Anonymo ad annum hunc recenſetur, ibique ſubditur quod ille *VII. Idus Aprilis* Praefecturae munus auſpicatus eſt.

Aurelius Hermogenes.

An. V. C. 1062. *C.* 309.

AVrelius Hermogenes P. V. III. Kalendas Nov.* Vrbi praeeſſe caepit, ut apud Anonymum in Praefectorum Serie indicatur.

Aurelius.

Cir. an. V. C. 1062. *Chr.* 309.

SI Aurelii Praefecti nomen in Anonymi ſerie prorſus ommiſſum hic inſero, Romanas quidem Martyrologii Tabulas ſequor, ſed integrae tamen hiſtoriae in eo memoratae me vadem exhibere non audeo. In ipſo ad 12. Iunii diem legitur: *Romae S. Martyrum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii Militum, qui in perſecutione Diocletiani, & Maximiani ſub Aurelio Praefecto detruſi in carcerem, & ſcorpionibus dilacerati capite truncati ſunt;* quemadmodum in Breviario dicitur quod Martyres illi *ab Aurelio Praefecto Vrbis* comprehenſi ſunt. Si Martyrum ipſorum Acta, quae circumferuntur, ſincera forent, Aurelii Praefecti nomen circa annum 304. Praefectorum Faſtis inſeri poſſet, atque in Actis ipſis pro *Aurelio Eraclius*, ſive *Aradius* ſubſtitui. Quum vero interpolata, vel apocrypha illa ſint, ut Papebrochius, & Tillemontius optime demonſtrarunt, de ipſo quoque Praefecti nomine dubitare facile poſſumus.

Obſervari tamen plurimum velim quod in ipſa quoque Anonymi Serie ad annum Chr. 309. *Aurelii Hermogenis* Praefecti nomen occurrit; nihilque prohibet quin in Actis illis Praefecti nomen ſola *Aurelii* voce deſignetur, & Martyrum illorum paſſio ad annum hunc referatur. Quod enim in perſecutione Diocletiani, & Maximiani paſſi dicantur, optime intelligi, ſalvarique poterit, quamvis ipſorum martyrium ad annum 309. referatur; cum perſequutio ab Auguſtis illis incepta Maximini, Severi, aliorumque Caeſarum furore prorogata fuerit; ideoque ſemper *Diocletiani, & Maximiani perſecutio* vocari illa poſſit.

Caius

Caius Ceionius Rufius Voluſianus.

An. V. C. 1063. *Chr.* 310.

QVemadmodum ſuperioribus annis eſt obſervatum quod Vrbis Praefecti longe ſerius hoc munus auſpicabantur, ita quoque ab Anonymo dicitur quod hoc anno *Rufius Voluſianus T. V. V. Kalendas Novembres* incepit, integrumque tamen anni ſpatium explevit, cum ipſi Iunius Flavianus anno ſequenti eadem ipſa die ſucceſſerit. Eiuſmodi vero Praefecti dignitas, ſimulque integrum Rufii Voluſiani nomen ex Gruteri marmore agnovimus (1)

C. CEIONIO. RVFIO. VOLVSIANO. V. C.
CORR. ITALIAE. PER. ANNOS. OCTO
PROCONSVLI. AFRICAE
COMITI. DOMINI. NOSTRI
CONSTANTINI. INVICTI. ET
PERPETVI. SEMPER. AVGVSTI
PRAEFECTO. VRBI. IVDICI. SACRARVM
COGNITIONVM. CONSVLI

Et ſane quod Rufius Voluſianus ſemel iterumque Conſul proceſſerit ex alio Marmore, quod a Grutero (2), longeque accuratius a Muratorio (3) profertur, inferri debet.

CEIONIVM. RVFIVM. ALBINVM
V. C. CONS. PHILOSOPHVM
RVFI. VOLVSIANI. BIS. ORDINARI. COS. FILIVM
- - - - - - - -
FL. MAGNVS. IANVARIVS
V. CI. CVR. STATVARVM

Quem-

(1) Pag. 387. 3. (2) Pag. 387. 3. (3) Pag. 375. 3.

Quemadmodum vero Rufius Voluſianus Conſulatum ſemel iterumque geſſit, anno nimirum 311. ut opinatur Muratorius, & anno 314., quo in Faſtis occurrit, ita quoque bis Vrbi ille praefuit.

Hinc autem facile apparet quod Ceionius ille Praefectus Vrbis Ceionii Rufii Albini pater fuit, ideoque facile alterius C. Ceionii Rufii Voluſiani avus, qui anno 355. Conſul, & anno 364. & 365. Praefectus Vrbis fuit.

Symphronius.

Cir. an. V. C. 1063. *Chr.* 310.

ETſi Contelorius, aliique Praefectum hunc *Sempronium* appellent, mihi tamen longe accuratius, ac opportunius videtur nomen illud exprimere, quod in Romano Martyrologio, & in antiquis S. Agnetis Actis habetur. Siquidem in illo legitur: (1) *Romae S. Agnetis Virginis, quae ſub Praefecto Vrbis Symphronio ignibus iniecta . . . gladio percuſſa eſt*. In Actis autem, hoc eſt in S. Ambroſii Epiſtola, aſſeritur quod *illa a Praefecti Vrbis filio adamatur . . & videns Symphronius Praefectus tantam in puella conſtantiam, parentes eius alloquitur*. Nec alio ſane, quam *Symphronii* nomine Praefectus ille ab Adone (2) vocatur: *ſub Praefecto Vrbis Symphronio, Vicario eiuſdem Vrbis Aſpaſio*, licet in Florentina Vſuardi editione *Simpronianus* appelletur. Itaque, licet in Actis ipſis error irrepere potuerit, ut pro *Sempronii* nomine *Symphronius* legeretur, nihil hic tamen ſine melioris Codicis praeſidio mutandum putaverim, cum praeſertim in Actis inferius graecum aliud *Aſpaſii* nomen occur-

(1) Die 21. Januar. (2) De Feſt. SS. Apoſt.

occurrat, qui Praefecti Vicarius erat: *Tunc Vicarius Aſpaſius nomine iuſſit in conſpectu omnium ignem accendi*, ſive, ut in Galeſino legitur, *Aſpaſii Vicarii, cui Praefectus illius cauſam delegavit, iuſſu in ignem coniecta fuit*.

Optime quidem novi quod, Bollando teſte, in alio Codice legitur: *Tunc Vicarius, Aſpaſius nomine Paternus Proconſul ex Dominis, & Principibus ſuis Valeriano, & Gallieno iuſſit;* ideoque Bollandus ipſe coniecit quod hic Aſpaſius cum Aſpaſio Paterno Africae Proconſule confundi poſſit, qui anno Chr. 257. Provinciam illam adminiſtravit, & in Actis S. Cypriani memoratur: quo plane fieret ut hic Symphronius ad Gallieni tempora referendus eſſet. Sed, ut omittam periochen illam, in qua Paternus veluti Proconſulatum gerens exhibetur, ſinceris Actis prorſus intruſam videri, cetera, quae in Actis ipſis leguntur, aperte ſatis oſtendunt illuſtrem hunc S. Agnetis triumphum primis Conſtantini M. temporibus contigiſſe: ut proinde Symphronius, vel Symphorianus iſte, ſive, ſi mavis, Sempronius, circa annum 310. Praefectorum Faſtis inſerendus videatur.

Iunius Flavianus.

An. V. C. 1064. *Chr.* 311.

AVreolus ille Bucherii, vel Cuſpiniani Catalogus, cui tot alia Praefectorum nomina a ceteris Scriptoribus ommiſſa debemus, huius etiam Praefecti nomen expreſſit, cum in ipſo ad annum 311. legatur: *Iunius Flavianus P. V. V. Kal. Novembres*.

Tarqui-

Digitized by Google

Tarquinius.

Cir. an. V. C. 1064. *Chr.* 311.

TArquinii Praefecti nomen, quod ab Anonymo prorſus omittitur, in Romano Martyrologio nobis occurrit ubi 22. Auguſti die legitur: *Romae S. Timothei martyris, qui tentus a Tarquinio Vrbis Praefecto . . . ad ultimum decollatus eſt*. In ſinceris autem eiusdem Martyris Actis legitur quod ille ſub Melchiade Papa Romam veniens, ibique *totum annum, & aliquot menſes praedicans* tandem a Tarquinio Praefecto longa carceris cuſtodia maceratus, graviſſimis ſuppliciis attrectatus, tandem martyrii palmam obtinuit. Itaque, cum Melchiades anno Chr. 310. Pontificatum ſuſceperit, Timothei mors, & Tarquinii Praefectura ad ſequentem annum 311. referri debet, quo Maxentius Imperator Chriſtianos vexavit, donec eodem anno a Conſtantino M. ſuperatus vita, ac Imperio privatus fuit.

Aradius Rufinus.

An. V. C. 1065. *Chr.* 312.

VNdenam maxima, ac mira prorſus perturbatio prodierit, quae in Praefectorum Catalogo ad annum hunc obſervatur, ut nimirum Aradio Rufino, qui Praefecturam *V. Idus Februarias* ſuſceperat, Annius Anulinus *VI. Kal. Novembres* ſuccedens, dies ſolum XLIV. Vrbi praefuerit, eoque *III. Kal. Decembres* amoto Praefecti munus iterum Aradio Rufino ad Decembrem uſque ſequentis anni delatum fuerit, divinare certe non poſſumus. Illuſtri tamen hoc exemplo erudimur quod uno eodemque

que anno non unicus, ſed aliquando etiam plures eodem ipſo Praefecti honore perſuncti ſunt; ideoque ex ſolo Praefecti nomine, qui in Martyrum quorundam Actis occurrat, atque in edita Praefectorum Serie non reperiatur, eiuſmodi Actorum ſinceritas elevari, ſtatimque in dubium revocari non poterit. Hoc ipſum luculentius adhuc in anno 318. 329. 333. 340. demonſtrabitur.

Interim vero obſervandum quod in titulo Legis (1) Conſtantini M., quae 4. Idus Auguſti ſequentis anni 313. edita fuit, Rufinus iſte *Praefectus Praetorio* vocatur, cum tamen ibi P. V. nimirum *Praefecto Vrbi* ſcribendum fuerit. Etenim ex Praefectorum Laterculo Ruſius Voluſianus Rufini ſucceſſor nonniſi VI. Idus Decembris Vrbani Praefecti munus obire caepit; ideoque editae Legis tempore Rufinus ille non *Praetorio*, ſed Vrbi praeerat.

Ruſius Voluſianus

An. V. C. 1066. *Chr.* 313. & 314.

RVſii Voluſiani nomen, quod ab Anonymo ſuperius ad annum 310. in Praefectorum Serie recenſitum fuerat, iterum hoc, & ſequenti etiam anno eo tamen diſcrimine memoratur, ut ille anno 313. Praefecturam *VI. Idus Decembres* auſpicatus dicatur, eamque integro ſequentis anni 314. ſpatio continuaſſe videatur, ſimulque octo prioribus menſibus ſequentis anni 315., ut mox obſervabitur. Certe in Theodoſiano Codice (2) Conſtantinus M. eo anno *V. Kal. Martias ad Voluſianum P. V.* reſcripſit; cumque Voluſiani nomen in Conſulari-

(1) Cod. Th. Lib. VII. tit. 21. l. 1. (2) Lib. XI. tit. 36. leg. 2.

laribus etiam Faſtis ad annum 314. habeatur, Gothofredus optime exiſtimavit hunc Voluſianum utroque, Conſulis nimirum, & Praefecti, munere eodem anno 314. functum fuiſſe. In duabus autem Legibus aliis, quibus eodem anno 314. Voluſiani nomen veluti Conſulis ſubſcribitur, ſolo *Voluſiani* nomine, diſſimulato dignitatis titulo, in Legum ipſarum initio decoratur (1). Altera quoque Lex ſequenti anno 5. Kal. Martias edita ad Voluſianum ipſum P. V. dirigitur (2).

Caius Vettius Coſſinius Rufinus

An. V. C. 1068. *Chr.* 315.

PRaefectorum Series ab Anonymo contexta: *Vettius Rufinus P. V. XIII. Kalendas Septembres*. Integrum tamen eius nomen in Muratorii Marmore reperitur (3)

C. VETTIO. COSSINIO. RVFINO. C. V.
PRAEFECTO. VRBI. COMITI
IN. CONSIST. CORR. CAMP. ORDO. PO
PVLVSQ. ATINAS. QVOD. IN. CORRECTVRA
EIVS. QVAE. SAEVISSIMAM. TYRANNIDEM
INCVRRERAT. NVLLAM. INIVRIAM
SVSTINVERIT...

Titulus iſte paullo poſt annum 315., quo Rufinus Vrbi praefuit, illi dicatus videtur, antequam anno 323. Conſul eligeretur. Itaque in Lege, quae dicitur (4) *recitata apud Vettium Rufinum P. V. in ſenatu nonis Sept.* *Con-*

(1) Lib. XIII. t. 5. l. 1. & Lib. V. tit. 6. l. un.
(2) Lib. XI. t. 36. l. 2. (3) Pag. 373. 3. & Doni Cl. V. 145. (4) Cod. Theod. Lib. VIII. tit. 18. l. 1.

Conſtantino Aug. V. & Licinio C. Conſſ., reſcribi debet *Conſtantino Aug. IV. & Licinio Aug IV.* ut anno conveniat, quo Vettius Rufinus Praefecti munere fungebatur.

Saeviſſima vero tyrannis, quae in Campanam Rufini Correcturam incidiſſe dicitur, non alia eſſe potuit, quam quae Maxentii temporibus Vrbem Romam, Italiamque omnem diriſſime vexavit anno Chr. 312. antequam nefarius ille, ac iniquiſſimus Princeps a Conſtantino Auguſto mire ſuperatus, ac interemptus foret.

Ovinius Gallicanus

An. V. C. 1069. Chr. 316.

PRaeter Anonymum, in quo legitur: *Ovinius Gallicanus P. V. pridie Nonas Auguſti*, Praefecti huius, nomen in Gruteri quoque Marmore memoratur (1)

FLAVIO. VALERIO. CRISPO
NOBILISSIMO. CAES. FILIO
CONSTANTINI. MAXIMI
ADQVE. INVICTI. SEMPER. AVG.
ET. NEPOTI. DIVI. CONSTANTI
OVINIVS. GALLICANVS. V. C.
PRAEF. VRB. ET. IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM. DEVOTVS
N. M. Q. EIVS

Quum vero in Conſularibus etiam Faſtis ad annum 317. & 330. *Gallicanus* occurrat, ſi unus idemque cum Gallica-

(1) Pag. 284. 7.

Digitized by Google

licano Praefecto ille fuit, prius Conſulis, mox Praefecti, iterumque Conſulis honorem ſuſcepiſſe ille debuit.

Quandoquidem vero Lex Ianuario menſe huius anni *ad Vettium Rufinum P. V.* (1) dirigitur, perſpicue apparet quod Rufinus ipſe primis etiam huius anni menſibus adhuc Vrbi praeerat, ut optime proinde Gallicani eius ſucceſſoris initium *pridie Nonas Auguſti* contigiſſe dicatur.

✠ Iulius Caſſius I.

An. V. C. 1069. *V. C.* 316.

ANonymus quidem aſſerit hunc Caſſium Septimii Baſſi loco, dum ille ad Caeſarem profectus erat, Vrbi praefuiſſe anno proximo 318., ideoque ad annum illum a me recenſebitur. Ipſum vero anno quoque 316. non vicariam, ſed ſuam potius, Praefecturam geſſiſſe ex Theodoſiano Codice (2) deduci poteſt, in quo Conſtantini M. Lex Kal. Maiis anni 316. edita, atque *ad Caſſium P. V.* directa reperitur: quod nimirum hic Caſſius anno 316. poſt Ianuarium, & ante Maium menſem, ideoque inter Vettium Rufinum, ac Ovinium Gallicanum, Vrbi praefuerit.

Septimius Baſſus

An. V. C. 1070. *Chr.* 317.

VRbis Praefecturam hoc anno a Septimio Baſſo ſuſceptam, moxque pluribus ſequentis etiam anni menſibus continuatam fuiſſe perſpicuo Anonymi teſtimonio

(1) Cod. Th. Lib. IV. tit. 13. l. 1. (2) Lib. VIII. tit. 12. l. 3.

monio erudimur. Etenim ad annum hunc adnotavit: *Septimius Baſſus P. V. Idibus Maiis*; & ad ſequentem annum 318. ſcribit: *Ex die XIII. Kalendas Martii vice illius cognovit Iulius Caſſius eo quod ad Auguſtum profectus eſt. Septimius Baſſus regreſſus P. V.* Hinc in Theodoſiano Codice Leges occurrunt *ad Baſſum P. V.* directae, quae partim anno 317. (1) partim anno 319. (2) editae ſunt. Quamvis autem ille in pluribus aliis P. V. dicatur, ubique P. P. reſcribi debet, cum Kal. Sept. anni 319. ab *Vrbis* ad *Praetorii* Praefecturam aſcenderit; ideoque Lex 4. Idus Octobres edita ad Baſſum PF. P. dirigitur (3). Itaque Gothofredus optime admonuit quod Legibus omnibus, quae ad hunc ipſum Baſſum directae, & annis 327. 329. 330. & 331. editae ſunt, titulus PF. P. praeſcribi debet.

Iulius Caſſius II.

An. V. C. 1071. *Chr.* 318.

SVperiori loco iam vidimus quod, cum Septimius Baſſus, qui Praefecti munere fungebatur, ad Conſtantinum Auguſtum in Illyrico degentem profectus fuiſſet, eius vice a die XIII. Kal. Martii cauſas cognovit Iulius Caſſius, donec Septimius ipſe Romam regreſſus iterum Praefecturam ſuſciperet. Itaque Iulius Caſſius merito Praefectorum Faſtis inſerendus videtur, quippe qui Praefecto ſubſtitutus fuit, aut certe aliorum inſtar *Praefecti Vicarius* appellandus erit.

Vale-

(1) Libr. IX. tit. 10. l. 2. & Lib. XI. tit. 30. l. 7.
(2) Lib. IX. tit. 10. l. 3. & Lib. XI. tit. 30 l. 8.
(3) Lib. III. tit. 17. l. 1.

Digitized by Google

Valerius Maximus Baſilius

An. V. C. 1072. *Chr.* 319. 320. 321. & 322.

MAiori huius anni 319. parte Septimium Baſſum adhuc Vrbi praefuiſſe demonſtrant Conſtantini Leges, quae prid. Non. Oct. (1) & Non. Oct. (2) ad ipſum velut Vrbis Praefectum diriguntur. Hinc in Anonymi Serie ad annum ipſum legitur: *Valerius Maximus Baſilius P. V. Kal. Septembribus*; quod nimirum ea die Praefecturam auſpicatus fuerit; quam deinde quatuor ſequentibus annis conſervavit, quippe qui Lucrium Verinum Idibus Septembris anno 323. ſucceſſorem habuerit.

Ex ſuperioribus tamen Legibus perſpicue apparet quod Baſſus Vrbanam Praefecturam ad Nonas Octobres anni 319. prorogavit, quibus P. P. factus fuit; ideoque in Lege 4. Idus Oct. eiusdem anni propoſita *P. P.* vocatur (3). Quemadmodum ergo in pluribus Legibus, quae poſt 12. Octobris diem anni 319. editae ſunt, quibus Baſſus P. V. inſcribitur, Gothofredus optime P. P. reſcribendum eſſe contendit, ita in ſuperioribus etiam haec emendatio adhibenda foret ſi Maximus a Kal. Septembribus vere incepiſſet, ut in Anonymo legitur.

Ianua-

(1) Cod. Th. Lib. IX. tit. 10. l. 3. (2) Lib. VIII. tit. 12. l. 4. (3) Cod. Th. Lib. III. tit. 17. l. 1.

Digitized by Google

Ianuarius

An. V. C. 1073. *Chr.* 319.

LIcet in veteri, atque accurata Praefectorum Serie huius Praefecti nomen omnino incognitum ſit, ipſum tamen Praefectis aliis accenſendum eſſe putaverim. Siquidem in Theodoſiano Codice Lex a Conſtantino M., dum Auguſtus ipſe V. Conſul foret, hoc eſt anno 319. VI. Kalendas Decembres Sardicae edita, atque *ad Ianuarium Praefectum Vrbis* directa conſpicitur (1). Itaque, cum Conſtantinopolitanae Vrbis Praefecti nonniſi anno Chr. 360. inceperint, Ianuarius ille non alteri, quam Vrbi Romae, praefuiſſe debuit eo fortaſſe tempore, quo Valerius Maximus ab Vrbe digreſſus erat. Hinc in Theodoſiano Todice Lex anni 320. prid. Non. Dec. *ad Ianuarium Agentem Vicariam Praefecturam* dirigitur (2), atque in Iuſtiniani Codice (3) Ianuarius ipſe PP. vocatur, ubi non *Praefectus Praetorio*, ſed forte *Pro. Pr.* hoc eſt *Pro - Praefecto* legendum eſſe Gothofredus optime exiſtimavit; cum in alia Lege 16. Kal. Ian. anno 320. edita, *Maximus* veluti P. V. praeſcribatur (4).

* Marcus

(1) Cod. Th. Lib. IX. tit. 37. l. 1. (2) Lib. IX. tit. 34. l. 3.
(3) Lib. XI. tit. 61. l. 2. (4) Cod. Th. Lib. XVI. tit. 10. l. 1.

Digitized by Google

✠ Marcus Iunius Caeſonius Nicomachus Anicius Fauſtus Paulinus

An. V. C. 1074. *Chr.* 321.

QVamvis ab Anonymo continua quatuor annorum Praefectura Valerio Maximo tributa videatur, eam tamen a Praefectis aliis interruptam fuiſſe conſpicimus. Quemadmodum enim anno 319. *Ianuarii* nomen Faſtis inſerendum eſſe iam vidimus, ita quoque hoc anno 321. quo *Criſpus*, & *Conſtantinus Caeſares* Conſulatum geſſerunt, Caeſonii nomen iis inſcribendum eſſe putaverim. Etenim apud Muratorium Marmor occurrit, in cuius antica parte legitur (1)

HERCVLI. INVIC
M. IVN. CAESONIVS. NICOMACHVS
ANICIVS. FAVSTVS. PAVLINVS. C. V. P. V.
D. D.

in altera vero parte

XII. KAL. OCTOB. CRISPO. ET CONSTANTINO
CAESS. COSS.

Itaque, ſi Conſulibus illis haec ara, vel ſtatua a Caeſonio Praefecto Vrbis Herculi dicata fuit, perſpicue apparet quod Caeſonius ille hoc anno aliquo temporis ſpatio Vrbi praefuit, quo Conſules illi Faſtos ſignarunt; niſi fortaſſe quis arbitretur quod Paulinus iſte eam Vrbis Praefecturam indicare voluerit, non qua eo anno

(1) Pag. 373. 1. Vid. Grut. 47. n. 9.

anno fungebatur, ſed aliquo ex ſuperioribus annis potitus erat: quemadmodum ſane in Marmoribus aliis eae dignitates, quae geſtae iam fuerant, exprimuntur.

Ceterum quod etiam anno 320. Maximus Vrbi praefuerit ex iis Legibus apparet, quae 3. Kal. Febr., 8. Kal. Apr., 11. Kal. Iulias editae ad ipſum veluti P. V. diriguntur; quemadmndum proximo quoque anno 321. Leges ad ipſum pridie Idus Ian., 8. Id. Mart., 17. Kal. Oct. directae conſpiciuntur. Eiuſmodi vero Praefecti munus a Maximo anno quoque 322. geſtum fuiſſe Leges oſtendunt, quae 8. Kal. Apr., 10. Kal. Iul., 13. Kal. Aug., & 3. Kal. Nov. ipſi inſcribuntur; quamvis ille in harum duabus P. P. dicatur, quod fortaſſe, niſi errorem irrepſiſſe putetur, uno eodemque tempore tum *Vrbi*, tum *Praetorio* praefuerit. Denique quod hic ipſe Maximus Praefecturam Vrbis ad annum uſque 323. extenderit perſpicue demonſtratur ex Legibus, quae ad ipſum 3. Non. Febr. diriguntur (1).

Lucrius Verinus

An. V. C. 1076. *Chr.* 323. & 324.

QVamvis Verini huius nomen duobus continuis annis in Praefectorum Serie memoretur, vix tamen ille ſexdecim menſium ſpatio dignitatem illam obtinuit, quippe qui poſtremis ſolum anni 323. menſibus ab *Idibus Septembribus* auſpicatus ipſam obtinuerit, atque ineunte anno 325. Acilium Severum ſucceſſorem habuerit. Quamvis autem alicubi *Lucer Verinus* vocetur, in duabus tamen Legibus integro *Lucrii Verini* nomine deſignatur (2).

(1) Lib. VIII. tit. 12. l. 1. (2) Cod. Theod. Lib. II. tit. 19. l. 1. & Lib. XII. tit. 11. l. 1.

Digitized by Google

✠ Calphurnius

An. V. C. 1077. *Chr.* 324.

IN Actis Romanae Synodi, quae anno Chr. 324. habita memoratur, inter alios, qui interfuiſſe dicuntur, etiam Calphurnius Praefectus Vrbis occurrit: *Erat enim ibi & Calphurnius, qui primo Gentilis, & poſtea Chriſtianus, & Praefectus Vrbis*; denique in fine Actionis I. legitur: *ſubſcripſerunt ſupradicti Epiſcopi . . . & ſubſcripſit autem & noviſſimus Calphurnius Praefectus Vrbis*.

Quandoquidem tamen eidem Synodo Conſtantinus etiam Auguſtus praefuiſſe dicitur, qui tamen Sirmii, ac Theſſalonicae eo anno morabatur, Synodus ipſa inter apocrypha recenſetur. At fieri fortaſſe potuit ut impoſtor ille, qui hiſtoriam confinxit, verum Praefecti nomen ex Faſtis adiecerit; ideoque facile Calphurnii nomen retineri debeat.

Certe in Iuſtiniani quidem Codice (1) Lex reperitur, quae a Conſtantino M. anno 336. edita *ad Calfurnium* dirigitur, ſed ibi tamen nulla prorſus Calphurnii dignitas, vel titulus memoratur.

Acilius Severus

An. V. C. 1078. *Chr.* 325.

AB Anonymo quidem is Atilius Severus vocatur, & Praefecti munus *pridie Nonas Ianuarias* iniiſſe dicitur; at in Gruteri Marmore *Acilius* appellatur (2)

ACI-

(1) Lib. III. tit. 8. l. 4. (2) Pag. 209. 2.

Digitized by Google

ACILIO SEVERO ET VETTIO RVFINO
COSS.

Itaque, cum Severus ille, qui anno 323. Conſul cum Rufino fuerat, unus idemque videatur, ut Pagius optime exiſtimavit, cum Severo, qui in Praefectorum Serie memoratur, verum eius nomen ex Marmore in Anonymo reſtitui debet.

Ad Severum autem hunc binae Conſtantini M. Leges addito P. V. titulo diriguntur, quarum quidem una (1) hoc ipſo anno 325. 3. Kalendas Auguſti menſis edita fuit, altera vero (2) ad Severum ipſum P. V. dirigitur 3. Non. Aug. ſequentis anni 326. In ceteris autem Legibus, quae annis aliis editae fuerint, quamvis alicubi P. V. inſcribantur, ſemper tamen PP. legendum eſſe Gothofredus oſtendit; quemadmodum etiam Praetorio Orientis Praefectus fuit Severus, qui in Conſtantini A. Lege *Praefectus Vrbis* vocatur, atque ad annum 343. referri debet, cum Lex illa Hierapoli 3. Nonas Iulii Placido, & Romulo Coſſ. edita ſit; iis nempe temporibus, quibus Conſtantinopoli nondum Praefectus inſtitutus erat, & Vrbs Roma Conſtantio non parebat.

Anicius Iulianus

An. V. C. 1079. *Chr.* 326. 327. 328.

NVllus fortaſſe dubitandi locus hic eſſe poteſt quin Iulianus ille, qui ſuperiori anno Conſularibus Faſtis inſcribitur, unus idemque eſſe debeat, qui tribus ſequentibus annis ab Anonymo ita in Praefectorum Catalogo recenſetur, ut anno 326. Praefecturam *Idibus Novem-*

A a 2

(1) Cod. Th. Lib. II. tit. 18. l. 2. (2) Lib. X. tit. 8. l. 3.

vembribus inceperit, eamque demum *VII. Idus Septembres* anno 329. reliquerit. Ac certe quidem in Theodoſiano Codice Lex 13. Kal. Auguſti Romae data habetur, quae *ad Iulianum P. V.* dirigitur (1), eique prorſus Lex alia pridie Non. Mar. edita inſcribitur (2), quarum utraque anno 327. vulgata fuit. Eundem vero hoc ipſo Praefecti munere anno quoque 339. functum fuiſſe videretur, cum in Theodoſiano Codice Conſtantii A. Lex *Anicio Iuliano P. V.* directa & *Sardicae 13. Kal. Iul. Conſtantio A. II. & Conſtante Coſs.* data memoretur (3).

Sed error in Legis titulo, ſimulque ſubſcriptione reperitur, atque in titulo quidem *Conſtantinus*, in hac vero legendum erit *Conſtantino A. VIII. & Conſtantino C. IV.*, ut nimirum annus 329. deſignetur. Siquidem, ut argumenta cetera omittam, anno 339. Conſtans Conſtantii frater eius inſtar *Auguſtus* erat, ideoque *Auguſti* titulo in ſubſcriptione decoraretur, quemadmodum prorſus in Lege anno 339. edita legitur (4); *Conſtantio II. & Conſtante AA. Coſs.* Itaque in titulo quidem *Conſtantinus* legi debet, in ſubſcriptione vero *Conſtantino A. VIII. & Conſtantino C. IV.*, cum certe Publius Optatianus Iuliani ſucceſſor nonniſi VII. Idus Septembres inceperit; ideoque die 13. Kal. Iul., qua Lex illa edita fuerat, Iulianus adhuc Vrbi praeeſſet.

Antequam vero Iulianus iſte Praefecti munus ſuſciperet, Africae Proconſul fuerat, ut ex Marmore oſtendetur, quod ab Anicio Paulino eius filio excitatum ad annum 331. proferetur.

Pub-

(1) Libr. II. t. 7. l. 2. (2) Lib. VI. tit. 4. l. 2.
(3) Lib. XI. tit. 30. l. 18. (4) Cod. Th. Lib. XII. tit. 1. l. 27.

Publius Optatianus I.

An. V. C. 1082. *Chr.* 329.

CVM in Anonymo ad annum hunc habeatur *Publius Optatianus P. V. VII. Idus Septembres dies XXI. Item VIII. Idus Octobres Petronius Probianus P. V.* facile ſuſpicari quis poſſet Opratianum hunc aut amotum, aut in Praefecti munere defunctum eſſe, niſi eius nomen iterum ad annum 333. perpaucos tamen dies, in Praefectorum Faſtis occurreret.

Petronius Probianus

An V. C. 1083. *Chr.* 330.

HOC ipſum Praefecti decus, quod, ut antea vidimus, in ſuperioris anni fine Probianus obtinuit, inregro huius anni ſpatio conſervavit, ideoque in Anonymo legitur *Petronius Probianus P. V.* Ceterum Probianus ille anno 321. Praetorio Praefectus, & anno 322. Conſul fuerat, ut ex Theodoſiano Codice (1), & Conſularibus Faſtis apparet.

Anicius Paulinus

An. V. C. 1084. *Chr.* 331. & 332.

PAulinus iſte, cui Praefectura anno 331. *pridie Idus Apriles*, Anonymo teſte, conceſſa, atque ad annum uſque 333. in VII. Idus Apriles prorogata fuit, unus

(1) Lib. IX. tit. 42. l. 1.

Digitized by Google

unus idemque cenſeri facile poterit, qui anno 325. cum Severo Conſul proceſſerat; ut proinde uterque ex Conſulibus illis ex *Anicia* gente progenitus, tum Conſulatu, tum Vrbana Praefectura ornatus videatur.

Huius Anicii Paulini nomen in Gudii Marmore memoratum exiſtimo (1)

OPI. DIVINAE
* * * *
ANNICIVS. PAVLLINVS
V. C. CONS. ORDINARIVS
PRAEF. VRBIS
ET. IVDEX. SACRARVM
CONSTITVTIONVM

quemadmodum apud Reineſium legitur (2)

ANICIVS. PAVLINVS
V. C. PRAEFECTVS
VRBI. CVRABIT

Quid vero ſi ad hunc ipſum Marmor etiam aliud revocandum eſſe nunc dixerim, quod a Grutero (3) profertur?

HONORI
AMMIO MANIO CAESONIO NICO
MACHO ANICIO PAVLINO. V. C. CONS. ORDINARIO
PRAEF. VRBI. IVD. SACRAR. COGNITION. CONSVL.
PROV. ASIAE. ET HELLESPONTI. VICE SACRA IVDICANTI
LEG. KARIACENI. SVB. PROCONS. AFRICAE. ANICIO
IVLIANO PATRE SVO. CVIVS. PROVIDENTIA. ADQVE
VTI-

(1) Pag. 14. 6. (2) Cl. VI. 125. (3) Pag. 1090. 19.

Digitized by Google

VTILITAS. ET. INTEGRITAS. REIPVBLICAE. CORPORI
CORARIORVM. INSVLAS. AD. PRISTINVM. STATVM
SVVM. SECVNDVM. LEGES. PRINCIPVM. PRIORVM
IMPP. VAL. SEPTIM. SEVERI. ET. M. AVRELI ANTONINI
RESTAVRARI. ADQVE. ADORNARI. PER VICINVM
EA SVA. PROVIDIT. IN MERA. MEMORIA. ADQVE
IN OMNIA. IVSTITIA. SVA. CORPVS. CORARIORVM
PATRONO. DIGNO. STATVERVNT

Sphalmata, quae in Marmor ipſum irrepſere, nihil moror; illud unum obſervo quod initio quinti verſus LEG. KARTAGINIS reſcribi debet, ut exprimatur quod hic Anicius Paulinus tot aliis nominibus inſignitus interim dum eius pater Anicius Iulianus, quem anno 326. Praefectum Vrbis iam vidimus, Africae Proconſul erat, Cartagine Legati munere fungebatur. Ac certe quidem exemplis etiam aliis, quae a Cl. Hagembuchio (1) proferuntur, apparet quod aliquando Proconſuli eius filius *Legati* nomine adiungebatur; unde Capitolinus (2) in Gordianis ait: *Cum Proconſul Africam regeret, eique Legatus filius eſſet a Senatu datus*.

Corrigendus hic obiter inſignis Contelorii error, qui, cum in ſuperiori Marmore Septimium Severum, & M. Aurelium Antoninum memorari vidiſſet, Marmor ipſum, & Anicii Paulini Praefecturam circa annum Chr. 200. collocandam eſſe putavit.

* Paca-

(1) Diptych. Brixian. pag. 123. (2) Cap. 7.

✠ Pacatianus

An. V. C. 1085. *Chr.* 332.

ETſi Praefecturae munus anno 331. ab Anicio Paulino ſuſceptum ad annum uſque 333. prorogatum videatur, perſpicue tamen apparet ex quadam Theodoſiani Codicis Lege, quae pridie Idus Aprilis anno 332. edita, *ad Pacatianum P. V.* directa fuit (1), quod Pacatianus ipſe hoc anno aliquo ſaltem temporis ſpatio Vrbi praefuit; quemadmodum in duabus Legibus aliis (2), Martio, & Iulio menſe datis conſpicimus quod ille anno 334. Praetorio Praefectus erat. Quin etiam in Iuſtiniani Codice ſuperior etiam Lex Pacatiani PF. P. titulum exhibet; at certe perperam, cum eodem anno Leges Leontio, & Maximo Praetorio Praefectis inſcribantur; unde, ſi ſaltem ipſorum aliquis Italiae Praetorio praefuit, dignitas illa a Pacatiano occupari non poterat; ideoque facile Gothofredi coniectura refelli poterit, qui Pacatianum anno quoque 332. Praetorio Praefectum fuiſſe dicit.

Publius Optatianus II.

An. V. C. 1086. *Chr.* 333.

VBI de Publio Optatiano ſuperius ageretur indicatum fuit quod is iterum hoc anno, per paucos tamen dies, Praefecturam obtinuit. Etenim in accurata Anonymi Serie ad annum hunc adnotatur: *Publius*

(1) Lib. III. tit. 5. l. 4. (2) Lib. XIV. tit. 4. l. 1. & Lib. X. tit. 15. l. 2.

lius Optatianus P. V. VII. Idus Apriles. Item in dies XXXII. Item VI. Idus Maias Caeſonius Iulianus Kamenius P. V. Itaque, cum Kamenius maxima anni parte Optatiani loco Vrbi praefuerit, de eo potius agendum erit, quamvis a Contelorio, ac Panvinio omiſsus ille fuerit.

✱ Caeſonius Iulianus Kamenius

An. V. C. 1086. *Chr.* 333.

TEmpus, ac dies, quo Kamenius iſte Vrbi praeeſse inceperit, ab Anonymo deſignatur, ut ſuperiori loco iam vidimus; ſed obſcurum eſt tamen quamdiu Praefecti munere functus ille fuerit. Quum tamen Anicius Iulianus eius ſucceſsor ab Anonymo nonniſi V. Kalendas Maias in Indiculo memoretur, facile Kamenius ipſe Praefecturam ad priores etiam ſequentis anni menſes prorogavit.

Anicius Paulinus Iunior II.

An. V. C. 1087. *Chr.* 334.

DE huius Praefecti nomine, & Conſularibus etiam Faſcibus, quos ille hoc eodem anno ſimul obtinuit, ad annum 331. iam diximus, quo forte primam Vrbis Praefecturam geſſit. Illud unum hic obſervandum quod hoc anno Anonymo teſte nonniſi *V. Kalendas Maias* Praefecti munus obire ille caepit; ſed integro tamen eius anni ſpatio Vrbi praefuiſse conſpicitur, cum Rufius Albinus eius ſucceſsor nonniſi III. Kal. Ianuarias Praefecti munus ſuſceperit.

Ad Paulinum hunc Vrbis Praefectum, ſimulque

Conſulem referri debet Inſcriptio, quae a Grutero (1) profertur

ANICII. IVN.
ANICIO. PAVLINO. IVN. C. V.
PROCOS. ASIAE. ET. HELLESPONTI
CONSVLI. ORDINARIO. PRAEF. VRBI
VICE. SACRA. IVDICANTI. OB
MERITVM. NOBILITATIS. ELOQVII
IVSTITIAE. ATQVE. CENSVRAE. QVI
BVS. PRIVATIM. AC. PVBLICE
CLARVS. EST. PETITV. P. R.
TESTIMONIO. SENATVS. IVDICIO
D. D. N. N. TRIVMPHATORIS. AVG.
CAESARVMQVE. FLORENTIVM
STATVAM. SECVNDAM. AVRO
SVPERFVSAM. LOCARI. SVMPTV
PVBLICO. PLACVIT

Quamvis enim Gothofredus (2) exiſtimaverit ipſam ad Anicium Paulinum referri poſſe, qui anno 380. Vrbi praefuit, perſpicuum eſt tamen quod ad Conſtantini M. tempora, ideoque ad annum 334. ſpectaſſe illa debuit, quo Anicius Paulinus Iunior Praefecti, ſimulque Conſulis ordinarii munus obtinuit, ut ex alio Gruteri (3) Marmore demonſtratur

D. N. CONSTANTINO. MAXIMO
PIO. FELICI. AC TRIVMPHAT. SEMP. AVGVSTO
OB. AMPLIFICATAM. TOTO. ORBE. REM. PVBLICAM
FACTIS

(1) Pag. 353. 4. & Fletu. pag. 142. (2) Proſop. Cod. Theod.
(3) Pag. 100. 6. & 1086. 8.

Digitized by Google

FACTIS. CONSILIISQVE
S. P. Q. R.
DEDICANTE. ANICIO. PAVLINO. IVN. C. V. COS.
ORD. PRAEF. VRBI

Eademque prorſus Anicii nomina, ac munera in alio Gruteri (1) Marmore reperiuntur.

Itaque ſuperius Marmor ad annum 380. referri certe non poterit, quo nullus Caeſar reperiebatur, nulluſque triumphus agi potuit; ideoque Boiſſardus etiam hic corrigi debet, in cuius exemplo legitur TRIVMPHATORVM AVGG. cum id optime Conſtantino M. conveniat, qui anno 332. de Gothis triumphavit.

Rufius Albinus

An. V. C. 1088. *Chr.* 335. & 336.

ILlud in hoc Albino obſervari facile poterit quod ceteri quidem Vrbis Praefecti aliquanto ſerius poſt civilis anni principium, quo Conſules inire conſueverant, Praefecturam auſpicabantur; hic vero ſequentis anni 335. principium per biduum ſolum praeceſſit. Siquidem Anonymus ait: *Rufius Albinus P. V. III. Kalendas Ianuarias*. Itaque, cum is integro ſequentis anni 335. ſpatio Vrbi praefuerit, ac munus illud *VII. Idus Martias* anni 337. depoſuerit, duobus, & quod excurrit annis dignitatem illam obtinuit.

(1) Pag. 282. 3.

Lucius Aradius Valerius Proculus I.

An. V. C. 1090. *Chr.* 337.

AB Anonymo quidem Praefectus iſte ſolo *Valerii Proculi* nomine deſignatur cum ait: *Valerius Proculus P. V. VII. Idus Martias*; ſed integrum tamen eius nomen ex duobus Gruteri Marmoribus nobis affulget, quibus honores omnes, ac munera ab illo ſuſcepta magnifice recenſentur (1)

L. ARADIO. VAL. PROCVLO. V. C.
AVGVRI. PONTIFICI. MAIORI
* * * * * * *
PRAEFECTO. VRBI. VICE. SACRA
ITERVM. IVDICANTI. CONSVLI. ORDINARIO
* * * * * * *

quemadmodum in alia Epigraphe legitur (2)

Hic bis Praefectus Patriae, Praefectus & idem
Hic Libyes, idem Libyae Proconſul; & ante
Ter vice qui ſacra diſcinxit iurgia Iudex.

Siquidem non anno ſolum 337. verum etiam anno 352. Vrbi *iterum* praefuiſſe legitur, ut ad annum illum obſervabitur. Quandoquidem vero Proculus ipſe vocatur *Conſul Ordinarius*, atque in metrica Epigraphe dicitur

Conſul & aeterno decoravit nomine Faſtos,

perſpicue innuitur Conſulatus ille, quem una cum Acindyno

(1) Pag. 361. 1. (2) Pag. 361. 3.

dyno geſſit anno Chr. 340. Quum vero in Grutero (1) ipſo quatuor aliae Epigraphae aereis Lamellis inſcriptae reperiantur, in quibus DD. NN. Criſpo, & Conſtantino iun. nobb. Caeſs. iterum Conſs. *Q. Aradius Valerius Proculus V. C. Praeſes Provinciae Byzacenae* honoratur (2), vix dubito quin hic Quintus Lucii noſtri pater fuerit, cum Conſulatus ille in annum Chr. 321. inciderit; ideoque filii Conſulatum 20. annis praeceſſerit.

✠ Iulius Proculus

Cir. an. V. C. 1090. *Chr.* 337.

IN Gudii Marmore legitur (3)

IVLIO PROCVLO V. C.
PRAEF. VRB. PATRONO
COL. BYZACENAE ET PA-
TRONO COL. AELIAE
ZAMAE REGIAE
* * *

Gudius quidem ad Marmor ipſum adnotavit in eo Iulium Proculum Iuriſconſultum memorari; at Reineſius (4), qui Marmor ipſum ediderat, exiſtimavit quod, ſi ſincerum ſit, ad Lucium Aradium Valerium Proculum referri debeat, qui anno 340. Conſul, & anno 337. Praefectus Vrbis fuit.

Sed fieri fortaſſe poteſt ut hic Iulius Proculus unus idemque fuerit cum Proculo, qui anno 340. Africae Proconſul fuit, quamvis Gothofredus illum cum

(1) Pag. 362. 363. (2) Mur. 373. 2. 570. 1. Fabret. C. V. 108.
(3) Pag. 128. 6. (4) Claſ. VI. n. 122. pag. 458.

Digitized by Google

cum L. Aradio Proculo confuderit, qui ſane inter honores alios ante Praefecturam ſuſceptos *Praeſes Provinciae Val. Byzacenae* vocatur.

Quum tamen hic Julius Proculus, ut inſigne in nominibus diſcrimen omittam, Coloniae Byzacenaę non *Praeſes*, ſed *Patronus* ſolum dicatur, a L. Aradio Proculo diſtingui debet; quemadmodum etiam a Iulio Proculo diſtinguendum ipſum exiſtimo, qui Lampridio (1) teſte in Aſia Commodi iuſſu interemptus fuit.

Mecilnius Hilarianus

An. V. C. 1091. *Chr.* 338.

IN Codice (2) quidem Theodoſiano Hilarianus quidam Lucaniae Corrector memoratur, cui Conſtantinus M. anno *316.* reſcripſit, ſed incertum tamen an unus, idemque fuerit, qui nunc ab Anonymo recenſetur: *Mecilinius Hilarianus P. V. Idibus Ianuariis*, niſi id maxima nominum ſimilitudo plane ſuaderet. Siquidem in ipſo Legis titulo legitur: *Imp. Coſtantinus Aug. Mechilio Hilariano Correctori Lucaniae, & Bruttiorum*. Itaque dubitari vix poterit quin *Mecilinius*, ſive *Mechilius*, ſive potius *Mecilnius* ille poſt varios honorum gradus ad Vrbis Praefecturam aſcenderit. Certe Gothofredus ex Legibus obſervavit quod ille anno 324. Proconſul Africae, & anno 332. Conſul fuit. Quamvis autem in nonnullis Legibus ſequentis anni 339. quae 8. Aprilis die, & 4. Kal. Iuli editae ſunt (3), *Praetorio Praefectus* dicatur, ubique tamen *P. V.* reſcribi debet: quod ille Praefecturam Vrbis hoc anno ſuſceptam uſque ad pridie Idus Iulias geſſerit.

Lucius

(1) In Commodo c. 3. (2) Lib. IX. tit. 22. l. 21. & Lib. X. t. 31. l. 15. (3) Lib. VI. tit. 4. l. 3. 4.

Digitized by Google

Lucius Turcius Apronianus

An. V. C. 1092. *Chr.* 339.

HVius Praefecti nomen, ac Praefecturae tempus perſpicue diſerteque ab Anonymo memoratur. Etenim ad annum 339. ait: *Turcius Apronianus pridie Idus Iulias menſes III. P. V. Item VIII. Kal. Novembres Fabius Titianus P. V.* Idemque prorſus Vrbani Praefecti munus ab hoc Turcio Aproniano ſuſceptum in pluribus etiam Marmoribus obſervatur, quae opportune mox proferentur.

Quandoquidem vero plures etiam alii hoc ipſo *Turcii Aproniani* nomine deſignantur, quorum nonnullos Praefecti munere perfunctos eſſe conſpicimus, ex ipſa nominum ſimulque munerum ſimilitudine maxima certe perplexitas, quae doctiſſimis etiam viris impoſuit, oriri poſſet, niſi cognomines illi perſpicuis temporum characteribus accuratiſſime diſtinguerentur. Id vero facile fieri poſſe putaverim Marmorum duorum praeſidio, quorum unum a Grutero, alterum vero a Muratorio profertur. Etenim in Gruteri Marmore legitur (1)

ASTERII

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C.

FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C.

PRAEFECTI. VRBIS. NEPOTI

L. TVRCI. SECVNDI. V. C. CONSVLIS

QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECEM

VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC

TORI.

(1) Pag. 476. 7.

Digitized by Google

TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS.

In Muratorio vero eodem fere exemplo haec Epigraphe reperitur (1)

ASTERI
CONSTANTIAE
ABSTINENTIAE. TESTIMONI
VM. SEMPITER. L. TVRCIO
APRONIANO. V. C. FIL. TVRCI
APRONIANI. C. V. PRAEF. VR
BI. NEPOTI. TVRCI. SECVNDI
CONS. QVAESTORI. PRAETORI
XV. SACRIS. FACIVNDIS. COR
RECTORI. TVSCIAE. ET. VMBR
IAE. OB. EIVS. INSIGNE. MERI
TVM. SINGVLAREMQVE. IVSTI
TIAM. QVA. OMNIFARIA. LVCEN
SIVM. VTILITATI. HONESTATIQVE
PROSPEXIT. CONSENSV. OB
SEQVENTISSIMI. ORDINIS. AC
EIVSDEM. CIVITATIS. POPVLI
EXACTO. ADMINISTRATIONIS
TEMPORE. STATVAM. EX. AERE
PATRO-

(1) Pag. 379.

Digitized by Google

PATRONO. COLLOCATAM. ADMI
NISTRAVIT. DD. NN. III. ET
III. COS. DECRETA. EST. AVTEM
POST. CONSVLATVM. AMANTII
ET. ALBINI

Conſulatus *Amantii*, *&* *Albini*, qui in utroque Marmore memoratur, ac in Faſtis anno 345. occurrit, manifeſtiſſime oſtendit L. Turcium Apronianum Aſterium, cui Marmora dicata fuere, eius *L. Turcii Aproniani* filium fuiſſe, qui hoc anno 339. diſſimulato *Lucii* praenomine ab Anonymo Praefectorum Faſtis inſcribitur; alterius vero *Lucii Turcii Secundi* nepotem, qui Conſulatum turbatis Imperii rebus, ut optime Noriſius (1) coniecit, inter annos 307. & 312. obtinuit.

Quum vero hic ipſe L. Turcius Apronianus, qui anno 342. Tuſciae, ac Vmbriae Corrector fuerat, anno demum 363. & ipſe ſupremum Vrbani Praefecti munus obtinuerit, ut ad annum illum oſtendam, atque a Panvinio (2) ſequens Epigraphe proferatur anno 376. poſita

DD. NN. VALENTE. V. ET VALENTINIANO. AVGG. COSS.
TVRCIVS. SECVNDVS. ASTERIVS. V. C. XV. VIR. S. F.

perſpicue apparet hunc Turcium Secundum Aſterium eius Aproniani filium fuiſſe, qui anno 342. Tuſciae Corrector, & anno 363. Praefectus Vrbi fuit; ideoque a Turcio Secundo Aſterio diſtingui debet, qui in Gruteri (3) Marmore Fani Fortunae poſito memoratur,

DIVO AVGVSTO PIO CONSTANTINO PATRI DOMINORVM
CVRANTE L. TVRCIO. SECVNDO. APRO
NIANI.

(1) Cenot. Piſan. Diſs. IV. c. I. (2) In Faſt. ad an. 397.
(3) Pag. 165. 2. & Doni. Cl. II. 107.

Digitized by Google

NIANI. PRAEF. VRB. FIL.
ASTERIO. CORR. FLAM. ET
PICENI

quemadmodum in Tiburtino Lapide Conſtantii, & Conſtantis aetate poſito legitur (1)

CVRANTE L. TVRCIO
SECVNDO. APRONIANI
PRAEF. VRB. FIL.
ASTERIO. V. C.
CORRECTORE. FLAM.
ET. PICENI

Ex monimentis iſtis apparet quod Apronianorum ſeries ita contexi debet

L. Turcius Secundus . . . Coſ. circa an. 310.
|
L. Turcius Apronianus . . P. V. an. 339.
|
L. Turcius Secundus Apronianus Aſterius Correct. 342. P. V. 363.
|
L. Turcius Secundus Aſterius XVVir 376.

Itaque fallitur Ritterus, qui *L. Turcium Secundum Apronianum* (2) *Praefectum Vrbis* in Faneſtri Marmore memorari putavit, atque ipſum unum eundemque eſſe opinatur, qui anno 339. Vrbi praefuit; cum in eo Marmore *Aproniani Praef. Vrb. fil.* legatur, idque de Praefecto anni 339. fingi non poſſit, quem *Conſulis*, non *Praefecti*, filium fuiſſe iam vidimus. Hinc cum Mar-

(1) Mur. 463. 9. (2) Ad Proſop. Cod. Theod. in Apron.

Digitized by Google

Marmor illud Conſtantino M. iam defuncto dicatum fuerit, qui anno 337. e vivis exceſſit, circa annum 340. excitari debuit, quo iam L. Turcius Apronianus Vrbi praefuerat, ideoque *L. Turcii Secundi Aſterii* nomine non alius indicatur, quam *L. Turcius Apronianus*, qui anno 340. Flaminiae, & Piceni, mox anno 342. Tuſciae, & Vmbriae Corrector, tandemque anno 363. Praefectus Vrbis fuit.

Quod vero *L. Turcius Apronianus*, ſive integro nomine *L. Turcius Secundus Apronianus Aſterius* anno 342. Tuſciae praefuerit paucis oſtendam, ſimulque Muratorii Marmor obſcurum plane, & implexum illuſtrabo.

Cum in ipſo Marmore nitide diſerteque legatur, quod L. Turcius Apronianus *adminiſtravit DD. NN.* III. *&* III. *Coſ.*, Cl. Muratorius exiſtimavit adminiſtrationem illam ad annum 370. referendam eſſe, quo *tertius* Valentiniani, ſimulque *tertius* Valentis Auguſtorum Conſulatus agebatur; ideoque ſtatuam, quae *poſt Amanti & Albini Conſulatum*, hoc eſt anno 346. decreta fuerat, nonniſi poſt annum 370. Turcio fortaſſe defuncto excitatam fuiſſe.

Sed quis aperte non videat quod ſi Turcio iam Correctori, moxque Lucenſium Patrono *exacto adminiſtrationis tempore*, *poſt Conſulatum Amantii*, *& Albini ſtatua decreta fuit*, nimirum anno 346., Turcii adminiſtratio, vel Correctura ad annum 370. differri certe non poterit; alioquin ſtatuae honor ipſi decretus 24. ſolidis annis adminiſtrationem praeceſſiſſet; eoque tempore Tuſciae Correcturam hic Turcius adminiſtraſſet, quo iam Vrbanam Praefecturam ante ſeptennium ſuſcepiſſet? Itaque dubitari non poterit quin Turcius ille Tuſciae, & Vmbriae ante annum 346. Corrector fuerit; cumque ad annum 342. *Conſtantius III.* & *Conſtans II.* Conſulatum geſſerint, Turcii adminiſtratio ad

 annum

annum illum referri debebit ; ideoque in Marmore non III. & III. ſed III. & II. reſcribendum erit , ut Muratorius ipſe ſibi diffidens coniecit . Ac mirari certe non poſſumus quod error ille in Marmor irrepſerit , cum is etiam in Lege (1) quadam hoc ipſo anno edita reperiatur ubi ſubſcriptum conſpicitur *Conſtantio III. & Conſtante III. AA. Conſs.* ac ibi quoque *Conſtantio III. & Conſtante II.* reſcribi debet .

Ceterum ſublata iam confuſione , quae ex pluribus *Turciorum* nominibus oriri poterat , alia Scriptorum teſtimonia , vel Marmora , quae ad Apronianum anni 363. Praefectum referri debent , ad annum illum opportunius proferentur . Interim vero monuiſſe iuverit quod tria ſequentia , in quibus nullus omnino temporis character obſervatur , fortaſſe ad hunc noſtrum facilius revocari poſſunt

TVRCIVS
APRONIANVS
V. C.
PRAEF. VRBI
CVRAVIT (2)

GENIO POPVLI ROMANI
COMIT. CONSERVATORI
L. TVRCIVS. APRONIANVS
V. C. PRAEF. VRBIS (3)

GENIO CONSERVATORI
DOMVS. TVRCIAN
ORVM. SACRVM
L. TVRCIVS. APRONIA-
NVS. VIR. CLARISS.
PRAEF. VR. (4)

Siqui-

(1) Cod. Theod. Lib. XI. tit. 36. l. 6. (2) Grut. p. 1080. 9.
(3) Gud. p. 66. 4. (4) Gud. 68. 6.

Siquidem ſolo *Turcii Aproniani* nomine civis ille facilius indicatur, qui ex Apronianis omnium primus Praefecti munus obtinuit; licet etiam ille, qui anno 363. Vrbi praefuit, hoc ſolo *Turcii Aproniani* nomine deſignetur, ut ad annum ipſum obſervabitur.

Tiberius Fabius Titianus I.

An. V. C. 1092. *Chr.* 339.

TItianum hunc *VIII. Kal. Novembres* Turcio Aproniano in Praefecti munere uſque ad diem *III. Nonas Maias* ſucceſſiſſe iam vidimus; quemadmodum poſtea Iunio Tertullo ſucceſſit, ut anno proxime inſequenti obſervabitur. Interim vero notandum erit quod eius Titiani nomen, praenomen etiam, ac dignitas in Gruteri Marmore exprimitur (1)

TIB. FABIVS. TITIANVS
V. C. CONS. PRAEF. VRB.
CVRAVIT

in alio (2)

TI. FABIVS. TITIANVS
V. C. COS. ORDIN.
PRAEF. VRBI

in duobus aliis (3) ſolum *Fabii Titiani* nomen occurrit; quemadmodum prorſus in alio legitur (4) *Fabio Titiano V. C. . . . Conſuli ordinario Praef. Vrbis*. nec alium ſane fuiſſe putaverim Titianum illum, qui in hoc Muratorii Marmore exhibetur (5)

MAXI.

(1) Pag. 193. n. 8. (2) Num. 4. (3) Num. 7.
(4) Pag. 407. 8. (5) Pag. 393. 5.

MAXIMO VIC
TORI AC TRIVMPHA
TORI SEMPER AVGG.
FABIVS TITIANVS AVG. CONS.
ORDINARIVS PRAEF. VRBI
ITERVM IVDEX COGNITIONVM
SACRARVM MAIESTATI EIVS
DICATISSIMVS

Optime nimirum a Muratorio obſervatum fuit quod, ſi Marmor iſtud integrum ſit, ad Maximum Tyrannum ſpectare debet, qui in Gallia ſolum, non Romae, imperavit. Id vero perperam Muratorius ipſe coniecit quod haec Inſcriptio ad Conſtantinum M. ſpectavit. Quum enim Titianus ipſe Praefecturam Vrbis anno demum 339. biennio nimirum poſt Conſtantini M. mortem ſuſceperit, Marmor, in quo Praefectus Vrbis vocatur, Conſtantino M. dicari non potuit. Itaque, cum ſequenti Epigraphae ſimillima illa ſit, utramque ad Conſtantium referendam exiſtimo.

Ad Titianum ipſum Reineſius hoc Gruteri (1) Marmor optime revocavit

PROPAGATORI. ORBIS
AC ROMANAE REI
. . . .
VICTORI AC
TRIVMPHATORI
SEMPER AVG.
. . FABIVS . : . CONSER . . .
PRAEF. VRBI. ITERVM IVDEX
COGN.

(1) Pag. 271. 4. Murat. p. 262.

COGN. SAC. MAIESTATI EIVS
DICATISSIMVS

in dextro latere

D. PRID. KAL. IVNIAS
ARBITRONI. ET LOLLIANO
COS

In tertio verſu Conſtantii nomen eraſum fuit ; in ſeptimo vero legendum *Fabius Titianus Cons. ord.* quemadmodum prorſus in ſuperioribus obſervatur . Ex adiectis autem Arbetionis (ſic enim legi debet) & Lolliani Coſs. nominibus perſpicue apparet quod haec Epigraphe anno 355. dicata fuit poſtquam Titianus tum Conſulis , tum Praefecti munere perfunctus erat .

✠ Iunius Tertullus

An. V. C. 1093. *Chr.* 340.

INteger hic annus tres Vrbis Praefectos ita complectitur ut Fabianus Titianus , qui poſtremis ſuperioris anni menſibus praefuerat , ad diem uſque *III. Nonas Maias* imperaverit ; deinde vero , ut ait Anonymus , *Ex die III. Nonas Maii in VII. Idus Iunii Iunius Tertullus Vicarius cognovit , eo quod ad Auguſtum profectus eſt ; poſtea reverſus Fabius Titianus P. V.* Itaque , cum Iunius Tertullus nonniſi *Vicarius* fuerit , Conſtantii , ſive potius Conſtantis Auguſti Lex VII. Kal. Iulias anno 340. edita *ad Tatiamum P. V.* dirigitur (1) Poſt-

(1) Cod. Theo. Lib. IX. tit. 17. l. 1.

Poſtquam vero Tatianus ipſe anno 344. Praefectus Praetorio Galliarum fuerat, atque Italiae Praetorio Praefectus anno 349. iterum anno 350. & 351. Vrbi praefuit, ut ad annos illos obſervabitur.

Aurelius Celſinus I.

An. V. C. 1094. *Chr.* 341.

FAbio Titiano, qui duobus ſuperioribus annis Vrbi praefuerat, *V. Kalendas Martias Aurelius Celſinus P. V.* ſucceſſit, ut ab Anonymo memoratur. Ipſum vero integro huius anni ſpatio Vrbi praefuiſſe oſtendit Lex VIII. Kal. Ian. edita (1), quae ad *Celſinum* diſſimulato dignitatis titulo dirigitur, eaque ille functus videtur donec Mavortius Kalendis Aprilibus ipſi ſucceſſit; cum prius anno 338. Praetorio praefuiſſet, ut ex Legibus aliis apparet.

Flavius Lollianus Mavortius

An. V. C. 1095. *Chr.* 342.

IN Anonymi quidem textu depravate legitur *Filollianus*, ſed facile error ille emendari, atque integrum Praefecti nomen ex monimentis aliis ſuppleri poterit. Quo vero tempore Lollianus ipſe Praefecturam ſuſceperit, ac depoſuerit, accurate ab Anonymo exponitur: *Kal. Aprilibus Filollianus Mavortius menſes III. dies VI. P. V. Item pridie Nonas Iulias Aco Catulinus Philomatius P. V.*

Quem-

(1) Cod. Th. Lib. VIII. tit. 12. l. 6.

Digitized by Google

Quemadmodum vero Mavortius hoc anno Vrbi praefuit, ita quoque anno 355. Conſulatum obtinuit, atque anno 357. Praetorio Praefectus fuit, quo in munere *ſublimis conſtantiae* nomine decoratur (1);

Haec eadem Lolliani Praefectura in Sponii, ac Fabretti Marmore memoratur. Etenim in Sponio (2) legitur

MAVORTI
Q. F. MESSIO EGNATIO LOLLIANO
V. C.
Q. K. PRAEFECTO VRBANO

in Fabretto (3) vero

MAVORTI
FL. MESSIO EGNATIO
LOLLIANO V. C.
Q. K. PRAEF. VRBAN.

Quamvis enim conjicere, vel ſuſpicari quis poſſit quod Mavortius iſte tot nominibus inſignitus ab illo diſtingui debeat, qui Vrbi praefuit, ſi omnia tamen ſubtilius explorentur, ad unum eundemque Virum revocari facile poſſunt; dummodo tamen Marmora Conſtantino M. adhuc ſuperſtite poſita cenſeantur, priuſquam Mavortius Praefecturam Vrbis, moxque Conſulatum auſpicaretur. Siquidem in Sueſſano Marmore, quod a Sponio mire deturpatum, a Fabretto verò emendatum exhibetur, Mavortius ille *Praetor Vrbanus*, *Augur*, *Comes DD. NN. Aug. & Caeſarum* (nimirum Conſtantini M. eiusque filiorum) *Conſularis Campaniae* vocatur; iidemque fere tituli in Puteolano quoque Lapide memorantur (4), in quo etiam *Comes Orientis*

D d

(1) Amm. Marcel. L. XVI. c. 8. (2) Miſcel. Sect. IV. & Murat. pag. 702. 1. 2. (3) Cap. X. n. 110. (4) Murat. 702. 2. Vid Grut. 431. 4.

tis, & *Proconſul Provinciae Africae* appellatur: quod Firmici (1) teſtimonio mire confirmatur, qui Mavortium ipſum Campaniae Conſularem, mox (2) *totius Orientis gubernacula* adeptum, tandemque (3) *ſeveritatis merito etiam ordinarii Conſulatus inſignia conſequutum* ait. Itaque, cum Mavortius anno ſolum 355. Conſul proceſſerit, perſpicue apparet quod Firmicus Conſtantino quidem adhuc ſuperſtite, interim dum Mavortius *Campaniae Conſularis* erat, Opus ſuum incepit; ſed illud tamen poſt viginti fere annos abſolvit, aut plura, quae Conſtantii temporibus contigere, Operi iam confecto ſubinde inſeruit, ut Tillemontius (4) optime exiſtimavit. Quandoquidem vero Mavortius a Firmico *Proconſul* vocatur, Tillemontius ipſe coniecit eiuſmodi *Proconſulis* nomine *Praefectum Praetorio* deſignari; cum tamen in Puteolano Lapide, qui Tillemontio incognitus eſſe debuit, *Africae Proconſul* vocetur, licet Praetorio quoque praefuerit, ut ab Ammiano (5) erudimur, qui de calumnia a Rufino quodam intentata loquens ait: *re comperta iubetur Mavortius tunc Praefectus Praetorio vir ſublimis conſtantiae crimen acri inquiſitione ſpectare*. Id tamen anno Chr. 357. contigiſſe debuit antequam Martius menſis exiret; cum Lex quaedam Kalendis Aprilibus edita ad Taurum Praetorio Italiae Praefectum dirigatur (6) quod fortaſſe Mavortius obiiſſet.

Fabius

(1) Praef. p. 1. (2) Lib. I. c. 4. (3) Lib. VII. c. 15.
(4) Ad. Conſtantin. Not. 3. (5) Lib. XVI. c. 8.
(6) Cod. Theod. Lib. XI. tit. 16. l. 8.

Digitized by Google

Fabius Aconius Catulinus Philomatius

An. V. C. 1096. *Chr.* 343. & 344.

POſtremis ſuperioris anni menſibus, hoc eſt pridie Nonas Iul. hunc Catulinum Mavortio in Praefecti Vrbis munere ſucceſſiſſe iam vidimus. Ipſum vero integro quoque huius anni 343. ſpatio praefuiſſe teſtatur Anonymus, qui ad annum hunc adnotavit: *Aco Catulinus P. V.* Haec ipſa Catulini dignitas in tribus Gruteri Marmoribus unico fere exemplo exaratis indicatur (1)

FABIAE. ACONIAE. PAVLINAE
FILIAE. ACONIS. CATVLINI. V. C.
EX. PRAEF. ET. CONSVLIS. ORDIN.
VXORI. VETTI, PRAETEXTATI. V. C.
PRAEF. ET. CONSVLIS. DESIGNATI

Longe tamen ſerius haec Marmora poſt Vrbanam Praefecturam a Catulino ſuſceptam poſita fuiſſe conſpicimus, cum Catulini Conſulatus in annum 349. inciderit, ac Vettius Praetextatus anno demum 367. Vrbi praefuerit. Ceterum ex filiae nomine Catulino *Fabii* nomen adiungi debet, atque alterius Marmoris (2) initio ſuppleri

. . . . ACO CATVLLI-
NVS VIR. CONSV-
LARIS. PRAESES
PROV. GALLAECIAE (3)

D d 2 quam-

(1) Pag. 309. 2. 3. 4. (2) Grut. 1063. 9.
(3) Murat. 380. 3.

quamvis in alio, diſſimulato *Fabii* nomine, legatur (1)

ACO. CATVLLI
NVS. VIR. CONSV
LARIS. PRAESES
PRO. SALVTE. SVA
SVORVMQVE
OMNIVM. POSVIT

Quandoquidem vero *Aco*, ſive potius *Aconius* iſte ab Anonymo ſuperiori loco peculiari poſtremoque nomine *Philomatius* vocatur, hoc etiam ceteris adiungendum eſſe putavi, licet eiuſmodi nomen in monimentis aliis, atque ab Anonymo ipſo poſtea diſſimuletur; ac plerumque non *Aco*, ſed *Aconius* vocetur.

Certe in tribus Codicis (2) Theod. Legibus *Aconius Catulinus* vocatur, quarum prima anno 315. & altera (3) anno 316. ad ipſum veluti *Africae Proconſulem* dirigitur, tertia (4) vero ad eundem *Africae Vicarium* anno 338. Vnica demum Lex (5) *ad Catulinum* P. V. kal. Novemb. data reperitur, in qua tamen pro *Conſtantio IIII. & Conſtante III.* quod anno ſolum 346. congrueret, reſcribi debet *Conſtantio III. & Conſtante II.* quod anno 342. convenit, quo Catulinus Vrbis praefecturam ſuſceperat.

In Theodoſiano quidem Codice Conſtantii Lex reperitur, quae Hierapoli hoc anno 343. IV. Nonas Iulias *ad Severum P. V.* dirigitur (6) ubi Praefectum Vrbis Conſtantinopolitanae intelligi poſſe Gothofredus exiſtimavit cum ait: *Quid ſi Severus hic P. V. Conſtantinop. fuerit?* At doctiſſimo Viro memoria exciderat quod Conſtantinopoli nondum Vrbis Praefecti inſtituti

tuti

(1) Ibi n. 3. (2) Lib. XV. t. 25. l. un. (3) Lib. VIII. tit. 12. l. 2. (4) Lib. XII. tit. 1. l. 24. (5) Lib. XVI. t. 10. l. 3. (6) Libr. XV. t. 8. l. 3.

tuti fuerant. Itaque potius altera doctiſſimi Viri coniectura reſcribendum erit P. P.

Quintus Iunius Ruſticus

An. V. C. 1098. *Chr.* 345.

RVſticus ille, qui III. Idus Apriles Catulino ſucceſſerat, primis etiam huius anni menſibus in eodem munere perſeveravit; unde in Anonymo legitur: *Quintus Ruſticus P. V. III. Nonas Iulias Probinus P. V.* quod ea Lege mirifice confirmatur, quae 6. Nonas Iulias hoc anno edita *ad Ruſticum* P. V. dirigitur (1).

Huius autem Praefecti mentio in pondere ex Lydio lapide confecto apud Fabrettum (2) occurrit, in quo exaratum conſpicitur

EX. AVCT. Q. IVNI. RVSTICI

Ita quoque in ſex aliis ponderibus apud Gruterum legitur (3)

EX AVCT. Q.
IVN. RVSTICI PR. VRB.
EX. A. Q. I. R. P. V
EX AVC. Q. IVN. RVS. PR. VR.

in alio

EX. A. Q. IVNI. RVSTICI

in duobus aliis EX. A. Q. I. R. P. V

atque in ipſorum ſingulis legendum eſſe conſpicimus

ex au-

(1) Cod. Th. Lib. XI. tit. 30. l. 23. (2) Cap. VII. n. 370.
(3) Pag. 221. 222.

Ex auctoritate Q. Iunii Ruſtici Praefecti Vrbis. Siquidem, ut illuſtri Ammiani (1) teſtimonio erudimur, *erat Praefecti Vrbis pondera per Regiones univerſas inſtruere, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componendi occurri nequiret* (2): unde ſaepiſſime in ponderibus ipſis, ac menſuris etiam Praefectorum Vrbis nomen inſcriptum conſpicimus, ut ad annum 357. opportunius obſervabitur.

Petronius Probinus

An. V. C. 1099. *Chr.* 346.

VRbanae Praefecturae dignitas, quae poſtremis menſibus ſuperioris anni Probino contigerat, hoc anno prorogata fuit, cum Placidus ipſi VII. Kal. Ianuarias ſucceſſerit, ut in Anonymi Serie conſpicitur. Ipſi vero *Petronii* nomen ab Anonymo diſſimulatum adiungendum eſſe ex Veronenſi Marmore demonſtratur, quod Petronio Probo eius filio Veronenſium Patrono dicatum fuit (3)

PETRONIO PROBO. V. C

* * * *

NEPOTI PROBIANI

FILIO PROBINI VV. CC.

PRAEF. VRBIS ET. COS

Ac certe quidem Petronius Probinus, ut in Muratorii Marmore legitur (4), eius pater anno 341. Conſulatum geſſit; anno vero 322. Probianus eius avus Conſularibus Faſtis inſcribitur; & anno 330. Vrbi praefuit, ut ad annum illum oſtendi.

Placi-

(1) Lib. XXVII. c. 9.
(2) Vid. Spon. Miſc. p. 1254.
(3) Murat. pag. 385. 4.
(4) Pag. 377. 2.

Placidus

An. V. C. 1100. *Chr.* 347.

AD annum hunc Anonymus adnotavit : *Placidus P. V. Pridie Idus Iunias Limenius Praefectus Praetorio, & Vrbi.*

Vlpius Limenius

An. V. C. 1101. *Chr.* 348. & 349.

NOvum hoc, atque hactenus inuſitatum duarum dignitatum foedus occurrit, quo unus, idemque civis *Praetorio*, ſimulque *Vrbi* praefuit, quod aliquot etiam ex ſequentibus annis contigiſſe videbimus; quemadmodum variis in locis indicavimus id interdum ſuperioribus etiam temporibus factum videri.

Varietas autem illa, ac perturbatio, quae anno proximo 349. in Vrbana Praefectura contigit, ab Anonymo ſic indicatur: *Limenius Praefectus Praetorio, & Vrbi. Ceſſaverunt Praefecturae dies XLI. a die VI. Aprilis uſque in XV. Kal. Iunii. XIV. Kalendas Iunii Hermogenes Praefectus Praetorio & Vrbi.*

Quamvis autem proclive maxime ſit opinari Limenium hunc Vrbis Praefectum unum eundemque eſſe poſſe, qui in Conſularibus Faſtis occurrit hoc eodem anno 349. vix tamen conceſſerim tot aliis Limenii honoribus Conſulatum etiam eodem anno acceſſiſſe; cum certe Limenius Conſul ineunte prorſus anno munus ſuſceperit, ideoque in Muratorii Marmore (1) legatur

(1) Pag. 380. 1.

gatur *Limenio*, & *Catulino Conſ. III. Idus Ianuarias*. Ceterum, licet hoc anno Limenius ipſe tum *Praetorio*, tum *Vrbi* praefuerit, Lex tamen pridie Idus Febr. data ad Limenium PF. P. inſcribitur (1), ſicuti Lex alia (2) Kal. Apr. edita ad ipſum veluti *Praetorio Praefectum* dirigitur: ſive quod Praetorii Praefectura ſublimior foret, ideoque in Legis titulo memoranda; ſive quod ea, quae eiuſmodi Lege praeſcribuntur, non ad *Vrbis*, ſed ad *Praetorii* Praefectum ſpectarent.

Hermogenes

An. V. C. 1103. *Chr.* 350.

OMnium poſtremus, qui Vrbi, ſimulque Praetorio praefuerit, fuit Hermogenes, cui hoc ipſo anno 350. ſed in ſola tamen Vrbis Praefectura, Fabius Titianus ſucceſſit. Siquidem Anonymus ait: *Hermogenes Praefectus Praetorio, & Vrbi. III. Kal. Martias Fabius Titianus P. V.*

Ea vero de cauſa Titianus ille *Vrbi* ſolum, non etiam *Praetorio*, praefuiſſe dicitur quod fortaſſe novus Praetorio ſplendor tunc additus, vel redditus fuerit; cum ſuperioribus annis Praetoriae Legiones ſublatae propemodum forent, atque Auguſtis non Romae, ſed alibi plerumque degentibus univerſa fere Praetorii dignitas excidiſſet; ideoque Praetorii Praefectura veluti levis, ac umbratilis facile cum Vrbana coniungi facile poſſet, ut Ferſius (3) de *Praefectura Sacri Praetorii* diſſerens exiſtimavit.

Fabius

(1) Cod. Theod. Lib. IX. tit. 21. l. 6. (2) Ibi t. 17. l. 2.
(3) Pag. 184.

Fabius Titianus II.
Aurelius Celſinus II.
Caelius Probatus
Clodius Adelſius
Valerius Proculus II.

An. V. C. 1104. *Chr.* 351.

IN Conſularibus Faſtis hoc anno nullum omnino Conſulum nomen reperitur, ideoque annus ille praecedentium Conſulum nominibus ita deſignatur *poſt Conſulatum Sergii, & Nigriniani*: quia, ut ait Socrates (1), *διὰ τοὺς ἐκ τῶν πολέμων θορύβους οὐδεὶς Ὕπατος τὰς συνήθεις ὑπατείας ἐπιτέλεσε ob tumultus bellicos nemo Conſulatum ſolemnem iniit*. Siquidem bellum inter Conſtantium Auguſtum, & Magnentium Tyrannum exarſerat, quod tandem Tyranni caede diremptum fuit.

Haec ipſa, ut opinor, diſſidia in cauſa fuere ut quemadmodum Conſules alii in Gallia, alii in Africa electi ſunt, ita quoque perturbatis adeo rebus quinque Praefectorum nomina hic annus complectatur, quorum initia ſic ab Anonymo demonſtrantur: *Fabius Titianus P. V. iterum Kal. Martiis. Aurelius Celſinus P. V. iterum IV. Idus Maias. Caelius Probatus P. V. VII. Idus Iunias. Clodius Adelſius P. V. XV. Kal. Ianuarias. Valerius Proculus P. V.*

Ac de prioribus quidem Praefectis Fabio Titiano, & Aurelio Celſino iam diximus anno 339. & 341. quo primum eo munere perfuncti ſunt; de Caelio au-

(1) Lib. XI. c. 29.

tem Probato, ſive, ut Panvinius putavit, *Probino*, itemque de Clodio Adelphio nihil dicendum occurrit. De Valerio Proculo mox agetur cum Praefectura hoc anno ſuſcepta in ſequentem annum prorogata illi fuerit.

Ceterum Ammianus (1) ipſe *Adelphium Vrbi Praefectum ut altiora caeptantem* a Doro quodam accuſatum fuiſſe memoravit.

Valerius Proculus II.
Septimius Mnaſea
Neratius Cerealis I.

An. V. C. 1105. *Chr.* 352.

DE Praefectis iſtis Anonymus: *Valerius Proculus P. V. iterum. V. Idus Septembres Septimius. Mnaſea P. V. V. Kal. Octobres. Neratius Cerealis P. V.*

Quum Anonymus hic obſervaverit *Valerium Proculum* Vrbis Praefecturam hoc anno *iterum* ſuſcepiſſe, nullus hic dubito quin Praefectus ille unus idemque cenſeri debeat cum *Valerio Proculo*, qui ſuperius ad annum 337. in Praefectorum Faſtis occurrit.

Nera-

(1) Lib. XVI. c. 6.

Digitized by Google

Neratius Cerealis II.
Vitraſius Orfitus I.

An. V. C. 1106. *Chr.* 353.

PRaeter Anonymum, in quo reperitur *Neratius Cerealis P. V. VI. Idus Decembres Vitraſius Orfitus*, Cerealis ipſe, ac Vrbani Praefecti dignitas ab eo ſuſcepta in Gruteri Marmoribus indicatur (1)

NERATIO. CEREALI V. C.
CONSVLI. ORD. PRAEF. VRB.
CONDITORI. BALNEARVM

quemadmodum in alio apud Fabrettum (2)

NERATIVS
CEREALIS. V. C.
CONS. ORD.
CONDITOR
BALNEARVM

Longe tamen illuſtrior eius memoria in antiquiori Lapide reperitur (3)

RESTITVTORI. VRBIS. ROMAE. ADQVE. ORB.
ET. EXTINCTORI. PESTIFERAE. TYRANNIDIS
D. N. FL. IVL. CONSTANTIO. VICTORI. AC. TRIVMFATORI
SEMPER. AVGVSTO

(1) Pag. 441. 3.
(2) Cap. X. n. 269.
(3) Grut. 280. 6.

NERATIVS. CEREALIS. V. C. PRAEFECTVS. VRBI
VICE. SACRA. IVDICANS. D. N. M. QVE. EIVS

Siquidem Marmor, ac titulus ille Conſtantio Auguſto dicatus videtur poſtquam de Magnentio Tyranno anno 353. triumphaverat; ac Cerealis ipſe nondum Conſul proceſſerat, quod anno demum 358. contigiſſe ex Conſularibus Faſtis erudimur.

Conſulatum ipſum iampridem Rufinus eiusdem Cerealis frater obtinuerat; unde Ammianus (1) de Galla Galli Caeſaris anno 354. occiſi matre loquens ait ipſam ſororem fuiſſe *Rufini & Cerealis, quos trabeae Conſulares nobilitarunt, & Praefecturae*; ideoque Tillemontius (2) exiſtimavit Cerealem Galli Caeſaris avunculum fuiſſe. Quandoquidem vero in Faſtis anno 340. L. Aradius Rufinus, & anno 347. Flavius Rufinus occurrit, incertum plane quinam ex illis Cerealis frater fuerit; quamvis Gothofredus id de Vulcatio Rufino intelligendum eſſe putaverit.

Ceterum ad Cerealem hunc Vrbis Praefectum Conſtantii, & Conſtantis Lex X. Kal. Aug. anno 353. dirigitur (3), in qua tamen *Conſtantis*, qui iam obierat, nomen deleri, ac ſolum Conſtantii retineri debet, ut optime in aliis Legibus *ad Cerealem P. V.* VIII. Idus Sept. (4) IX. Kal Decem. (5) & Kal. Decem. (6) editis factum conſpicitur.

Denique, ne quid aſſerendae Cerealis Praefecturae accommodum omittatur, illa veteri quoque Iuvenalis Interpreti memoratur. Cum enim Satyricus ille dixiſſet (7)

... ut

(1) Lib. XIV. c. 11. (2) In Conſtantio art. 27.
(3) C. T. Lib. XI. tit. 36. l. 9. (4) Lib. IX. tit. 38. l. 2.
(5) Lib. XVI. tit. 10. l. 5. (6) Lib. XVI. tit. 10. l. 4.
(7) Sat. X. ver. 24.

Digitized by Google

. . . . *ut maxima toto*
Noſtra ſit arca foro,

Interpres adnotavit: *Vſque ad Cerealem Praefectum in Foro Traiani arcas habuerunt Senatores, in quibus argentum, aut pecunias tutius deponebant*: quem morem Vopiſcus etiam in Aureliani Auguſti Vita indicavit.

Memmius Vitraſius Orfitus II.

An. V. C. 1107. *C.* 354.

IN hoc Vitraſio Vrbis Praefecto aureolus ille Anonymi Libellus nos deſerit, ideoque deinceps continua, atque accurata Praefectorum ſeries inde haberi non poterit, ſed ipſorum nomina aliis ex fontibus petenda ſunt. Integro tamen huius anni ſpatio Vitraſium Vrbi praefuiſſe Anonymus ipſe ſubindicat cum ait: *Vitraſius Orfitus Praefectus Vrbis*; quemadmodum in Th. Cod. Lex pridie Idus Martii edita ad Orfitum P. V. dirigitur (1).

Haec ipſa Praefecti dignitas, ſimulque ſuperbi Vitraſii Orfiti mores ab Ammiano (2) memorantur cum ait: *Inter haec Orfitus Praefecti poteſtate regebat Vrbem aeternam ultra modum delatae dignitatis ſe ſe efferens inſolenter: quo adminiſtrante ſeditiones ſunt excitatae graves ob inopiam vini*. Itaque mirari non ſubeſt ſi poſtmodum Vitraſius ipſe exilio multatus fuit donec, Ammiano (3) teſte, Vulcatius Rufinus Praetorio Praefectus *nactus copiam Principis Orfitum Ex Praefecto Vrbis ſolutum exilio, patrimonii ſed integrata iactura remitti fecit in lares*. Id vero anno demum circiter 366. contigiſſe notat Tillemontius (4).

Fla-

(1) Lib. VI. t. 4. l. 7. (2) Lib. XIV. c. 6.
(3) Lib. XXVII. c. 3. & 7. (4) In Valentin. art. 10.

Flavius Leontius II.

An. V. C. 1108. *Chr.* 355.

AMmianus Marcellinus ubi Conſtantium Gallum Caeſarem morti deſtinatum fuiſſe memorat, eoſque recenſet, a quibus ille cuſtodiendus erat, ait (1): *inter quos Leontius erat, poſtea Vrbis Praefectus, ut Quaeſtor*. Deinde vero ad ea, quae anno Chr. 355. contigerunt, digreſſus ait (2): *Vrbem aeternam Leontius regens multa ſpectati Iudicis documenta praebebat*. Itaque a *Domitio Leontio* diſtingui ille debet, qui anno 338. Praetorio (3) Praefectus fuit; cum Leontius Vrbis Praefectus in eximio Muratorii Marmore non *Domitii*, ſed *Flavii*, nomine deſignetur (4)

D. N. CONSTANTIO
AVGVSTO
FL. LEONTIVS V. C.
PRAEF. VRBI. ITER.
VICE. SACRA IVDIC.
D. N. M. Q. EIVS

Graviſſima tamen difficultas contra Leontium, eiusque Praefecturam anno 355. geſtam ex Legibus illis exoritur, quae hoc ipſo anno 355. *Arbetione*, & *Lolliano* Conſ. editae ad *Orfitum P. V.* diriguntur, quarum una (5) 5. Kal. Apr. altera (6) 8. Kal. Maii, tertia (7) prid. Nonas Iulias promulgata fuit. Etenim, ſi Orfi-

(1) Lib. XIV. c. 11. (2) Lib. XV. c. 7.
(3) Cod. Theod. Lib. IX. tit. 1. l. 7. (4) Pag. 262. 4.
(5) Cod. The. L. VIII. t. 13. l. 3. (6) L. VIII. t. 12. l. 7.
(7) L. XIV. tit. 3. l. 2.

Orfitus ille , qui certe anno 354. Vrbi praefuerat, proximo quoque anno 355. eo munere functus eſt , nullus in Praefectorum ſerie Leontio locus hic eſſe poterit . Accedit etiam quod eodem ipſo anno 355. in Iuſtinianeo Codice Lex *ad Voluſium Praefectum Vrbi* 12. Kal. Martii dirigitur (1); quamvis in Theodoſiano Codice (2) in duabus Legibus aliis eiusdem anni *6.* Kal. Aug. datis *Praetorio Praefectus* Voluſianus ipſe dicatur, atque in alia Lege eiusdem anni (3) prid. Kal. Maii *Vicarius Vrbis* vocetur.

Eiuſmodi vero difficultas alia ratione dirimi non poterit , quam ſi dicatur Orfiti Praefecturam anno 354. inchoatam aliquot menſibus anni 355. poſt Iulium menſem interruptam fuiſſe , ut proinde Leontius poſtremis eius anni menſibus Vrbi praefuerit . Voluſius autem , aut Voluſianus ſive Praetorio Praefectus , ſive potius Vrbani Praefecti Vicarius cenſendus erit ; ideoque facile in Legum titulo PPV. *Pro-Praefectus Vrbis* reſcribendum erit , quemadmodum Ammianus etiam ea *Pro-Praefecti* voce uſus eſt , ut inferius ad annum *3*68. obſervabitur .

✠ Decimus Simonius Iulianus

An. V. C. 1110. *Chr.* 357.

IN regio Magni Etruriae Ducis Cimeliarchio aereus Romanus Modius reperitur , cuius ſervati , amiſſi reperti , ac Regiae Celſitudini Ioannis Gaſtonis oblati, hiſtoriam Cl. Gorius (4) accurate deſcripſit , eiuſque imaginem aeri diligentiſſime inſculptam exhibuit ; ſimulque

(1) Lib. VI. tit. 22. l. 6. (2) Cod. Th. Lib. XI. tit. 34. l. 2. & Lib. XI. tit. 30. l. 26. & Lib. XI. tit. 36. l. 12.

(3) Lib. III. tit. 12. l. 2. (4) Inſcr. Etr. Tom. III. p. 2.

mulque veterem Epigraphem, quae in exteriori, ſive convexa ipſius ſuperficie exarata conſpicitur

MENSVRAE AD EXEMPLVM
EARVM QVAE IN CAPITOLIO SVNT
AVCTORE SANCTISSIMO AVG. N.
NOBILISSIMO CAES.
PER REGIONES MISSAE CVR.. D. SIMONIO
IVLIANO PRAEF. V... C. V.

Pretioſum hoc, ac illuſtre venerandae antiquitatis cimelium omnium primus indicaverat Mabilonius (1) atque ex illo Fabrettus (2); Reineſius vero, qui a Langermanno Florentia reduce ipſius exemplum acceperat, Epigraphem ipſam edidit, ac illuſtravit, quemadmodum Gudius Modium (3) illum anno 1644. Romae repertum, ſibique Florentiae conſpectum eſſe teſtatur (4).

Quandoquidem vero Reineſius ipſe *D. Simonii Iuliani* nomen nullibi in Praefectorum Faſtis offenderat, viciſſim vero in Faſtis ipſis *P. Ceionii Iuliani* nomen ad annum Chr. 333. invenerat, temere prorſus exiſtimavit in Modio pro *D. Simonio Iuliano* legendum eſſe *P. Ceionio Iuliano*. Itaque Gorius leviſſimam, atque abſurdam hanc Reineſii opinionem reiecit; cumque in Veronenſi Marmore (5) ſcriptum legiſſet

MVRI VERONENSIVM DEDICATI PR.
NON. DECEMBRIS IVBENTE SANCTIS
SIMO GALLIENO AVG. N. CVRANTE
IVLIO MARCELLINO

ideo-

(1) Iter Ital. p. 187. (2) Cap. VIII. n. 180.
(3) Claſ. IV. num. 26. (4) In Ind. Inſcript. pag. 69.
(5) Grut. 166. 2.

ideoque eandem prorſus formulam, aut titulum tum in Veronenſi Marmore, tum in aereo Modio uſurpatum eſſe conſpiceret, facile exiſtimavit utrumque ad Gallieni Auguſti aetatem ſpectare. Conjecturam hanc a doctiſſimo viro modeſte propoſitam in ea Diſſertatione ſubtilius exploravi, qua Vabalathi nummos, aetatem, ac imperium explicavi (1). Oſtendi nimirum quod ex ſolo *Sanctiſſimi Auguſti N.* titulo, qui in Veronenſi Lapide Gallieno tributus conſpicitur, inferri certe non poterit quod aereus etiam Modius ad eandem illam Gallieni aetatem referri debeat; cum Traianus Decius *Sanctiſſimus Dominus noſter* (2), Furia Tranquillina *Sanctiſſima Auguſta coniux Domini noſtri Gordiani* (3) vocetur, quemadmodum Antoninus a Scaevola Iuriſconſulto *ſanctiſſimus*, *&* *nobiliſſimus* appellatur (4); ſequioribus etiam temporibus Fauſtina Conſtantii uxor *piiſſima*, *&* *nobiliſſima* vocatur (5); & Conſtantius ipſe *nobiliſſimus*, *optimus*, *benigniſſimus* appellatur (6).

Itaque longe veriſimilius exiſtimavi quod Praefectus ille *D. Simonius Iulianus* ad ſequiora tempora, ideoque facile ad annum circiter 354. referri deberet. Ac certe quidem, ſi civis ille unus idemque cenſeri debeat, de quo in Marmore in Herculanis Thermis in Dacia reperto legitur (7)

HERCVLI SANCTO
SIMONIVS IVLIANVS V. C.
PRAESES DACIARVM

poſt Aureliani Auguſti tempora vixiſſe ille debuit, a quo nova Dacia inſtituta, atque in Dacias duas ita di-

 rempta

(1) Pag. 99. (2) Murat. p. 1043. 2. & 2047. 8.
(3) Murat. p. 272. 5. 6. (4) Leg. 3. De natal. reſtit.
(5) Murat. pag. 263. 2. (6) Mur. 1113. 6. & 1994. 7.
(7) Murat. p. 858. 4.

rempta fuit, ut una *Ripenſis*, alia *Mediterranea* diceretur, tumque primum *Daciarum* nomen, & *Daciarum Praeſes* inceperit. Siquidem Eutropio (1) teſte Aurelianus *Provinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico, & Moeſia, deſperans eam poſſe retineri, abductoſque Romanos ex Vrbibus, & agris Daciae in media Moeſia collocavit, & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in laeva.* Itaque Aurelianus Auguſtus Daciam illam, quae trans Danubium erat, & in qua Traianus Auguſtus tot bella geſſerat, Barbaris incolendam, regendamque dimiſit; novamque Daciam partim ex *inferioris*, partim etiam ac praeſertim ex *ſuperioris* Moeſiae regionibus conflatam inſtituit; cumque prius Dacia Traiani, ſeu vetus a Legato Auguſti regeretur, unde in Grutero habetur (2) LEG. AVG. PROV. DACIAE, poſt Aureliani tempora a Daciae, vel Daciarum *Praeſide* regebatur. Hinc in Theodoſiano Codice Conſtantini M. Lex anno 321. Sardicae edita *ad Claudium Praeſidem Daciae* dirigitur, eiusdemque Conſtantini M. Lex anno 334. edita *Iuliano Praeſidi* inſcribitur (4); cumque Lex illa *Naiſſi*, hoc eſt in Dacia ipſa, data fuerit, *Iulianus* ille non alterius, quam Daciae, Provinciae Praeſes cenſendus erit.

Quid vero ſi Iulianum hunc, qui anno 334. *Daciae Praeſes* fuit, non alium eſſe putaverim, quam *D. Simonium Iulianum*, quem in ſuperiori Muratorii Marmore *Daciarum Praeſidem* appellatum eſſe iam vidimus? Gothofredus quidem ſubdubitat an Iulianus ille, cui Conſtantini M. Lex inſcribitur, fuerit Ceionius Iulianus a Vopiſco (5) memoratus, aut Iulianus in Conſtantii Lege (6) nominatus, aut Iulianus ille *Vicarius*, cuius

(1) In Aurel. Lib. IX. c. 9. (2) Pag. 493. 1.
(3) Lib. II. t. 19. l. 2. (4) Lib. XI. tit. 39. l. 3.
(5) In Firmo c. 1. (6) Lib. XII. t. 1. l. 23.

Digitized by Google

cuius nomen apud Ammianum (1) occurrit. At obſervare facile is poterat quod Vopiſcus, ut alibi ad annum 291. demonſtravi, Firmi, hiſtoriam anno 291. exaravit, ideoque Ceionius Iulianus, quem in Firmi Vita inter illuſtres, doctoſque Viros recenſet, facile anno 334. ſuperſtes eſſe non poterat. Iulianus autem ille, qui ab Ammiano Ex-Vicarius vocatur, Conſtantii Auguſti fautor fuit, ideoque ineunte Iuliani imperio occiſus fuit. Denique Conſtantii Lex (2) facile ad Simonium Iulianum noſtrum Vrbis Praefectum referri poterit.

Etenim, niſi plurimum fallor, Iuliani cuiusdam Praefecti nomen anno 357. Praefectorum Faſtis inſcribi debet, cui Conſtantii Auguſti Lex eodem anno XI. Kal. Martii inſcripta conſpicitur (3) Quamvis enim in Legis titulo Iuliani dignitas omiſſa fuerit, cum tamen in textu *Sublimitas tua* memoretur, optime Gothofredus exiſtimavit eiuſmodi conſueta formula non alium, quam *Praefectum Vrbis*, indicari. Huic optimae doctiſſimi Viri coniecturae addi poterit quod in eiuſmodi Lege *De Decuriis Vrbis* agitur, iis nempe rebus, quae ad Praefectum Vrbis ſpectabant; ideoque Lex illa non alteri, quam Praefecto Vrbis, inſcripta cenſeri debet. Itaque, licet exiſtimetur Memmium Vitraſium Orphitum ab anno 354. ad annum uſque 359. Vrbi praefuiſſe, facile tamen ille diuturnum hoc Praefecturae munus abrupit, & anno 357. Iulianus ipſi ſucceſſit. Ac certe quidem inter annum 354. & 359. Praefectos alios admittendos eſſe perſpicue certoque ex Marmoribus illis inferri debet, in quibus *prima* Orfiti Praefectura memoratur (4), ac repente ſubditur quod *non multo interpoſito tempore iterum Praefectus Vrbi fuit*; quemadmodum Ammianus *primam*, & *ſecundam* eius Praefectu-

(1) Lib. XXII. c. 11. (2) Lib. XII. t. 1. l. 23.
(3) Cod. Theod. Lib. XIV. t. 1. l. 1. (4) Murat. 720. 2.

fect若uram memoravit: quod fieri certe non poterat, niſi Praefectus alius interceſſiſſet, ut ſuperiori loco iam monui.

Quandoquidem ergo Iulianus aliquis admitti debet, qui ineunte anno 357. Vrbi praefuerit, quid veriſimilius eſſe poteſt, quam ut dignitas illa *D. Simonio Iuliano* concedatur, quem anno 334. Daciae Praeſidem fuiſſe iam vidimus, ac in Romani Modii epigraphe veluti iam Praefectus Vrbis memorari facile potuit? Ac certe quidem cum in hac ipſa epigraphe dicatur *Sanctiſſimo Aug. N.* . . . *nobiliſſimo Caeſare*, non obſcure, ut opinor, innuitur quod eius Praefecti tempore tum *Auguſtus*, tum *Caeſar* aliquis Imperio praeerat, quod anno 357. optime convenit, quo Conſtantius *Auguſtus*, & Iulianus *Caeſar* florebant, ac ille quidem *nonum*, hic vero *ſecundum* Conſulatum gerebat.

Memmius Vitraſius Orfitus III.

An. V. C. 1108. *Chr.* 354. 355. 356. 357. 358. & 359.

ORphitus ille, qui exeunte anno 353. Vrbani Praefecti munus ſuſceperat, integroque ſequentis anni ſpatio geſſerat, iterum hoc anno ac duobus aliis proxime conſequutis ſic eodem munere decoratus occurrit, ut prima ipſius Praefectura huic anno, proximeque inſequenti, ſecunda vero anno 357. adſcribatur, ut ex illuſtri Ammiani loco mox proferendo erudimur, adſcribi debeat. Quamvis enim ille exeunte quoque anno 353. Vrbi una cum Cereale praefuerit, ideoque Praefectura, quam ſolus anno 354. ſuſcepit, *ſecunda* videretur, ab Ammiano tamen *prima* cenſetur, ſive quod ipſam ſolus obtinuerit, ſive quod illa

(1) Lib. XVII. c. 4. & Lib. XVI. c. 10.

illa cum ſuperiori coniungatur. Certe in eximio Muratorii Marmore legitur (1)

HONORI
MEMMIO VITRASIO ORFITO V. C.
* * * *
PRAEF. VRBI
NON MVLTO INTERPOSITO TEMPORE
ITERVM PRAEFECTO VRBI
COMITI ORDINIS PRIMI
ITEM COMITI INTRA CONSISTORIVM
LEGATO PETITV SENATVS POPVLIQVE ROMANI

In alio vero propemodum ſimili, quod anno proximo 358. excitatum videtur, habetur (2)

PRAEFECTO VRBI PROCONSVLI AFRICAE
ET TERTIO SACRARVM COGNITIONVM IVDICI
COMITI ORDINIS PRIMI ITERVM
INTRA CONSISTORIVM LEGATO SECVNDO
DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS
PETITV SENATVS ET P. R.

ubi tamen pro *Ordinis primi iterum* legendum exiſtimo *Ordinis primi item*.

Ad annum ipſum 357. referri debet Epigraphe (3)

D. N. CONSTANTIO AVGVSTO
MEMMIVS VITRASIVS ORFITVS V. C.
PRAEF. VRBI. IVD. SACR. COGN. ITERVM
D. N. M. Q. EIVS

item-

(1) Pag. 720. 2. (2) Pag. 721. 1. (3) Murat. 262. 2. & Doni III. 67.

Digitized by Google

itemque Gudii (1) Marmor in Praefecti nomine ex Grutero, & Fabretto corrigendum

APOLLINI. SANCTO
MEMVLVS. VETERANVS
ORFILIVS. AVG.
BIS. PRAEF. VRBI
AEDEM. PROVIDIT

Ita prorſus haec Orfiti Praefectura ab Ammiano quoque *ſecunda* vocatur ubi res ante Datiani & Cerealis Conſulatum, ideoque anno 357. geſtas deſcribens ait (2): *Adminiſtrante ſecundam adhuc Orfito Praefecturam Obeliſcus Romae in Circo erectus eſt Maximo*, quod initio ſequentis anni 358. contigiſſe Tillemontius arbitratur (3).

Denique ad hanc alteram Orfiti Praefecturam Marmor referri debet, quod a Grutero exhibetur (4) Iuliano dicatum qui Novembri menſe anni 356. Caeſaris nomen obtinuit

DOMINO NOSTRO
CL. IVLIANO
NOBILISSIMO AC
FORTISSIMO. CAES.
MEMMIVS. VITRASIVS
ORFITVS. V. C. ITERVM
PRAEF. VRB. IVDEX
SACRAR. COGNITION.
TERTIVM. D. N. M. Q. EIVS

Cete-

(1) Pag. 25. 7. Vid. Fabr. C. X. n. 169. Grut. 38. 6.
(2) Lib. XVII. c. 4. & Lib. XVI. c. 10. (3) In Conſtan. Art. 42. (4) Pag. 284. 8.

Digitized by Google

Ceterum haec illuſtria tanti viri munera in alio quoque Marmore expreſſa conſpicimus (1)

MEMMIO VITRASIO ORFITO V. C.
PRAEFECTO VRBI ET ITERVM PRAEFECTO
VRBI PROCONSVLI AFRICAE AC TERTIO
SACRARVM COGNITIONVM IVDICI
COMITI IN CONSISTORIO ORDINIS PRIMI
LEGATO SECVNDO DIFFICILLIMIS TEM
PORIBVS PETITV SENATVS ET P. R.
COMITI ORDINIS SECVNDI EXPEDITION
BELLICAS GVBERNANTI CONSVLARI SICIL
* * *

Vbi tamen Tillemontius (2) optime exiſtimavit poſtremos verſus duos, ceteroſque qui in Marmore conſequuntur, ad civem alium ſpectare, cuius nomen cum Epigraphes initio interciderit; cum in Marmoribus aliis ſuperius expoſitis Epigraphae Orfito dicatae in vocibus illis *petitu Senatus & P. R.* abſolvantur.

Ceterum haec Vrbana Praefectura integris fere ſex annis 354. 355. 356. 357. 358. & 359. ab Orfito geſta pluribus ſane Legibus evinci poteſt, quae iis annis editae, atque ad ipſum directae ſunt, quarum ſingulas Gothofredus enumerat; atque in Legis eius (3) titulo, in qua *ad Olybrium P. V.* habetur, cum anno 357. edita fuerit, *Orfiti* nomen reſtitui debet. Poſtquam vero Orfitus ipſe Praefecti honore functus fuerat, peculatus crimine damnatus, & exilio multatus fuit: quo demum Vulcatii Rufini precibus ſolutus tum patriae, tum bonis omnibus reſtitutus eſt, ut Ammianus

(1) Grut. pag. 438. 1. (2) In Conſtantio artic. 31.
(3) Lib. XIII. tit. 15. l. 9.

Digitized by Google

nus (1) teſtatur, noſque ſuperius ad annum 354. indicavimus.

Iunius Baſſus.

An. V. C. 1112. *Chr.* 359.

ORſiti Praefecturam ineunte quoque hoc anno 359. prorogatam eſſe demonſtratur ex Lege, quae 25. Martii die ad ipſum directa fuit (2); ideoque Ammiani (3) error excuſari non poterit, qui Iunii Baſſi Praefecturam ab anno 358. exorditur. Sed controverſiam omnem, ſi quae fortaſſe eſſe poſſet, perſpicue dirimit ſepulcralis Epigraphe, quae in Cryptis Vaticanis reperta fuit (4)

IVNIVS BASSVS V. C. QVI VIXIT ANNOS XXXXII.
MEN. II. IN IPSA PRAEFECVRA VRBI
NEOFITVS IIT AD DEVM VIII. KAL. SEPT.
EVSEBIO ET YPATIO COSS.

Itaque, cum Euſebii & Hypatii fratrum Conſulatus in annum 359. inciderit, etiam Praefectura a Iunio Baſſo inchoata ad annum ipſum referri debet, cum ille *recens promotus Praefectus Vrbis* deceſſerit.

Ipſi vero vicaria poteſtate in Praefecti munere Arthemium ſucceſſiſſe teſtatur Ammianus: (5) *Romae Arthemius curans vicariam Praefecturam* Praetorio *pro Baſſo quoque agebat, qui recens promotus Vrbi Praefectus fatali deceſſerat ſorte.*

Ter-

(1) Libr. XXVII. c. 3. & 7. (2) Cod. Theod. L. XIV. tit. 6. l. 1. (3) Lib. XXVII. c. 8. (4) Boſius Lib. II. c. 8. Mur. 382. 2. & Fabret. VIII. 112. (5) Lib. XVII. c. 11.

Digitized by Google

Tertullus

An. V. C. 1113. *Chr.* 360.

SOlum Tertulli nomen, ac Praefecti dignitas, quae ab ipſo ſuſcepta fuit, ab Ammiano (1) memoratur ubi ſeditiones ob annonae caritatem in Vrbe excitatas deſcribit. Aſſerit enim quod *ſubinde Tertullus vexabatur ea tempeſtate Praefectus* . . moxque ait: *dum Tertullus apud Oſtia in Aede ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit, mutatoque in auſtrum placidum vento, velificatione plena portum naves ingreſſae frumentis horrea referſerunt*. Deinde ſubdit Ammianus epiſtolas a Iuliano contra Conſtantium Auguſtum ad Senatum ſcriptas fuiſſe, *quae Tertullo adminiſtrante adhuc Praefecturam* recitatae ſunt in Curia; tandemque memorat quod Iulianus ipſe *b evi poſtea Mamertinum ad Conſulatum evexit*. Itaque, cum Mamertini, ac Nervittae Conſulatus in annum 362. inciderit, Tertulli Praefectura in anno 360. collocari facile poterit. Ac certe quidem Tertullum Conſtantio adhuc ſuperſtite, ideoque ante annum 362. Praefecti munus obiiſſe ex Symmachi (2) loco deprehendi, qui de cauſa quadam loquens ait: *Conſtantio Principe adhuc Vrbem regente ad Tertullum Praefectum Vrbis memorabilem Virum migravit exactio*.

Interim vero dum Conſtantius Auguſtus Conſtantinopoli degeret, in ipſa *Praefectum Vrbis* inſtituit, ut ex Hieronymi Cronico ad annum V. C. 4. iam indicavi; atque accuratius ex Idacii Faſtis, Socratis (3), & Sozomeni (4) Hiſtoria, atque Alexandrino Chronico demonſtratur. Quandoquidem vero id exeunte anno 359.

(1) Lib. XIX. c. 10. & XXI. c. 10. (2) Lib. X. ep. 47.
(3) Lib. VI. c. 41. (4) Lib. IV. c. 22.

no 359. Euſebio, & Hypatio Coſs. 3. Idus Septembres, ſive Decembres contigerat, Conſtantinopolitanae Praefecturae initium huic anno 360. adſcribi ſolet.

Clytholias Maximus

An. V. C. 1114. *Chr.* 361.

De mora apud Naiſſum Daciae Vrbem a Iuliano Caeſare ducta loquens Ammianus (1) ait: *Ibi Symmachum repertum, & Maximum Senatores conſpicuos a nobilitate Legatos ad Conſtantium miſſos, exinde reverſos bonorifice vidit, & potiore poſthabito in locum Tertulli Maximum Vrbi praefecit aeternae ad Rufini Vulcatii gratiam, cuius ſororis eum filium norat. Hoc adminiſtrante alimentaria res abundavit, & querelae plebis excitari crebro ſolitae ceſſaverunt.* Ex integro Scriptoris contextu perſpicue apparet haec anno, qui Mamertini & Nervittae Conſulatum proxime praeceſſit contigiſſe, ideoque Maximi Praefecturam in annum 361. incidiſſe, cum Conſules illi anno 362. Faſtos ſignaverint.

Praefectum ipſum, integrumque eius nomen a Symmacho (2) memoratum invenio. Etenim de cauſa diſſerens, quae prius a Tertullo P. V. diſcuſſa fuerat, ait: *Nec multo poſt tempore Clytholiam Maximum pari bonore tunc praeditum tituli iſtius cura convenit.*

Lucius

(1) Lib. XXI. c. 12. (2) Lib. X. ep. 47.

Lucius Turcius Secundus Flavius Apronianus Aſterius

An. V. C. 1115. *Chr.* 362. 363. & 364.

Ammianus ipſe res a Iuliano Auguſto poſt Conſtantii mortem, quae 3. Decembris die anno 361. contigerat, geſtas deſcribens ait quod Iulianus (1) *Apronianum Romae decrevit eſſe Praefectum*, & *Palatini Apollinis templum Praefecturam regente Aproniano in Vrbe conflagravit aeterna* (2). Itaque, cum incendium illud 19. Martii die anni 363. contigerit (3) Aproniani nomen hoc anno Praefectorum Faſtis inſerendum erit; cum praeſertim Iuliani Lex (4) Antiochiae hoc 363. anno IV. Idus Decembres edita ad *Apronianum* dirigatur.

Opportune vero iam alibi demonſtravi quod hic Apronianus eius L. Turcii Aproniani filius fuit, qui anno 339. Vrbi praefuit; quemadmodum Marmora ad ipſum ſpectantia ibi protuli; quibus ille velut Vmbriae, Tuſciae, Piceni Corrector honoratur. Nunc addidiſſe iuverit ad ipſum velut *Vrbis Praefectum* haec alia Gruteri Marmora referri debere

EX AVCTORITATE
TVRCI. APRONIANI. V. C.
PRAEFECTI. VRBIS (5)

EX AVCTORITATE TVRCI
APRONIANI. V. C. PRAEF.
VRB. (6)

Gg 2 duo

(1) Lib. XXIII. c. 1. 3. (2) Ibi. c. 3. (3) Tillem. in Iulia. art. 17. 18. (4) Cod. Theod. Lib. XIV. tit. 4. l. 3. (5) Pag. 647. n. 6. (6) Ibi n. 7.

duo nimirum Decreta, quae ab illo Praefecturae tempore edita ſunt, quorum utrumque a doctiſſimo Gothofredo (1) mire illuſtratur.

Immerito vero Gothofredus ipſe ſubdubitat an *Flavii* nomen, quod in ipſo Legis titulo huic Aproniano tributum conſpicitur, deleri, ac Turcii nomen reſtitui debeat; cum ex monimentis aliis appareat hunc quidem nominibus aliis ornari, nullibi tamen *Flavii* nomen occurrat. Ritterus autem Valeſium ſequutus ex hoc *Flavii* nomine veluti charactere Aponianum, qui hoc anno Vrbi praefuit, a L. Turcio Secundo Aproniano diſtinguendum eſſe arbitratur, qui in Faneſtri Marmore veluti Flaminiae, ac Piceni Corrector nominatur. Ego vero nihil prorſus eſſe putaverim cur aut *Flavii* nomen expungi, aut *Flavius Apronianus* a *L. Turcio Secundo Aproniano Aſterio* diſtingui debeat. Siquidem, ut omittam ex pluribus certe nominibus, quibus unus, idemque civis ornabatur, interdum unum, interdum aliud omitti conſueviſſe, pluribus exemplis aliis erudimur, ut Cl. Bouherii verbis utar, quod *Imperatores, & horum exemplo primarii Romae Viri ſuo nomini Flavium adiungebant* (1). Quod ſi in ceteris id uſurpatum eſſe conſpicimus, quanto facilius de Aproniano concedi poterit, qui *Flavio* Iuliano Auguſto cariſſimus fuit, ideoque *Flavii* nomen ex illo ſumere fortaſſe potuit? niſi fortaſſe veriſimilius Iulianus ipſe hoc illi conceſſerit, ideoque in Legis titulo exaraverit *Iulianus A. Flavio Aproniano ſuo*. Certe in hac hypotheſi *Flavii* nomen nonniſi in hoc Legis titulo haberi debet; in iis vero Marmoribus, quae anno 339. ſive 346. excitata ſunt, exprimi vel inſculpi non poterat, cum Marmora ipſa Flavii Iuliani Auguſti tempora praeceſſiſſent.

Quem-

(1) Ad Cod. Th. loco cit. ad l. 4. de ſuar.
(2) Vid. Hagemb. Ep. Epigr. p. 30.

Digitized by Google

Quemadmodum vero *L. Turcius Secundus Flavius Apronianus Aſterius* hoc anno 363. Vrbi praefuit, ita quoque proximo etiam anno 364. munus illud obtinuit, ut Ammianus (1) oſtendit; ideoque Legis VI. Idus Apriles anno 364. editae (2) titulus corrigendus erit, ibique non *ad Voluſianum P. V.*, ſed *ad Apronianum P. V.*, legendum; licet Voluſianus ipſe inter Apronianum, & Symmachum Vrbi praefuerit, ut mox oſtendetur.

Rufius Ceionius Voluſianus I.

An. V. C. 1118. *Chr.* 365.

PRaefectum hunc Valentiniani, ac Valentis temporibus, qui anno Chr. 364. Imperium ſuſceperunt, Vrbi praefuiſſe ex Gudii (3) Marmore demonſtratur

DD. NN. VALENTINIANVS
ET. VALENS. AVGVSTI
ORNATVI. PVBLICO
CONSTITVI. LOCARIQVE
IVSSERVNT
ADMINISTRANTE. RVFIO
VOLVSIANO. V. C. EXPRAEF.
PRAET. PRAEF. VRBI. IVD.
ITERVM. SCM. COG.

Hinc

(1) Lib. XXVI. c. 3. & Lib. XXVII. c. 3. (2) Lib. XI. tit. 14. l. 1. (3) Pag. 83. 1. vid. Rein. Cl. II. 16. Fabr. C. III. n. 515. Doni. Cl. II. n. 48. & III. n. 72. Mur. 464. 5. Spon. Miſc. Sect. VIII.

Hinc in alio Marmore (1), quod ab eius filio poſt primam Vrbis Praefecturam dicatum fuit, *Ex-Praefectus Praetorio*, & *Praefectus Vrbis* vocatur.

DD. NN. VALENTE. ET VALENTINIANO. AVGG.
CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSI
ANVS. V. C. ET. INLVSTRIS
EX VICARIO. ASIAE. ET. CEIO
NI. RVFI. VOLVSIANI. V. C.
ET. INLVSTRIS. EX PRAEFECTO. PRE
TORIO. ET. EXPREFECTO. VRBI
ET. CECINE. LOLLIANE. CLARISSIME
ET. INLVSTRIS. FEMINE. FILIVS

Eiuſmodi vero Marmor cum *Valentiniano Aug. & Neoterio Conſ.* ideoque anno Chr. 390. poſitum fuerit, Valentinianum II. Valentis Collegam, ac nepotem deſignat. Pleraque tamen Marmora, quae *Rufii Voluſiani Praefecti* nomen praeſeferunt, ad annum ipſum 365. referri debent, quo is Vrbi praefuit (2)

VICTORIIS. TRIVMPHISQVE
MAGNIFICO. D. N. VALENTINIANO
INCLITO. PRINCIPI
SEMPER. AVG. RVFIVS. VOLVSIA
NVS. V. C. PRAEF.
VRB. ITERVM
IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM
CLEMENTIAE. EIVS. DEDICATVS

Alia

(1) Mur. 392. 1. vid. Grut. p. 28. 5. (2) Grut. 285. 6.

Alia prorſus ſimilis, ſed tamen Valenti dicata, apud Gruterum (1) ipſum occurrit; cui ſequens etiam Epigraphe poſita reperitur (2)

MAXIMO. PRINCIPI
INDVLGENTISSIMO
DOMINO. VALENTI. TRI
VMPHATORI. SEMPER. AVG.
C. CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSIANVS
V. C. PRAEF. VRBI. ITERVM. IVD.
SACRARVM. COGNITIONVM
SERENITATI. EIVS. DICATVS

Quamvis autem mutilum ſequentis Inſcriptionis fragmentum Cl. Muratorius (3) *Maxentio* dicatum eſſe putaverit, perſpicuum tamen arbitror ad Valentinianum ipſum, ideoque ad hunc C. Ceionium Rufium, ſpectare

FLORENT iſſimo
ET. PIISSImo
D. N. VALEntiniano
MAXIMO. Principi
SEMPER. Auguſto
C. CEIONIVS. Rufius. Voluſianus
V. C. PRAEf. Praetorio
PRAEF. VRBI. vice. ſacra
IVDIC. D. N. m. q. eius

Eiuſmodi vero Marmora non ad hunc annum 365. quo primum Voluſianus Vrbi praefuit, ſed ad annum

(1) Pag. 286. 1. (2) Grut. 286. 2. (3) Pag. 688. 4. & Grut. pag. 280. 1.

num 373. quo ſecundam Praefecturam obtinuit, referenda fore putaverim, non modo quod in iis *Praefectus Vrbis iterum* dicatur, verum etiam quod *Ex-Praefectus Praetorio* vocetur; ac Praetorii Praefectura exeunte ſolum anno 365. ipſi conceſſa fuerit.

Quandoquidem vero Ceionius Rufius Voluſianus, qui in Muratorii Marmore *Ex-Vicario Aſiae* vocatur, *Cecine Lolliane* filius fuit, facile eius Rufii frater cenſeri poterit, qui in hoc alio Reineſii, & Sponii Marmore memoratur (1)

FLAVIVS RVFIVS SABINVS VOLVSI
ANVS VIR CLARISSIMVS ET INLV
STRIS. PONTIF. MINOR. VICARI
VS. ASIAE. ET CECINA LOLLIANA
CLARIS ET INLVSTRIS. FAEM.
STAT. EX. AERE. S. P. DEDICARVNT

perinde ac ſi hic filius una cum matre memoretur. Si cui tamen ea Flavii Rufii Sabini Voluſiani uxor videatur, tunc aſſeri profecto debet quod unus idemque civis modo *Ceionius Rufius Voluſianus*, modo *Flavius Rufius Sabinus Voluſianus* vocetur.

Certe in Muratorii (2) Marmore legitur *Rufius Ceionius C. F. Sabinus*, atque in Grutero (3) *Rufia Voluſiana C. F.*

Alterum etiam Ceionii Rufii Voluſiani, qui anno 364. & 365. Vrbi praefuit, filium fuiſſe putaverim Ceionium Rufium Albinum, qui patris inſtar Praefecti munere functus eſt circa annum 390. ut mox indicabitur.

Itaque, licet Ammianus (4) perſpicue diſerteque dixerit quod in Vrbis Praefectura Aproniano Symmachus

(1) Claſ. I. 279. Miſcell. Sect. III. num. 59. (2) Pag. 387. 2.
(3) Pag. 28. 1. (4) Lib. XXVII. c. 3.

Digitized by Google

chus ſucceſſit, ad quem certe plurimae Valentiniani Leges anno 364. poſt 23. Maii diem, annoque proximo 365. diriguntur, compertum eſt tamen quod inter Apronianum, & Symmachum inſeri debet *Voluſianus*. Vt enim Marmora ſuperius expoſita omittam, 8. Aprilis die anni 364. Lex edita, *& ad Voluſianum P. V.* directa habetur, idque non ſolum in Theodoſiano (1), ſed etiam in Iuſtinianeo Codice (2) exprimitur. Ita quoque in Legibus anno 365. 12. Kal. Mart. & 4. Kal. Iul. editis Voluſianus ipſe P. V. vocatur; in alia Lege 3. Id. Aug. *Vicarius Vrbis*; in alia 3. Non. Sept. iterum *Praefectus Vrbis*; tandemque 15. Kal. Oct. *Praetorio Praefectus* nominatur. Inde vero, ut opinor, Ammiani error manavit quod Voluſiani Praefectura brevis admodum, ac interrupta fuerat, ideoque Ammiano vix memoranda videbatur.

Video quidem quod Gothofredus (3), ac Tillemontius (4) ipſum bis Vrbi praefuiſſe dicit, cum in Gruteri Marmoribus habeatur.

Praef. Vrbi. Iud. iterum. Sacrarum cognitionum, ſed prima ipſius Praefectura ad aliquem ex ſuperioribus annis nobis incognitum referri debet; niſi fortaſſe potius exiſtimetur quod aliquando *ſacrarum cognitionum Iudex* ille fuerit, quamvis Praefecti munere non fungeretur; quemadmodum prorſus in Memmii Vitraſii Orfiti Marmore is dicitur *iterum Peaefectus Vrbis, Iudex ſacrarum cognitionum tertium*.

Illud potius mirandum quod Gothofredo ipſo teſte in Legibus, quae exeunte Iunio menſe, ac ineunte quoque Septembri editae ſunt, *Praefectus Vrbis* dicatur, in alia tamen, quae 3. Idus Auguſti edita reperitur, *Vicarius Vrbis* vocetur; perInde ac ſi uno, eodemque anno prius *Praefectus*, mox Praefecti *Vicarius*, iterum *Praefectus*

H h

(1) Lib. XI. t. 14. l. 1. (2) Lib. I. tit. 28. l. 1.
(3) Proſopogr. Cod. Theod. (4) Ad. Valentin. I. nota 16.

Digitized by Google

fectus fuiſſet antequam 15. Kal. Octobres ad *Praetorii* Praefecturam aſcenderet. Ne mira haec perturbatio admittatur, facile in ea Lege non *Vicarii*, ſed *Praefecti* nomen ſcribendum eſſe putaverim; cum praeſertim Valentinianus Auguſtus ipſum alloquens dicat *ſerenitas tua . . . parens cariſſime, & amantiſſime*: quod certe Praefecto potius, quam Vicario conveniet. Denique, ut ex Lege 11. Kal. Auguſti (1) edita apparet, Severus tunc temporis Vrbis Vicarius erat, idemque Vic. V. ſive PP. V. nomen in alia Lege Kal. Octob. (2) ipſi inſcripta pro P. V. reſtitui debet.

Lucius Aurelius Avianus Symmachus

An. V. C. 1117. *Chr.* 364. *&* 365.

SYmmachum Aproniano, ſive potius, ut opportune iam vidimus, Voluſiano ſucceſſiſſe tum ſuperior Ammiani locus, tum Leges plurimae anni 364., & 365. ipſi inſcriptae demonſtrant. Ipſum vero a *Q. Aurelio Symmacho* celebri eorum temporum Scriptore diſtinguendum, ac *L. Aurelii Aviani Symmachi* nomine vocandum eſſe Valeſius (3), & Gothofredus (4) optime demonſtravit, atque ex hoc etiam Gruteri (5) Marmore oſtendi poteſt

PHOSPHORI

L. AVR... AVIANO. SYMMACHO. V. C.
PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS
PRAETORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE
PROVINCIIS * * * * * *

DEDI-

(1) L. 2. de act. & proc. (2) L. 68. de decu. (3) Ad Ammia. Marc. XXI. c. 12. (4) Proſopogr. Cod. Theod. (5) Pag. 370. 3.

DEDICATA. III. KAL. MAIAS

D. N. GRATIANO. III. ET MEROBAVDE COS.

Quamvis autem hic titulus ſtatuae ſubiectus anno demum 377. poſitus fuerit, ibi tamen ea Praefectura memoratur, quam Symmachus ipſe anno 364. iampridem geſſerat, quamque poſtmodum Q. Aurelius Symmachus eius filius anno 384. obtinuit, antequam Conſul anno 391. procederet.

Hanc patris dignitatem Symmachus ipſe memoravit (1): *Cum ſacro auditorio cauſa competeret, dominus meus parens noſter Praefectus Vrbi autoritate iuris, & fiducia tui perſonas ſibi ad negotium vindicavit.*

Quamvis autem Symmachum huic potius anno 364. adſcripſerim, compertum eſt tamen quod 27. Septembris die ſequentis anni 365. adhuc eo munere fungebatur, ut ex Legibus ad ipſum datis apparet.

Poſtumius Lampadius

An. V. C. 1119. *Chr.* 366.

LAmpadium hunc Symmacho in Vrbis Praefecti munere ſucceſſiſſe teſtatur Ammianus (2), ſimulque recenſet Praefectos alios, qui annis proxime conſequutis Vrbi praefuerunt. *Advenit poſt hunc* Symmachum *Vrbis moderator Lampadius Ex Praefecto Praetorio. Advenit ſucceſſor eius Ex Quaeſitore Palatii Viventius integer, & prudens Pannonius, cuius adminiſtratio quieta fuit, & placida.*

Ac certe quidem quod Lampadius ille Praefecturam a Novembri menſe anni 365. per octo menſes

 geſſerit

(1) Lib. II. ep. 44. (2) Lib. XXVII. c. 3.

Digitized by Google

geſſerit ex variis Legibus inferri facile poterit, quae ad ipſum velut *Vrbis Praefectum* diriguntur. Optime vero dicit Ammianus quod ille *Ex Praefecto Praetorio* erat: ſiquidem poteſtatem illam anno 354. & 355. geſſerat (1): quemadmodum anno Chr. 530. Conſulatum obtinuit Poſtumius Lampadius, qui fortaſſe ad Lampadii noſtri familiam ſpectavit.

Alterutra, ſive potius utraque ex Praefecturis illis a Lampadio ſuſceptis ab Ammiano (2) memoratur cum ait quod ſub Ampelio Vrbis Praefecto, nimirum anno 371. *Lollianus Lampadii filius Ex-Praefecto cecidit funeſta carnificis manu*; ubi vero Symmachus (3) ait *Praefectus agendo negotio ſegnior viſus Lampadio ſucceſſore mutatus eſt, cuius moribus crediderunt impoſſibilia promoveri*, de Praetorii Praefectura intelligi profecto debet; cum Lampadium in Vrbanae Praefecturae munere proxime praeceſſerit Symmachi eiusdem pater, quem filius *agendo negotio ſegnem* non appellaſſet.

Ea vero de cauſa Lampadio noſtro *Poſtumii* nomen adieci quod ipſum unum eundemque fuiſſe putaverim qui in Sponii (4) Marmore nominatur

POSTVMIO LAMPADIO V. C.
ET INLVSTRI. CONS. CAMP.

quamvis, ut optime obſervavit Gothofredus, duo omnino Lampadii diſtingui debeant, ideoque Sponii Marmor ad Lampadium alium ſpectare potuerit.

Iuben-

(1) Viden. Tillem. in Valentin. art. 14. (2) Lib. XXVIII. c. 1. (3) Lib. VI. ep. 65. vid. L. IX. ep. 31. & Lib. VIII. ep. 61. 64. (4) Miſcel. Sect. V.

Iubentius Pannonius

An. V. C. 1119. *Chr.* 366. & 367.

VT in Ammiani (1) textu iam vidimus, Lampadii ſucceſſor *Viventius* fuit, qui a Scriptoribus aliis, & ab ipſo quoque Ammiano (2) *Iubentius*, ſive *Iuventius* appellatur, cumque Siſciae in Pannoniae Vrbe natus foret, *Pannonii* cognomen obtinuit. Variis autem Legibus V. Idus Apr. anni 366. & III. Nonas Maii anni 367. ad ipſum directis (3) erudimur quod annis illis Vrbi praefuit, ipſique poſtea Praetextatus ſucceſſit, cui 15. Kal. Sept. anni 367. Lex quaedam veluti *Praefecto Vrbis* inſcribitur (4).

Ac certe quidem Vrbanam ipſius Praefecturam ad diem uſque 24. menſis Auguſti, hoc eſt ad initum a Gratiano Imperium, perveniſſe ex illuſtri Symmachi (5) loco deprehendi, qui Theodoſio Gratiani adoptivo filio ſcribens ait: *ad incliti, ſemperque verendi genitoris veſtri manavit arbitrium, qui Iuventii clariſſimae, & inluſtris memoriae viri tunc Praefecti Vrbi inſinuatione conſultus quadam Reſcripti parte ſignavit*.

✠ Maximinus

An. V. C. 1119. *Chr.* 366.

ETſi Maximini huius nomen, eiuſque dira ſeveritas ab Ammiano (6) memoretur, ut ad annum 368. obſervabitur, ubique tamen ab illo Maximinus *Prae-*

fectus

(1) Lib. XXVII. c. 3. (2) Lib. XXVI. (3) Cod. Th. Lib. IX. t. 38. l. 3. & IX. t. 40. L. II. (4) Lib. VIII. tit. 14. l. un. (5) Libr. X. ep. 43. (6) Lib. XXVIII. c. 1. & 4.

Digitized by Google

ſectus Annonae, *Pro-Praefectus* vocatur, & *Romae Vicariam Praefecturam* rexiſſe dicitur; ideoque ex teſtimoniis illis Maximinus ille Praefectorum Faſtis inſcribi non poſſet.

Quod tamen ipſam quoque Vrbis Praefecturam aliquando ille geſſerit facile ex aliis Scriptorum teſtimoniis inferri poſſe videtur. Etenim Sozomenus (1) ſchiſma, vel civile fere bellum deſcribens, quod Romae poſt Liberii Papae mortem die 14. Septembris anno 366. exarſit cum Damaſus, & Vrſinus a clero, atque a populo electi forent, ait ſeditiones, & caedes in Vrbe contigiſſe εἰσότε δὴ ὁ τῆς Ῥώμης Ὕπαρχος πολλοὺς τοῦ δήμου, καὶ τοῦ κλήρου τιμωρίαις ὑπολαβὼν ἔπαυσε τὴν Οὐρσικίου ἐπιχείρησιν. *donec Praefectus Romae multis tum ex plebe, tum ex clero ſupplicio affectis Vrſicii conatum repreſſit*. Socrates (2) etiam haec ipſa memoravit, ſimulque Praefecti nomen expreſſit: διὰ τοῦτο πολλούς λαϊκούς τε, καὶ κληρικοὺς ὑπὸ τοῦ τότε Ἐπάρχου Μαξιμίνου τιμωρηθῆναι, καὶ οὕτω τὴν τότε Οὐρσῖνον παύσασθαι τῆς ἐπιχειρήσεως *quam ob cauſam multi tum clerici, tum laici a Maximino tunc Praefecto Vrbis ſupplicio affecti ſunt; atque ita tum Vrſinus a conatu ſuo abſtinuit*. Denique Ruſinus (3) ipſe, ex quo pleraque Scriptores alii hauſiſſe videntur, ait: *Quae res factione Maximini Praefecti ſaevi hominis ad invidiam boni, & innocentis verſa eſt Sacerdotis* Damaſi, *ita ut cauſa ad Clericorum uſque tormenta duceretur*.

Itaque, cum Maximinus ab his Scriptoribus *Praefectus Romae*, *Eparchus*, *Praefectus* vocetur, iis nempe titulis decoretur, quibus Vrbis Praefecti deſignari conſueverant, non plurimum profecto fallar, ſi Maximinum ipſum Praefectorum Faſtis hic inſeram.

Video quidem quod in Faſtis ipſis hoc anno, ſimulque anno proximo 367. *Iuventius*, ſive Viventius veluti

(1) Lib. VI. c. 23. (2) Lib. IV. c. 29.
(3) Lib. II. c. 10.

veluti Praefectus occurrit, eiuſque tempore ſeditionem excitatam eſſe teſtantur Marcellinus, & Fauſtinus Vrſini fautores, qui ſchiſmatis huius hiſtoriam conſcripſere. Sed obſervari etiam velim quod Ammiano (1) teſte Iuventius ipſe metu perculſus ex Vrbe exceſſit, tumque facile Maximinus eo abſente in clerum, ac plebem ſaevire caepit, donec 26. Octobris die Vrſinus exilio damnatus fuit; cumque 15. Septembris die ſequentis anni 367. ipſi reditus a Valentiniano Auguſto conceſſus fuiſſet, iterum Novembri proximo exul abire debuit ex eiusdem Auguſti decreto, qui ea de re ad Praetextatum tunc Vrbis Praefectum Reſcriptum edidit; quemadmodum anno proximo 368. ad Praetextatum ipſum Reſcriptum aliud 12. Iunii, vel Ianuarii die direxit, quo Eccleſia una, quae Vrſini fautoribus Romae ſupererat, adempta fuit (2).

Quod ſi fortaſſe cui libeat *Praefecti* nomen ea ſolum de cauſa Maximino conceſſum putare quod *Annonae Praefectus* foret, aut Praefecti vices impleverit, id per me licet; eius tamen nomen in perſpicuis adeo Veterum teſtimoniis expreſſum hic omittendum eſſe non duxi; cum praeſertim anno 366. Praefectus Annonae foret Iulianus, ut in Theodoſiano Codice apparet; ac Maximinus nonniſi nonis Aprilibus anni 368. Annonae Praefectus occurrat, unus idemque, ut videtur, qui anno 366. Tuſciae Corrector invenitur.

Vale-

(1) Amm. Lib. XXVII. c. 3. (2) Vid. Baron. ad an. 376.

Valerianus

An. V. C. 1119. *Chr.* 366.

DVM Valeriani nomen Praefectorum Faſtis hic inſero vulgatum Theodoſiani Codicis textum ingenue ſequor, licet ille facile depravatus eſſe poſſit, ut certe doctiſſimis viris eſt obſervatum. In eo *Gratiano nobiliſſimo puero & Dagalaiſo Coſs.* hoc eſt anno 366. Lex quaedam 3. Kal. Decembres edita reperitur (1), quae *ad Valerianum PF. V.* dirigitur. Quum tamen Viventius hoc anno Kalendis Octobribus Praefecti munus ſuſceperit, ipſique ineunte Maio Praetextatus anno ſequenti ſucceſſerit, Pagius (2) in Legis titulo non *Valerianum*, ſed *Viventium*, reſcribendum eſſe putavit; licet Gothofredus in ſolo Valeriani titulo erratum, ideoque vel *Pro-Praef.* vel PF. VIC. legendum eſſe coniecerit. Certe Valerianus ille, ut ex Legibus aliis apparet, anno ſuperiore *Hiſpaniae Vicarius* erat, ideoque facile Romae quoque *Vicarii* munere hoc anno fungi ille potuit.

Plurimis tamen exemplis aliis erudimur quod unius Praefecti tempus ſaepe aliquando a Praefectis aliis veluti ſuffectis, interruptum fuit; nihilque proinde eſſe poteſt quin Valerianus ille editae Legis tempore non *Vicarii*, ſed *Praefecti* munere fungeretur; cum praeſertim 5. Kal. Maias ſequentis anni 367. Lex quaedam *ad Magnum. Vicarium Vrbis Romae* dirigatur. Perperam vero Reineſius (3) *Voluſiani* nomen in eius Legis titulo reſcribi oportere putavit; cum *Voluſiani* Praefecti nomen in Faſtis anno ſolum 364. & 373. nobis occurrat, ideoque hoc anno 366. temere intrudi non poſſit.

* Caius

(1) Lib. IX. tit. 1. l. 9. (2) Crit. ad an. 372. (3) Epiſt. 27.

✠ Caius Iulianus Pomponius Pudens Severianus

Cir. an. V. C. 1119. *Chr.* 366.

INfra pulcherrimum Herculis ſimulacrum hic titulus apud Muratorium conſpicitur (1)

DEO HERCVLI
C. IVLIANVS. POMPONIVS. PVDENS
SEVERIANVS
V. C. PRAEF.
VRB.

Niſi inſignis in ipſo Marmoris titulo varietas haberetur, facile haec Epigraphe cum proxime ſequenti confundi, ac utrobique *Iunius* reſcribi poſſet. Quod ſi cui libeat unicum eundemque Vrbis Praefectum in utroque Marmore deſignatum cenſere, facile arbitrari ille debet quod geminus titulus, aut duplex Marmor eidem Herculi dicatum fuit.

✠ Caius Iunius Pomponius Pudens Severianus

Cir. an. V. C. 1119. *Chr.* 366.

SI rite Marmor in Muratorii (2) Schedis expreſſum fuit, alterius Praefecti nomen habebitur, quod a ſuperiori fere cognomine diſtingui debeat

(1) Pag. 71. 9. (2) Pag. 711. 6.

HERCVLI INVICTO
C. IVNIVS. POMPONIVS
PVDENS SEVERIANVS
V. C.
PRAEF. VRBI

Marmor ipſum a Grutero (1) quoque editum fuerat, ideoque de vera characterum, vocumque forma dubitari non poteſt.

Severiani cuiusdam nomen, qui a Philippo Auguſto ſocero Myſiae ac Macedoniae Praefectus fuit, a Zoſimo (2) memoratur; & Severianus alius anno 349. ut ex Legibus (3) apparet, Aſiae Proconſul fuit; quemadmodum de Severiano duce anno 366. in Cod. Theodoſiano (4), & Ammiano (5) mentio reperitur. An vero Severianus Praefectus in Marmore memoratus ad aliquem ex illis referri poſſit, divinare certe non poſſumus, cum nullus omnino temporis character ex illo exſculpi poſſit.

Itaque plane non video qui Reineſius (6) hunc Severianum eius Pomponii Baſſi filium fuiſſe dixerit, qui anno 953. Conſul fuit, ipſumque ex ea Tib. Claudii Severi filia ſuſcepit, quam Elagabalus, marito occiſo, uxorem duxit. Etenim affinitas, quae in *Severi*, ac *Severiani* nominibus reperitur, tanti certe non eſt, ut ipſius praeſidio aut Severiani pater, aut aetas inferri poſſit; cum praeſertim *Pomponii* plures, pluresque *Severi*, ac *Severiani* in Hiſtoricis, ac Marmoribus offendantur.

Nec multo ſane felicior Gothofredi coniectura cenſeri poterit, qui Severianum hunc in Marmore memora-

(1) Pag. 47. 4. (2) Lib. I. (3) Cod. Th. Libr. XVI. tit. 2. l. 9. (4) L. V. tit. 5. l. 1. (5) Lib. XXVII. c. 1. (6) Epiſt. 64.

moratum cum eo Severino confundi poſſe putavit, qui anno 423. & 424. Vrbi praefuit. Etenim, ut nominis varietatem omittam, Severianus iis temporibus florere debuit, quibus Ethnica ſuperſtitio adhuc vigebat, quod de Severini Praefecti aetate, ſive anno Chr. 424. facile concedi non poterit.

Vettius Agorius Praetextatus

An. V. C. 1120. *Chr.* 367.

VRbanam Praefecturam, ſimulque plurimas dignitates alias a Praetextato ſuſceptas eximium Gruteri Marmor oſtendit (1)

VETTIO AGORIO PRAETEXTATO V. C.

PONTIFICI VESTAE	QVAESTORI
PONTIFICI SOLIS	CANDIDATO
QVINDECIMVIRO	PRAETORI VRBANO
AVGVRI	CORRECTORI TV
TAVROBOLIATO	SCIAE ET VMBRIAE
CVRIALI	CORRECTORI
NEOCORO	LVSITANIAE
HIEROPHANTAE	PROCONSVLI
PATRI SACRORVM	ACHAIAE
	PRAEFECTO VRB.
	PRAEF. PRAETORI
	ITALIAE ET ILLYRICI
	CONSVLI
	DESIGNATO

(1) Pag. 1102. 2.

Digitized by Google

DEDICATA KAL. FEB.
DN. FL. VALENTINIANO AVG. III.
ET EVTROPIO. COSS.

Eadem fere tanti viri munera in alia quoque Gruteri (1) Epigraphe recenſentur, quae enormiter adeo in prima Gruteri editione luxata fuerat, ut a Tillemontio (2) reiecta fuerit. Ceterum, ne dignitates alias hic perſequar, Praetextatus Achaiae Proconſul a Iuliano Auguſto anno 364. electus fuit (3), idque mirifice confirmatur a Gruteri Marmore, quod hoc anno 367. a Gortyniis beneficiorum marmoribus excitatum videtur (4)

ΑΓΟΡΙΟΝ ΠΡΕΤΕΣΤΑΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΗΣ ΤΩΝ ΝΗΣΩΝ
ΔΟΓΜΑΤΙ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΑΣ ΓΟΡΤΥΝΙ. ΒΟΥΛΗΣ
ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ
Ο ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ ΥΠΑΤΙΚΟΣ ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Agorium Praetextatum clariſſimum Praefectum Cretae *Inſularum reginae decreto ſplendidi Gortyniorum Senatus OEcumenius Doſithei* filius *Aſclepiodotus Clariſſimus Conſularis dedicavit*.

Hinc vero facile intelligitur cur *Fabia Aconia Paulina Aconii Catulini V. C. Ex Praef. & Ex Conſulis deſignati ſacrata apud Eleuſinam, & Laernam, Aeginam* dicatur, quod illa nimirum una cum coniuge Graeciam inviſerit.

Quo

(1) Pag. 486. 3. (2) In Valentin. Art. 15.
(3) Vid. Tillem. in Iulian. Art. 14. (4) Grut. 309. 2. 3. 4.

Quo vero tempore Praetextatus dignitates alias occupaverit, definiri vix poteſt. Illud unum ex Legibus apparet quod 15. Kal. Septem. anni 367. iam Vrbi praeeſſe caeperat (1), eodemque munere proximo etiam anno 368. fungebatur 3. Kal. Febr. ut ex Lege ipſi inſcripta (2) deduci poterit; longeque ſerius, ideſt anno 384., Praetorio Praefectus erat (3). Proxime tamen poſt eiuſmodi dignitatem a Praetextato iam ſene ſuſceptam, & Symmacho (4) memoratam, e vivis exceſſit, eiuſque mors in Epiſtola anno 384. ſive potius 385. exarata a Symmacho ipſo deſcribitur (5). Itaque ſtatua, & titulus eodem anno 385. ipſi dicatus videtur, quum ceteras quidem dignitates omnes in Marmore memoratas geſſiſſet, ſed Conſulatum tamen, qui ipſi decretus fuerat, fato praereptus obire non potuiſſet.

Quintus Clodius Hermogenianus Olybrius

An. V. C. 1121. *Chr. 368. 369. & 370.*

NVllus propemodum Praefectus Vrbis occurrit, cuius frequentior in Marmoribus mentio habeatur. Etenim in Gudii, ac Reineſii Marmore legitur (6)

CLODIVS HERMOGENIANVS

OLYBRIVS V. C.

PRAEF. VRB.

CVRAVIT

apud

(1) Cod. Th. Lib. VIII. tit. 14. l. un. (2) Lib. VI. t. 5. l. 2. (3) Lib. XIII. tit. 3. l. 8. & Cod. Iuſtini Lib. I. t. 54. l. 5. (4) Lib. X. epiſt. 34. 37. (5) Lib. X. ep. 23. 24. 25. Vid. Lib. I. ep. 38. 49. & Tillem. in Theod. art. 23.
(6) Pag. 121. 5. Cl. VI. 25.

apud Gruterum (1)

HERMOGENIANVS OLYBRIVS
V. C. CONSVL ORDINARIVS

apud Fabrettum, & Donium (2)

CLODIO HERMOGENIANO
OLYBRIO V. C. FRATRI
ADMIRANDAE PIETATIS
FALTONIVS PROBVS
ALYPIVS V. C.

Apud Fabrettum ipſum (3), Muratorium (4), & Maſſeium (5) lamina aerea cum epigraphe

DE ORTVM	CLODI
OLYBRI V. C.	HERMO
SVM PRE	GENIAN
FECTI PR	IVC EX PR
ETORIS N	EFECTO
OLI ME T	VRBI DE O
ENERE	RTVM I
NON T	PSIVS
IBI EX	SVM
PEDET	

denique apud Gruterum (6) ipſum Marmor aliud reperitur, in quo praeter uxoris nomen plures quoque Olybrii dignitates recenſentur.

TYRAN-

(1) Pag. 353. 1. (2) Cap. X. n. 304. Cl. V. 77.
(3) Cap. VII. p. 523. (4) Pag. 691. 2. (5) Muſ. Ver. 311. 1.
(6) Pag. 353. 2.

Digitized by Google

TYRANNIAE ANICIAE
IVLIANAE C. F. CONIVGI
Q. CLODI HERMOGENIANI
OLYBRI. V. C.
CONSVLARIS CAMPANIAE
PROCONSVLI AFRICAE
PRAEFECTI VRBIS
PRAEF. PRAET. ILLYRICI
PRAEF. PRAET. ORIENTIS
CONSVLIS ORDINARI
FL. CLODIVS RVFVS V. P.
PATRONAE PERPETVAE

Itaque lapis hic poſitus fuit poſt annum 379. quo Olybrius ipſe Conſul proceſſit, cum anno 358. Conſularis Campaniae, & Africae Proconſul fuiſſet; ideoque facile anno 370. quo e vivis exceſſit; cum Symmachus (1) Olybrii gener, ac Vrbis Praefectus ad Theodoſium, & Arcadium ſcribens dixerit quod Olybrius *ante annos fere quindecim vitam peregit*.

Antequam vero fato concederet, eoque tempore, quo Vrbi praeerat ipſum gravibus morbis cruciatum ſuiſſe tradit Ammianus (2). Siquidem de Maximo, vel Maximino loquens, qui *rexit quondam Romae Vicariam Praefecturam*, ait quod *Chilo Ex-Vicario, & coniux eius Maxima nomine queſti apud Olybrium ea tempeſtate Vrbi Praefectum.. negotio tepeſcente propter diuturnam morborum aſperitatem, qua tenebatur Olybrius ... libello petiverunt oblato ut examinandum iurgium Praefecto mandaretur Annonae Maximino* .. Valentinianus *Maximino Romae agere diſpoſito Pro-Praefectis ſociavit ad haec cognoſcenda Leonem Notarium poſtea Officiorum Magiſtrum*.

Itaque

(1) Lib. X. ep. 47. (2) Libr. XXVIII. c. 1. & 4.

Itaque corrigendus hic obiter Euſebii locus, qui in Chronico ad annum 371, ait; *Maximus Praefectus Annonae maleficos ab Imperatore inveſtigare iuſſus plurimos Romae nobilium occidit*. Siquidem Praefectus ille *Maximinus* vocabatur, ut inferius etiam ad annum 371. obſervabitur.

Denique quod Olybrius ipſe non modo anno 368. ſed etiam 369. & 370. Vrbi praefuerit ex pluribus ſane Legibus inferri debet, quae iis annis editae, atque ad ipſum veluti P. V. directae reperiuntur, quas accurate Gothofredus enumerat; quarum prima (1) 14. Kal. Apr. anno 368. poſtrema (2) 4. Idus Martii anni 370. data fuit, duobus nimirum menſibus ante quam Principio eius ſucceſſori Lex alia inſcriberetur die 3. Kal. Maias, ut mox indicabitur.

✠ Principius I.

An. V. C. 1125. *Chr.* 370.

IN Theodoſiano Codice (3) Lex invenitur 3. Kal. Maias *Valentiniano & Valente III. Coſſ.* anni 370. ad *Principium Praefectum Vrbis* directa. Itaque, licet Ammianus (4) aſſerat quod Olybrio Vrbis Praefecto Ampelius ſucceſſit, idque poſt 12. Martii diem contigiſſe debuerit, qua Olybrius ex Legibus adhuc Vrbi praeerat, fieri tamen potuit ut Ammianus ipſe Principium Voluſiani inſtar omiſerit. Gothofredus quidem hanc legem forte ad annum 387. referendam eſſe putavit, quo Valentinianus iterum Conſul occurrit, At eo anno Valentiniani Collega fuit Eutropius; eoque anno trium Auguſtorum nomina Legi praefigi non

(1) Lib. XI. tit. 31. 3. (2) C. T. Lib. XIV. t. 9. l. 1.
(3) Lib. XIII. t. 3. l. 10. (4) Lib. XXVIII. c. 4.

Digitized by Google

non poterant, quae in Lege ad Principium data obſervantur. Si quis error in Leges ipſas irrepſit, facile in ea (1) admitti poterit, quae anno 384. Idibus Febr. *ad Principium P. V.* edita reperitur, cum eo anno non *Principius*, ſed *Pinianus*, Praefecti munere fungeretur.

Ceterum *Principius* ille, qui Vrbi praefuit, unus idemque facile fuit, qui a Symmacho (2) *Vir Clariſſimus Principius genere, & probitate conſpicuus* appellatur, ac Principius ille, cui Lex Idibus Februariis anni 384. veluti *Praetorio Praefecto* dirigitur (3), licet ibi quoque P. V. legatur.

✠ Viventius

An. V. C. 1124. *Chr.* 371.

IN Theodoſiano Codice (4) Lex quaedam 3. Idus Febr. anno 371. edita reperitur, quae *ad Viventium P V.* dirigitur. An vero Viventius iſte unus idemque eſſe debeat, qui anno 368. 369. & 370. Praefectus Praetorio fuit, ut pluribus Theodoſiani Codicis Legibus erudimur; definiri non poterit; cum praeſertim eodem ipſo anno 371. in Lege 4. Kal. Iulias edita Viventius ipſe PF. P. vocetur: perinde ac ſi unus idemque civis modo *Praetorio*, modo *Vrbi* praefuerit; ſive potius Viventii duo ſimul floruerint; quemadmodum uno eodemque anno 363. *Saluſtius* Praetorio Galliarum Praefectus, & Conſul, itemque Saluſtius alter Praetorio Orientis Praefectus erat, ut ex Theodoſiano Codice apparet. At fieri quoque potuit ut Viventius aliquis vero *Iuventii* nomine vocari, & a Viventio diſtingui

(1) Cod. Iuſt. Lib. I. tit. 48. li 2.
(2) Lib. VI. ep. 32.
(3) Cod. Iuſt. Lib. I. tit. 48. l. 2.
(4) Lib. XV. t. 7. l. 1.

Digitized by Google

gui debeat. Certe Gothofredus Viventium ipſum hoc anno 4. Kal. Iulias Praetorio praefuiſſe putat dum Ampelius Vrbi praeeſſet.

Ampelius Antiochenus

An. V. C. 1124. *Chr.* 371. & 372.

QVO tempore hic Ampelius Praefecti munus ſuſceperit, an illud in ſuperioris anni fine, ſive hoc anno 371. ineunte auſpicatus fuerit ignoramus. Suſpicari tamen facile poſſumus quod antequam ſuperior annus deſineret Vrbi praeeſſe ille caeperit; cum Kalendis ipſis Ianuariis Lex edita reperiatur (1), quae ad ipſum tanquam *Vrbis Praefectum* dirigitur.

Ampelii vero Praefecturam, patriam, & honores alios antea ſuſceptos memorat Ammianus (2) ubi de Olybrio loquutus ait: *Poſt hunc Vrbem rexit Ampelius Antiochiae genitus ex Magiſtro Officiorum ad Proconſulatum geminum, indeque multo poſtea ad Praefecturae culmen evectus.* Etenim Ampelius ipſe anno 364. Achaiam, moxque Africam regendam ſuſceperat (3).

Hoc ipſum Vrbani Praefecti munus ab Ampelio ſuſceptum Ammianus alibi memoravit ubi de Hymettio quodam iampridem Africae Proconſule ait: *ad Oppidum ductus Ocriculum audiendus ab Ampelio Vrbis Praefecto, & ex Maximino Vicario.. data ſibi copia rectius Imperatoris praeſidium appellavit.*

Ceterum ab Ampelio Praefecturam proximo quoque anno 372. ad Quintilem uſque menſem continuatam fuiſſe ex Valentiniani Lege cognoſcimus, quae 3. Nonas

(1) Cod. Th. Lib. XV. tit. 10. l. 1. (2) Lib. XXVIII. c. 1. & Symm. Lib. V. ep. 64. 66. (3) Viden. Tillem. in Valentin. art. 22.

Digitized by Google

Nonas Iulii anno 372. edita (1), & *Ampelio P. V.* inſcripta reperitur. Itaque, licet in Iuſtiniani Codice (2) Lex habeatur, quae 5. Kal. Iunias anni 372. edita ad *Apronianum Praefectum Vrbi* dirigitur, in illa vel Conſulum nomina depravata ſunt, vel potius *Ampelii* nomen in titulo reſcribi debet. Ampelius autem ille hoc eodem anno ex Vrbana ad Praetorianam Praefecturam evectus fuit, ideoque 3. Nonas Iulias ad ipſum PF. P. Leges aliquae diriguntur.

✠ Bappo

An. V. C. 1125. *Chr.* 372.

HViuſce Praefecti nomen in Theodoſiano Codice (3) Legi praefixum conſpicitur, quae IV. Kal. Sept. *ad Bapponem P. V.* dirigitur. Ac Valeſius (4) quidem exiſtimavit Bapponem hunc in Legis titulo memoratum non Romanae, ſed Conſtantinopolitanae Vrbi praefuiſſe.

Quum tamen Conſtantinopoli eodem anno Clearchus Praefecti munus obiverit; & Lex illa *Naſonaci* edita ſit, locus autem ille, quicunque demum fuerit, in Gallia ſolum, ut Gothofredo obſervatum, eſſe debuerit, perſpicue apparet quod Praefectus ipſe ad Vrbem Romam ſpectavit.

Itaque Bappo, qui ab Ammiano inter Tribunos recenſetur, qui anno 355. adverſus Lentienſes Alamannos militarunt, eoque in bello *Promotos* duxit, poſt varios militiae, & honorum gradus ad Vrbanam Praefecturam evectus videtur.

(1) Cod. Th. Lib. VI. t. 14. l. 1. (2) Lib. I. tit. 40. l. 5.
(3) Lib. VI. tit 4. l. 21. (4) Ad Ammian. Lib. XV. c. 4.

Digitized by Google

✠ Sextus Petronius Probus

Cir. an. V. C. 1125. *Chr.* 372.

FOrtaſſe vix ullus ex Romanis Proceribus afferri poterit, cuius illuſtrior, ac frequentior mentio, ſimulque uberior dignitatum ab ipſo ſuſceptarum ſeries occurrat, quam Sextus Petronius Probus, quem his temporibus Praefectorum Faſtis inſcripſi. Vt enim omittam eius nomen in plurimis Auguſtorum Legibus saepiſſime memorari, dignitates ipſi collatae in duobus etiam Marmoribus a Grutero (1) exſcriptis perſpicue recenſentur. Frequenter etiam eius honores, & laudes ab Ammiano (2), Symmacho (3), Claudiano (4), aliiſque Scriptoribus celebrantur, quos Gothofredus (5) indicavit. In tanta vero Scriptorum copia, ac monimentorum luce quis crederet Vrbanam ipſius Praefecturam, quam facile profecto ille geſſit, ab Auſonio ſolum, & quidem obſcurius, memorari? Etenim Scriptor ille anno 371. ad Probum Illyrici Praetorio tunc Praefectum ſcribens (6) eum deſcribit

Qui ſolus, exceptis tribus
Heris, herorum primus eſt,
Praetorioque maximus.
Dico hunc Senatus Praeſulem,
Praefectum eundem, & Conſulem
Collegam Auguſti Conſulis,
Columen Curulis Romulae,

Primum

(1) Pag. 450. 4. & 5. (2) Lib. XXVII. c. 11. Lib. XXVIII. c. 1. Lib. XXX. c. 5. (3) Lib. I. ep. 50. 51. 52. &c.
(4) In Proſopogr. Cod. Theod. (5) De Conſ. Probini & Olyb. v. 59. (6) Epiſt. 16. ver. 15.

Digitized by Google

Primum in ſecundis faſcibus ,
Nam primus e cunctis erit
Conſul ſecundus Principi .

paucifque interiectis ſubdit (1)

Qui vincit aevi iniuriam
Stirpis novator Ammiae ,
Paribuſque comit Inſulis
Aniciorum ſtemmata .

Quum Probus iſte anno 371. una cum Gratiano Auguſto Conſul proceſſerit , *Conſul Collega Auguſti Conſulis* ab Auſonio vocatur ; cumque Aniciam Faltoniam Probam uxorem duxerit , *paribus Inſulis* , hoc eſt dignitatibus , quas Anicii geſſerant , ipſorum ſtemmata decoraſſe dicitur .

Quandoquidem vero Auſonius tres nobiliores Probi dignitates ab illo geſtas enumerans ait ipſum *Senatus Praeſulem* , *Praefectum* , *&* *Conſulem* fuiſſe , ideoque munus , quo Senatui ille praefuit , a Praetorii Praefectura diſtinguit , quid veriſimilius eſſe unquam poteſt , quam Probum ipſum aliquando Vrbi quoque Praefectum fuiſse ? Certe Praetorii Praefectus *Senatus Praeſul* appellari non poterat ; atque ubi fortaſse Auſonius exiſtimaſset Praetorii Praefectum alio quoque nomine *Senatus Praeſulem* vocari potuiſse, quid hic Probum Senatus Praeſulem , ac *eundem Praefectum* fuiſse diceret, niſi ut dignitatem unam ab alia diſtingueret? Itaque , cum Vrbis Praefectus ab aliis etiam Scriptoribus *Senatus Praeſul* vocetur , ut opportune iam alibi demonſtravi , quis non intelligat honoribus aliis , quibus hic Probus decoratus fuit , ipſam quoque Vrbis Praefecturam aliquando geſtam accenſendam eſse ?

Optime

(1) Ver. 31.

Optime quidem video, ingenueque fateor quod in Marmoribus omnibus, in quibus variae dignitates a Probo ſuſceptae recenſentur, nulla prorſus Vrbanae Praefecturae mentio reperitur. Sed obſervari etiam velim quod Marmorum ipſorum aliqua ante ſuſceptum ab eo Conſulatum, ideoque ante annum 371. exarata ſunt; ideoque Vrbanae Praefecturae, quam facile poſt Conſulatum obtinuit, meminiſse non poterant. Eiuſmodi eſt certe Graeca Inſcriptio, quam Tournefortius (1) Gortynae in Creta reperit

ΠΕΤΡΟΝΙΟΝ ΠΡΟΒΟΝ

ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ

ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΑΙ

ΑΠΟ ΥΠΑΡΧΩΝ ΠΡΑΙΤΩΡΙΩΝ

Γ ΔΟΓΜΑΤΙ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΑΣ

ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ ΒΟΥΛΗΣ

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ

ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ

ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ ΥΠΑΤΙΚΟΣ

ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Petronium Probum

Clariſſimum

Proconſulem &

Ex-Praefectis Praetorio

III. decreto illuſtris

Gor-

(1) Tom. I. pag. 75. Hagenb. Epiſt. Epig. p. 111.

Gortyniorum Senatus

Oecumenius Doſitheus

Aſclepiodotus

Clariſſimus Conſularis

Erexit .

Vides hic Conſulatum, poſtremamque ex quatuor Praefecturis, quas ille geſſit, omitti. Ita quoque in Veronenſi Marmore Italiae Praefectura omittitur, ſed incognita quaedam *Graeciae*, & *Veronenſium* Praefectura obtruditur (1)

V. F.

IVNONI SACRVM
PETRONIO PROBO V. E.....
TOTIVS ADMIRATIONIS V....
PROCOS. AFRICAE ET
PRAEF. PRAET. ILLYRICI
PRAEF. GRAECIAE GALLIAE II.
PRAEF. PRAET. GALLIAE
ATQVE AFRICAE
PRAEF. VERON. III.
CONS. ORDINARIO
CIVI EXIMIAE BONITATIS
DISERTISSIM. ATQVE OMNIBVS
REBVS ERVDITISSIM.

Facile Hagembuchio conceſſerim hanc Epigraphem ex tribus omnino Marmoribus temere coniunctis coaluiſse;

(1) Grut. pag. 450. 1. Murat. pag. 385. 4.

iſſe; ut nimirum priores verſus duo ad unum, poſtremi tres ad aliud Marmor ſpectaverint. Conceſſerim quoque in reliqua parte, quae ſola de Probo noſtro loquitur; in quinto & ſexto verſu PREF. PRAET. GALLIAE II. PRAEF. PRAET. ITALIAE legendum eſſe. Semper tamen Praefectura quaedam ab aliis omiſſa ſupererit, nimirum VERON. III. quae fortaſſe, ſi PRAEF. VR. ROMAE legatur, PRAEF. VRBIS fuit. Quid vero quod in ipſo quoque Marmore, quod anno 1742. Romae effoſſum fuit (1), atque anno 378. excitatum fuerat, Galliarum Praefectura omnino reticetur?

PETRONIO PROBO
VIRO CONSVLARI
PROCONSVLI AFRICAE
PER ILLYRICVM ITALIAM ET AFRICAM
CONSVLI ORDINARIO
VENETI ATQVE HISTRI
PECVLIARES EIVS
PATRONO PRAESTANTISSIMO

in adverſa parte

VI. ID. AVG.
VALENTE VI.
ET VALENTINIANO II.
AVG. CONS.

Ita propemodum Claudianus ubi varias Petronii Probi dignitates enumerat, Praefecturam ipſam Galliarum omittit: ut proinde mirari non ſubeat ſi in Le-

(1) Vid. Hagen. Ep. Epigr. pag. 113.

in Legibus, ac Marmoribus eadem illa Vrbis Praefectura diſſimuletur. Accedit etiam quod Probus eo fortaſſe munere plurium inſtar fungi potuit dum ſimul alio *Praefecti Praetorio* munere decoratus erat; ideoque in Legibus *Praetorio Praefecti* titulo deſignatur. Addi etiam poterit quod Probus ipſe non ſupremam, ſed vicariam ſolum, Praefecturam geſſiſſe potuit, eaque de cauſa ab Auſonio *Senatus Praeſul* vocari.

Ac certe quidem Lex quaedam 7. Kal. Martii anno 372. edita (1) *ad Probum Vicarium Vrbis Romae* dirigitur, qui non alius fortaſſe fuit quam Probus hic noſter, ad quem veluti Praetorio Romae Praefectum Lex alia eodem anno 15. Kal. Martii *Romae propoſita*, directa fuit (2). Quod enim Cl. Gothofredus in ſuperioris Legis titulo peccatum eſſe, ideoque VI. C. PF. P. ideſt *Virum Clariſſimum Praefectum Praetorio* reſcribendum putavit, vix ac ne vix quidem admitti poteſt, niſi mira lectionis varietas, ac inſolitus titulus effingatur.

Ceterum, ut a variis dignitatibus a Probo ſuſceptis tandem digrediar, eiuſque mores, & caſus ab Auſonio indicatos opportune illuſtrem, aſſerit Auſonius quod Probus ipſe *vicit aevi iniuriam ſtirpis novator Amniae*. Quanam autem ratione id intelligi, vel explicari poterit, quam ſi dicatur Amniorum familiam, quae recens extincta, vel extinguenda fuerat, ab ipſo renovatam, vel inſtauratam fuiſse quod faeminam ex Amnia familia ſuperſtitem uxorem duxerit, atque ex illa Amnios filios ſuſtulerit? Certe *Amnius Manius Caeſonius Nicomachus Anicius Fauſtus Paulinus* occurrit, qui anno 331. Vrbi praefuit, eiuſque familiae, vel ſtirpis poſtremus eſse potuit; ut eius haeres ac filia Probo noſtro nupta ſtirpem ipſam editis liberis renovaverit;

L l

(1) Libr. XII. tit. 1. l. 77. (2) Libr. VII. tit. 22. l. 8.

verit, antequam Probus ipſe Aniciam Faltoniam Probam duceret, atque ex illa Anicium Probinum, Hermogenianum Olybrium, & Anicium Probum procrearet, quorum quilibet in Conſularibus Faſtis occurrit. Haec mihi ſuſpicio ex ſepulcrali Probi noſtri Epitaphio ſuboritur, in quo legitur

CONSVLIBVS PROAVIS SOCERISQVE ET CONSVLE MAIOR
QVOD GEMINAS CONSVL REDDIDIT IPSE DOMOS

quo plane innuitur ipſum duos ſoceros, ideoque duas uxores habuiſse, *duaſque domos* procreatis liberis reddidiſse.

Quandoquidem vero in Epitaphio ipſo dicitur quod Probus ſexageſimo aetatis anno e vivis exceſſit, eiuſque mentio in Legibus ad annum uſque 374. reperitur, facile brevi poſt annum illum occubuit, poſtquam *Senior donatus munere Chriſti*, ſacris nempe Chriſtianorum ritibus initiatus fuerat; ideoque Marmor illud, quod nuper Romae effoſsum fuit, ipſi iam defuncto dicatum fuiſset.

Ex duplici vero Praefecti Probi coniugio intelligi fortaſse debet quod *Aniciae Faltoniae Probae Amnios, Pincios, Anicioſque decoranti* titulus a filiis poſitus fuit (1), ſive quod Amnii, Pincii, & Anicii ad unam eandemque *Aniciam* gentem ſpectarent, ſive quod Amnii quoque ex priori Probi coniuge geniti ab ipſa etiam noverca decus acciperent.

Ceterum quaecumque demum vis huiuſmodi coniecturis illuſtrando Auſonii loco a me propoſitis eſse debeat, illud, ut opinor, perſpectum eſse iam poterit quod Petronio Probo ipſa quoque Praefecti Vrbani dignitas concedi debet; aut certe non prorſus immerito eius nomen Praefectorum Faſtis inſeritur.

* Caius

(1) Grut. pag. 352. n. 5.

✠ Caius Ceionius Rufius Voluſianus II.

An. V. C. 1126. *Chr.* 373.

VOluſiani nomen, quod in Praefectorum Serie ab Ammiano prorſus omiſſum, vel ignoratum eſſe iam vidimus, iterum hoc anno Faſtis inſcribendum eſſe demonſtrant Leges illae, quae hoc anno 4. Kal. Iul. 8. Id. Aug. & 3. Non. Sept. editae ad ipſum tanquam Vrbis Praefectum diriguntur (1). Ceterum, licet hic C. Ceionius Rufius Voluſianus a Gudio cum alio cognomine confundatur, qui anno Chr. 310. Vrbi praefuit, perſpicue tamen ab illo diſtingui debet, ut ad annum ipſum obſervavi; quemadmodum Marmora, quibus haec altera Voluſiani Praefectura indicatur, ad annum 365. protuli.

Flavius Eupraxius

An. V. C. 1127. *Chr.* 374.

EVpraxii nomen ſemel iterumque ab Ammiano memoratur. Etenim ubi ritus, & pompam deſcribit, qua anno 367. Valentinianus Auguſtus Gratianum Imperii participem fecit, ſubdit (2): *Eupraxius Caeſarienſis Maurus Magiſter ea tempeſtate Memoriae primus omnium exclamavit: Familia Gratiani hoc meretur, ſtatimque promotus Quaeſtor*. Sic etiam Ammianus ipſe Legationem memorans, quae a Romanis Patriciis ad Valentinianum Auguſtum anno 371. miſſa fuit, Eupraxii adhuc Quaeſtoris meminit. Itaque, ſi Qaeſtoris

(1) Vid. Tillem. in Valentin. Not. 21. & Art. 11.
(2) Libr. XXVII. c. 6. & XXVIII. c. 1.

munus anno 367. accepit, ut Tillemontius (1) exiſtimavit, integro ſex annorum ſpatio illud obtinuit; tandemque hoc anno 374. Vrbi praeeſſe caepit, ſaltem ad diem uſque 14. Februarii, ut ex Legibus (2) ad ipſum datis apparet.

Quamvis autem Quaeſtor, & Praefectus ille ſolo *Eupraxii* nomine deſignetur; ego tamen *Flavii* quoque nomen adieci quod ipſum unum eundemque fuiſse putaverim, qui in hoc Muratorii Marmore nominatur (3)

FORVM POPVLO ROMANO
DOMINI ET PRINCIPES NOSTRI
VALENTINIANVS. VALENS. ET GRATIANVS
CVRANTE. FLAVIO. EVPRAXIO. V. C.

Haec ipſa Vrbani Praefecti dignitas ab Eupraxio ſuſcepta a Symmacho (4) memoratur, quamvis ab illo ſolo exſcriptoris vitio *Cupraſius* appelletur.

Claudius

An. V. C. 1127. *Chr.* 374.

Ex Lege, cui Claudii Praefecti Vrbis nomen inſcribitur (5), perſpicue apparet quod 12. Kal. Iunii Eupraxio ſive amoto, ſive defuncto Claudius ipſe ſucceſſerat; poſtquam annis 368. & 369. & 370. Africae Proconſul fuiſſet (6).

Eiusdem Claudii veluti Praefecti nomen apud Ammianum (7) ipſum occurrit. Etenim ubi de Terentio lo-

(1) In Valentin. art. 8. (2) C. T. Lib. XI. tit. 36. l. 21. (3) Pag. 264. 8. (4) Lib. X. ep. 45. (5) Cod. Thod. Lib. XI. t. 36. l. 22. & Lib. XIII. tit. 1. l. 8. (6) Tillem. in Valentin. art. 3. (7) Lib. XXVII. c. 3. & XXIX. c. 3. 4.

tio loquitur, qui piſtor, mox Tuſciae annonariae Corrector fuerat, aſſerit quod ille *periit carnificis manu regente Claudio Romam*. Quamvis autem Ammianus Correctoris honorem poſt Procopii mortem, ideoque poſt annum 366. Terentio conceſſum fuiſſe dixerit, veriſimilius eſt tamen quod dignitatem illam annis 364. & 365. obtinuerit (1).

Claudii Praefectura iterum ab Ammiano (2) memoratur: *Claudio regente Vrbem aeternam Tiberis effuſione imbrium exuberans nimia omnia pene contexit. Hic ipſe Praefectus egit admodum quiete, nullam ſeditionem ſuper querela iuſta perpeſſus, & inſtauravit vetera plurima.*

Eius quoque mentio in Romano Marmore apud Gruterum (3) exraret, ſi Reineſii opinio admitti poſſet, qui Marmor illud ad hunc ipſum Claudium revocavit (4). Verum, ut opportunius ad annum 490. obſervabitur, in Marmore non *Claudius* hic noſter Vrbis Praefectus, ſed *Claudius Iulius Eccleſius Dynamius* longe recentior memoratur.

✠ Magnus

Cir. an. V. C. 1128. *Chr.* 375.

EXimia prorſus tanti Viri clementia, & humanitas optimo quocumque iure promeruit, ut ipſius memoria, ac illuſtre nomen in aureis *Officiorum* Libris aeternitati conſecrata foret, quos S. Ambroſius poſt annum Chr. 386. conſcripſit (5). Itaque eloquentiſſimus Scriptor conſilium Romae ſuſceptum memorans ut in maxima annonae caritate pauperes, & hoſpites Vrbe

(1) Viden. Tilem. in Valentin. art. 10. & 29. (2) Lib. XXIX. c. 6. (3) Pag. 1114. 14. (4) Epiſt. 19. (5) Vid. Tillem. Hiſt. Eccl. Tom. X. art. 92.

Digitized by Google

Vrbe excedere cogerentur, ſubdit (1): *Quanto ille rectius, qui cum iam provecta proceſſiſſet aetate, & famem toleraret Civitas, atque peterent vulgo ut peregrini Vrbe pellerentur, Praefecturae Vrbanae curam ceteris maiorem ſuſtinens convocavit honoratos, & locupletiſſimos viros, propoſuit ut in medium conſulerent... Quantae hoc commendationis fuit ſanctiſſimo ſeni, quantae apud homines gloriae! Hic Magnus vere probatus, qui vere potuit Imperatori dicere: Hos tibi omnes reſervavi... quanto hoc utilius, quam illud, quod proxime Romae factum eſt, eiectos eſſe Vrbe ampliſſima... Arriſerat anni foecunditas, invecticio Vrbs ſola egebat frumento: potuiſſet iuvari, ſi peterent ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur.*

Ex hoc illuſtri Ambroſii loco erudimur quod ipſius aetate ſemel iterumque Roma annonae caritate laboravit, cumque ſecundo hoc infortunio premeretur, exteri Vrbe pulſi ſunt. Itaque, cum Symmachi teſtimonio (2) conſtat quod anno 383. maxima annonae caritas, aut fames Romanos vexavit, exteri, qui civitatis iure non fruerentur, expulſi ſunt, nullus hic dubito quin poſterior haec calamitas ab Ambroſio indicetur, qui officiorum Libros proxime poſt annum 386. conſcripſit. Quandoquidem ergo Ambroſius ipſe teſtatur quod haec calamitas, ac exterorum expulſio *proxime* famem aliam conſequuta fuit, qua Praefecti Magni diligentia ditiorum opibus pauperes alti, & conſervati ſunt, Praefectus ille circa annum 375. collocari facile poterit, quo nullum Praefecti nomen in Faſtis occurrit.

Ac certe quidem Valentiniani ſenioris (3) Leges anno 367. *ad Magnum Vicarium Vrbis Romae* diriguntur, nihilque veriſimilius eſſe poteſt, quam quod Magnus ipſe Vicaria haec Praefectura praeclare geſta, ad ſupremam tandem

(1) Lib. III. c. 7. (2) Lib. X. Epiſt. 54. (3) Cod. Theod. Lib. VII. tit. 13. l. 3. & 4.

Digitized by Google

tandem dignitatem aſcenderit. Ita quoque Gothofredus ipſe obſervavit quod anno 373. Magnus quidam ſacrarum Largitionum Comes a Socrate (1), Sozomeno (2), Theodorito (3) memoratur, qui fortaſſe proximis annis Vrbi praefuerit; atque eximiae charitatis in pauperes, exteroſque merito ab Ambroſio laudari potuerit.

Quamvis enim Ambroſius ipſe obſcurius loquatur, in ambiguis tamen verbis illis: *hic magnus vere probatus* verum Praefecti nomen aperte ſatis indicatur, quamvis Cl. Muratorius illud incognitum eſſe putaverit (4). Id enim ſanctiſſimus Scriptor Ambroſius eo dicendi genere expreſſit quod Magnus Vrbis Praefectus hoc illuſtri humanitatis argumento ſe vere Magnum oſtendit; quemadmodum prorſus Corippus (5) de alio Magno dixit . . . . *meritis*, *&* *nomine Magnus*; & Sidonius de Magno Felice loquens ait (6) *Conſulari Viro vere Magno*.

Ceterum an Magni noſtri gentilis, ac pronepos fuerit *Magnus* ille, qui a Sidonio (7) *Magnus olim ex Praefecto*, *nuper Exconſule* vocatur, alii ſubtilius inquirant. Certe Magnus ille ad annum 460. in Conſularibus Faſtis occurrit; ſed ipſe non *Vrbi*, ſed *Praetorio* fortaſſe Galliarum praefuiſſe videtur, ideoque in hac Vrbanorum Praefectorum Serie recenſeri non debet.

Denique obſervandum eſt quod Gothofredus ad hunc Magnum in Codice memoratum ipſum quoque Gruteri (8) Marmor referri poſſe putavit. At Magnus ille ultimo veroque nomine *Quadratianus* vocabatur, & ad ſequiora tempora ſpectaſſe debuit, ut ad annum 443. obſervabitur.

Rufinus

(1) Lib. IV. c. 21. (2) Lib. VI. c. 19. (3) Lib. IV. c. 19. (4) Annal. Ital. ad an. 383. (5) Lib. I. (6) Ad Polemi. poſt Carm. 13. (7) Lib. I. epiſt. 11. (8) Pag. 177. 7.

Rufinus

An. V. C. 1129. *Chr.* 376.

QVum Rufini P. V. nomen in Lege (1) quadam VI. Kal. Iunias ad ipſum directa memoretur, dubitari non poterit quin ipſe hoc anno Vrbi praefuerit.

Symmachus (2) etiam eiusdem Rufini meminit in pluribus Epiſtolis, quae ad ipſum in *ſacro Auditorio cognitorem*, ac *iudicem*, Vrbanae nimirum Praefecturae munere fungentem, ſcriptae videntur; longeque clarior ipſius veluti Praefecti Vrbis mentio in Ep. 126. Libri VII. reperitur ubi ait: *Illuſtris memoriae Viri Rufini Ex-Praefecti Vrbi filias paterna affectione defendo*.

Gracchus

An. V. C. 1130. *Chr.* 377.

ETſi Praefectum hunc anno Chr. 377. adſcripſerim, tamen ex Lege (3) quae 1. Decembris die ad ipſum data fuit, erudimur quod vertente iam ſuperiori anno Gracchus ipſe Rufino ſucceſſerat, & ſequentis anni initio Vrbi praeerat, ut ex alia Lege (4) demonſtratur. Optime quidem novi quod in Theodoſiano Codice Gracchus ille in Legum titulo P. P. vocatur, at in Iuſtinianeo Codice (5) P. V. appellatur.

Ac certe quidem haec ipſa Gracchi dignitas teſtimoniis aliis mire confirmatur. Etenim Hieronymus in Epiſto-

(1) Cod. Iuſt. Lib. I. tit. 28. l. 3. (2) Lib. III. ep. & Lib. VIII. ep. 17. (3) Cod. Th. Lib. II. tit. 2. l. un. (4) Lib. IX. tit. 35. l. 3. (5) Lib. III. tit. 5. l. un.

Epiſtola VII. de ipſo loquens ait: *ante paucos annos propinquus veſter Gracchus nobilitatem Patritiam ſonans nomine, cum Praefecturam gereret Vrbanam, nonne ſpecum Mitbrae, & omnia portentoſa ſimulacra ſubvertit, fregit, exuſſit, & his quaſi obſidibus ante praemiſſis impetravit Baptiſmum Chriſti?* Itaque prorſus immerito a Baronio ambigitur an Gracchus ipſe vel *Vrbi*, vel *Praetorio* praefuerit, cum perſpicue diſerteque a Hieronymo Praefectura illa *Vrbana* dicatur.

Eximium vero pietatis, Chriſtianaeque religionis ſtudium, quo Gracchus ipſe Praefecti munere fungens falſorum Numinum ſimulacra abolevit, a Prudentio quoque adverſum Symmachum memoratur (1)

Iam quid Poblicolas percurram carmine Gracchos
Iure poteſtatis fultos, & in arce Senatus
Praecipuos ſimulacra Deûm iuſſiſſe revelli;
Cumque ſuis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos?

Gabinius Vettius Probianus

An. V. C. 1130. *Chr.* 377.

IN Gruteri (2) quidem Marmore Praefecti huius nomen occurrit, ſed Praefecturae tempus nullo prorſus charactere diſtingui poteſt

GABINIVS. VETTIVS
PROBIANVS. V. C. PRAEF. VRB.
STATVAM. CONLOCARI. PRAE
CEPIT. QVAE. ORNAMENTO
BASILICAE. ESSE. POSSET
INLVSTRI

 Quum

(1) Libr. I. ver. 645. (2) Pag. 1180. 11.

Quum tamen Auguſtorum Lex 15. Kal. Octobris anno 377. edita, & ad *Probianum P. V.* directa reperiatur (1), perſpicue apparet quod eodem anno Vrbi praeeſſe ille caepit.

Praefectus ipſe alterius quoque Marmoris praeſidio confirmatur, quamvis in illo mira prorſus obſcuritas, atque perplexitas offendatur (2).

GABINIVS. VETTIVS
PROBIANVS. V. C. PRAEF. VRB.
STATVAM. QVAE. BASILICAE
IVLIAE. A. SE. NOVITER
REPARATAE. ORNAMENTO
ESSET. ADIECIT

in ſiniſtro vere eiusdem baſis latere

DEDIC. XV. K. FEBR. PER
T. ARRIVM. BASSIANVM. C. V. CVR. OPER.
PVBLICORVM
. . . VLINIO II. ET AVFID. FRONTONE. COS.

Quum Anulinus II. & Aufidius Fronto anno Chr. 199. Septimii Severi Auguſti tempore Conſulatum ſuſceperint, qui fieri unquam poterit ut utrumque Marmor, quod ab uno eodemque Praefecto poſitum fuit, circa annum 377. ſive 416. dicari potuerit, quo Probianus alter in Praefectorum Faſtis occurrit?

Non alia certe ratione implexus hic nodus dirimi poterit, quam ſi Marmor ipſum iis Conſulibus, ideoque anno 199. in Auguſti, vel Civis alicuius honorem poſitum dicatur; moxque eraſa antiqua Epigraphe

(1) Cod. Theod. Lib. XI. t. 2. l. 3. (2) Grut. pag. 171. 7.

phe Probiani elogium in illo exaratum fuerit, ita tamen ut Conſulum nomina antiquo Marmori inſcripta non eraſa, ſed ibidem relicta fuerint; quemadmodum ſane huncce errorem in aliis etiam Marmoribus occurrere ad annum 414. obſervabitur, ubi de Albino Praefecto agendum erit.

Lucius Vocontius Vicaſius II.

Cir. an. V. C. 1130. *Chr.* 377.

HIS fere temporibus, atque inter annos 364. & 379. quibus Valentis Auguſti Imperium circumſcribitur, huius Vicaſii nomen Faſtis inſerendum erit, qui Valenti monumentum dicavit (1)

D. N. VALENTI
MAXIM. PRINCIPI
SEMPER AVGVST
L. VOCONTIVS. VICASIVS. V. C.
PRAEF. VRBI. ITER. PRAEF.
LEG. VI. PRAEF. PR. PR. PROV.
GAL. PROC. XX HER. EIVSDEM
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D.

Quum cetera in hac Epigraphe perſpicua videantur, obſcuritas aliqua in tribus ſiglis initio poſtremi verſus offendi poterit. Fortaſſe *Iudex Sacrarum Cognitionum* legi ibi poteſt; ut proinde exprimatur quod Vicaſius ille aliorum Praefectorum inſtar Vice Sacra indicaverit, vel *Iudex Sacrarum Cognitionum* fuerit, ac *devotus numini, maieſtatique eius* Valenti Auguſto ſtatuam *dedicaverit*.

(1) Grut. 286. 4.

Digitized by Google

Hypatius

An. V. C. 1132. *Chr.* 379.

IN Iuſtiniani (1) ac Theodoſii (2) quoque Codice Lex quaedam *Auſonio*, & *Olybrio Conſulibus*, hoc eſt anno 379. Nonis Aprilibus Treviris edita occurrit, quae *ad Hypatium P. V.* dirigitur. Ex aliis autem Legibus (3) erudimur quod ille anno 382. & 383. *Praetorio Praefectus* fuit; ideoque, cum Ammianus (4) de hac Praefectura iam ſuſcepta loquatur, perſpicuum fiet Scriptorem ipſum poſt annum 383. opus ſuum edidiſſe.

Quoniam vero hoc eodem anno pridie Nonas Auguſti, 10. Kal. Oct. & Kal. Nov. Leges ad *Potitum Vicarium Vrbis* datae in Theodoſii Codice (5) reperiuntur, perſpicue deprehenditur quod Hypatius extremis huius anni menſibus aut Vrbe abeſſe debuit, aut alia de cauſa ſuſcepto munere fungi non potuit.

Anicius Paulinus

An. V. C. 1133. *Chr.* 380.

BInae Gratiani Auguſti Leges (6) hoc anno 8. Kal. Maii, & 5. Kal. Maii editae *ad Paulinum Vrbis Praefectum* diriguntur, ideoque Paulinus ipſe hoc anno Praefectorum Faſtis inſcribendus erit. Non alius vero, ut opinor, is fuit, quam qui in exeſo Marmore adiecto Anicii nomine memoratur (7)

ANICIVS

(1) Lib. VII. t. 65. l. 6. (2) Cod. Theod. Lib. IX. t. 36. l. 26. (3) Vid. Gothof. Proſop. Cod. (4) Lib. XXIX. c. 2. (5) Lib. VI. t. 281. 2. & Lib. IV. t. 15. l. ult. & Libr. VIII. tit. 8. l. 2.
(6) Cod. Th. Lib. XV. tit. 7. l. 4. & 5. (7) Grut. 353. 5.

ANICIVS PAVLINVS . . . .
SEMIGNVS SANCTVS R. . . . .
PROCONS. AFRIC. CONS. . . . .
PRAEF. VRBI ACCEPIT S. . . . .

Lipſius tamen hoc Marmor ipſum, ſuppletis ingenio, ut opinor, lacunis integrius exhibet, ac in primi verſus fine addit IVN. V. C. in tertii ORD.; ceteros autem mutilos, ac hiulcos relinquit. Quum Marmor ipſum, ut accepi, interierit, omnis eius emendandi ſpes nobis adempta fuit. Fortaſſe in ſecundi verſus fine Anicius ille *Rationalis Vrbis Romae* dicebatur, atque in poſtremo indicabatur quod Ethnica ſacra accepit *ſub Sacerdote*, vel *Sacerdote* N. N. ut in pluribus aliis conſpicitur; niſi fortaſſe veteri, ſacraque formula *accepit* de ſacris Chriſtianorum ritibus intelligatur. Holtenius quidem Lipſium ſequutus de Anicio Paulino Iuniore Marmor accepit, ac Marmora ad annum 334. proferenda indicavit. Sed, ut opinor, hic ab illo diſtingui debet. Certe Sigonius (1) mutilum hoc Marmor de eo Praefecto intelligit, qui anno Chr. 380. Vrbi praefuit.

Arborius

An. V. C. 1133. *Chr.* 380.

ARborium quoque hoc eodem anno 380. Vrbi praefuiſſe ex Lege (2) Idibus Iuniis edita, atque ipſi inſcripta erudimur. Accedit etiam quod Severus Sulpitius (3) Arborium quendam *iam Praefectum* memorat; qui, ut optime Tillemontius (4) exiſtimavit, ex Drya-

(1) De Imp. Occid. Libr. IV. (2) Cod. Th. Libr. IV. tit. 3. l. 16. (3) Dial. III. c. 14. (4) In Grati. art. 12. & 22.

ex Dryadia Auſonii ſorore genitus erat . Ita quoque Arborius ipſe a Paulino (1) in S. Martini Vita memoratur . Fieri tamen fortaſſe poteſt , ut a Sulpicio non *Vrbis* , ſed *Praetorii* Praefectura exprimatur ; cum certe Arborius ipſe hoc eodem anno Praetorio praefuerit , ut in alia Lege 15. Kal. Martii edita conſpicitur (2) .

Valerianus

An. V. C. 1134. *Chr.* 381.

QVod Valerianus hoc anno Vrbi praefuerit Legibus illis (3) oſtendi poteſt , quae ad ipſum 4. Kal. Apr. ac 8. Idus Maii hoc anno ab Auguſtis directae ſunt , atque accurate a Gothofredo recenſentur . An vero unus idemque ille fuerit , qui anno 384. V. C. *praecelſae poteſtatis* , ſeu *potiſſimae dignitatis* a Symmacho (4) nominatur , definiri vix poterit , cum praeſertim hic in Epiro degeret .

Quoniam vero Lex prid. Idus Oct. hoc eodem anno ad *Potitum Vicarium Vrbis* dirigitur (5) , facile deprehendi poteſt quod civis ille , qui anno 379. Vicariam hanc Vrbis Praefecturam geſſerat , hoc etiam anno eodem munere functus fuit .

* Caius

(1) Lib. II. (2) C. T. Lib. VI. tit. 35. l. 9.
(3) Cod. The. Lib. VI. tit. 22. l. 5. Lib. VI. t. 10. l. 2. Lib. VI. tit. 26. l. 1. Vid. Till. in Grati. Nota. 18. (4) Lib. X. ep. 44. (5) Lib. IV. tit. 22. l. 2.

Digitized by Google

Caius Flavius Placidus Severus

An. V. C. 1135. *Chr.* 382.

IN Theodoſiano Codice (1) Leges a Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio Auggg. editae reperiuntur anno 382., quae ad *Severum P. V.* diriguntur, ideoque dubitari non poteſt quin Severi nomen hoc anno Praefectorum Faſtis inſcribi debeat.

Ad Praefectum ipſum hoc illuſtre Gruteri (2) Marmor referri facile poterit

FLAVIO PLAVDIO
SEVERO V. C. PRO. COS. ORI
ENTIS. V. S. IVDICANTI. PROCONS. PR. PR.
PROV. AFRICAE. ET. V. S. IVDICANTI.
PRAEF. VRBI. ET V. S. IVDICANTI. ITE
RVM. COMITI. ORD. PRIMI. INTRA. PA
LATIVM. PRAEF. PRAET. CONSVLI. ORD.
PLAVDIVS. SEVERVS. V. C. FILIVS. PATRI RELIGIOSO
ET. ANTONIA. MARCIANILLA. C. F. NVRVS.
SOCERO. SANCTISSIMO.

Quamvis enim hic *Plaudius*, non *Placidus* appelletur, vix tamen dubito quin ibi *Placidus* reſcribi debeat, ut in altero exemplo apud Gruterum ipſum occurrit (3), quod inferius proferetur. Optime quidem novi quod Gothofredus Severum hunc in pluribus Legibus anno 382. memoratum non *Urbi*, ſed *Praetorio*, Praefectum fuiſſe exiſtimat, ut ex argumento Le-

(1) Lib. XIV. tit. 18. l. un. (2) Pag. 1094. 6.
(3) Pag. 493. 5.

to Legum illarum apparet. At fieri fortaſſe potuit ut aliquando Vrbi quoque praefuerit; quemadmodum ſane in proximo Gruteri marmore tum *Vrbi*, tum *Praetorio* quoque Praefectus vocatur, & Gothofredus ipſe Legem Kal. Auguſti datam ad *Severum P. V.* directam eſſe concedit (1), quod ex ipſo quoque legis argumento deducitur. Hinc optime, ut opinor, Hagembuchius admonuit Severum hunc V. P. ab alio Severo diſtinguendum eſſe, qui uno eodemque anno Praetorio Praefectus fuit.

Quod ſi rite coniecerim Gudii Marmor a Severi Praefecti filio poſitum eſſe, tunc ceteris Severi nominibus ipſum quoque *Caii* praenomen adiungi debebit. Neque modo Praefecti praenomen in Grutero omiſſum ſuppleri, ſed ipſum quoque nomen emendari deberet, cum in Grutero ipſo non *Placidus*, ſed *Plaudius*, appelletur. Placidi vero nomen ubique ſcribendum eſſe, tum Gudii Marmor, tum alia quoque Inſcriptio perſpicue oſtendit, quae apud Gruterum ipſum initio mutila occurrit (2).

. . . .

V. S. IVDICANTI. PROCONS.
PROV. AFRICAE. ET. V. S. IVDICANTI
PRAEF. VRBIS. ET. V. S. IVDICANTI. ITE
RVM. COMITI. ORDIN. PRIMI. INTRA
PALATIVM. PRAEF. PRAET. CONSVLI
ORD. PLACIDVS. SEVERVS. V. C. FILIVS
PATRI. RELIGIOSO. ET. ANTONIA
MARCIANILLA. C. F. NVRVS. SOCERO
SANCTISSIMO.

Quum ergo ex Marmoribus iſtis appareat Placidum Severum, qui certe aliquando Vrbi praefuit, facile

(1) Lib. VIII. tit. 9. l. 2. (2) Pag. 493. 5.

cile ad hunc annum referri poſſe, Cl. Hagembuchii (1) coniectura refelli poterit, qui Severum in Codice memoratum unum eundemque fuiſſe arbitratur, qui in Gruteri (2) Marmore Gortyne poſito *Valerius Severus* vocatur

ΒΑΛΗΡΙΟΝ. ΣΕΒΗΡΟΝ. ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ. ΚΑΙ
ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΣΤΑΤΟΝ. ΕΠΑΡΧΟΝ. ΤΗΣ. ΒΑΣΙ
ΛΕΥΟΥΣΗΣ. ΡΩΜΗΣ. ΔΟΓΜΑΤΙ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ
ΤΗΣ. ΚΡΗΤΩΝ. ΕΠΑΡΧΙΑΣ
ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ. ΔΟΣΙΘΕΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ
Ο. ΛΑΜΠΡΟΓΑΤΟΣ. ΥΠΑΤΙΚΟΣ. ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Valerium Severum clariſſimum, magnificentiſſimumque imperantis Romae Praefectum Cretenſium Provinciae Senatuſconſulto Oecumenius Doſitheus Aſclepiodotus Conſularis Clariſſimus erexit.

Etenim, ſi vere Valerius ille Severus aliquando Vrbi Romae praefuit, a Flavio Placido Severo diſtingui, & ad annum alium nobis incognitum referri debet. Quum tamen Cretenſis Inſula ad Orientis Praefectum ſpectaret, Praefectus ille non *Romae veteri*, ſed *novae Romae*, hoc eſt Conſtantinopoli, praeſſe debuit, quae & ipſa quoque *Regia*, vel *Βασιλευουσα* Roma vocari conſuevit, ut optime Bulengerus (3), & Spanhemius (4) obſervarunt.

Ac certe quidem, ut id opportune nunc moneam, in contexenda Praefectorum ſerie maxima perturbatio, ac perplexitas oriri facile poterit, niſi veteris, veraeque Romae Praefecti, quos in hoc Opere recenſendos ſuſcepi, a novae Romae Praefectis accuratiſſime diſtinguantur.

(1) Epiſt. Epigraph. p. 222. (2) Pag. 1102. 1. (3) De Imp. Rom. Lib. II. c. 8. (4) In Iulian. Orat. I.

guantur. Id optime profecto Contelorius ipſe iam noverat, qui, cum ad annum Chr. 360. obſervaſset Conſtantinopoli quoque *Praefectos Vrbis* pari propemodum dignitate, & honore inſtitutos fuiſse, veniam a Lectoribus exoravit ſi fortaſse poſt annum illum Praefectus aliquis, qui non Romae, ſed Conſtantinopoli, praefuiſset, in Faſtos a ſe contextos irrepſiſset, eumque Lectoribus ipſis e ſerie expungendum relinquit. Sed longe, ut opinor, commodius, & accuratius fuiſset ſi Contelorius ipſe Praefectos illos, qui non Romae, ſed Conſtantinopoli, eo munere perfuncti ſunt, omnino indictos voluiſset, neque plurimos, quos immerito *incertae aetatis* eſse putavit, in Operis ſui calce memoraſset, qui non Romae, ſed Conſtantinopoli ſolum imperarunt. Quo vero charactere, ac indicio deprehendi poſſit an Praefectus aliquis in Legum titulo memoratus ad Romam, vel Conſtantinopolim referri debeat, variis ſubinde in locis indicavi, praeſertim vero fuſius, ac opportunius in Praefatione demonſtravi.

Hilarianus

An. V. C. 1136. *Chr.* 383.

SOlum Hilariani nomen, ac Vrbanae Praefecturae munus indicatum occurrit in Lege, quae in Iuſtinianeo Codice (1) 15. Kal Martias hoc anno edita reperitur

Quandoquidem vero in Theodoſiano Codice eadem fere Lex eodem anno, ſed 11. Kal. Martias, *ad Hilarium*

(1) Libr. VI. tit. 57. l. 4. Vid. Tillem. in Gratian. Art. 16.

larium *P. P.* directa legitur (1), Gothofredus ambiguum relinquit an Hilarius P. P. unus idemque cum Hilariano P. V. eſſe debeat; atque Hilarium hunc eſſe putat, ad quem Symmachus (2) ſcripſit.

Anicius Auchenius Baſſus

An. V. C. 1136. *Chr.* 383.

ILluſtris eius Viri memoria in Reineſii (3), & Gudii (4) Marmore nobis occurrit, quod antea mutilum a Fabretto (5) editum fuerat

ANICIO. AVCHENIO. BASSO. V. C. QVAESTORI
CANDIDATO. VNO. EODEMQVE. TEMPORE
PRAETORI. TVTELARI. PROCONSVLI. CAMPANIAE
PRAEFECTO. VRBI. TRINI. MAGISTRATVS
INSIGNIA. FACVNDIAE. ET. NATALIVM
SPECIOSA. LVCE. VIRTVTIS. ORNANTI

* * *

deinde vero in ſex lineis aliis, quae in Caſtalionis, ideoque etiam Fabretti Schedis omiſſae fuerant, poſt alias Baſſi laudes aſſeritur quod *in ipſo flore iuvenilis aetatis frugem maturae auctoritatis* oſtenderat.

Nullus autem hic dubito quin *Auchenius Baſſus* Vrbis Praefectus in Marmore nominatus unus idemque eſſe debeat, qui a Symmacho (6) modo *Anthenius Baſſus*,

(1) Lib. V. tit. 1. l. 3. (2) Lib. III. ep. 38. 39. 40. 41. 42.
(3) Claſ. VI. num 4. (4) Pag. 114. 1. (5) Cap. II. 225.
(6) Lib. X. ep. 33. Lib. X. ep. 39.

Digitized by Google

ſus, modo *Anthemius Baſſus*, modo *Anicius Baſſus* (1) vocatur. Siquidem, ut opinor, cum in Symmachi textu ſcriptum foret *Auchenius*, idque exſcriptoris vitio mutatum foret in *Anthenius*, infelix quidam Criticus vocem illam in uſitatius nomen aliud *Anthemius* convertit (2). Quamvis autem in Graeco Marmore neque *Anthemii*, neque *Auchenii* nomen exprimatur, veriſimile eſt tamen quod ipſum quoque ad Auchenium ipſum pertineat, cum utrobique Campaniae Proconſul vocetur (3).

ΑΝΙΚΙΟΝ ΒΑΣΣΟΝ ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ ΔΟΓΜΑΤΙ
ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΠΑΣΑΣ ΤΗΣ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ Ο ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ
ΥΠΑΤΙΚΟΣ ΤΗΣ ΚΡΗΤΩΝ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Anicium Baſſum ſplendidiſſimum Proconſulem Campaniae decreto Communis univerſae Provinciae Oecumenius Doſitheus Aſclepiodotus Clariſſimus Conſularis Cretenſium Provinciae dicavit.

Ceterum Baſſi Praefecti mentio ſaepius apud Symmachum (4) occurrit. Etenim alicubi dicit *Vir illuſtris praedeceſſor meus Anthenius Baſſus*; alibique *V. C. ac probatiſſimo Anicio Baſſo, & Aventio viro ſpectabili frequentata cognitio*, ibique utrumque inter Praefectos Vrbis enumerat.

Quandoquidem vero ſuperiorum Marmorum praeſidio Anicii aetas, aut annus quo Vrbi praefuerit, defini-

(1) Lib. X. ep. 47. (2) Vid. Tillem. in Grati. not. 21. 23. (3) Grut. 1090. 20. (4) Lib. X. ep. 33. & 39. ep. 47.

definiri non poteſt , Marmor aliud ſubieciſſe nunc libet , ex quo tempus illud non obſcure indicatur (1),

FLORENTE IMPERIO DDD. AAA. CCCQNNN
GRATIANI VALENTINIANI ET THEODOSI
PRINCIPVM MAXIMORVM
* * *
ANICIVS. AVCHENIVS. BASSVS. V. C.
PROCONSVL. CAMPANIAE
VICE SACRA IVDICANS
REPARAVI

Itaque haec Inſcriptio anno 383. poſterior eſſe non poteſt; quo 25. Auguſti menſis die Gratianus Auguſtus interiit (2).

✠ Principius II.

An. V. C. 1137. *Chr.* 384.

ITerum Principii nomen hoc anno Faſtis inferendum eſſe demonſtrat Lex Idibus Februarii *ad Principium P. V.* directa (3). Gothofredus quidem mallet in Legis titulo legere *P. P. Praefectum Praetorio*; ſed obſervari facile poterit quod ex Legibus 3. Idus Martii Atticus, & Praetextatus, 12. Kal. Iunii & 7. Idus Sept. *Praefectus Praetorio fuit*.

Brevi tamen hac dignitate Principium ipſum potitum fuiſſe ex duabus Legibus inferri debet, quae hoc ipſo anno 3. Kal. Decem. (4) & Kal. Decembribus (5) & 5. Kal. Ian. editae, atque *ad Symmachum Praefectum Urbis* directae conſpiciuntur.

* Iulius

(1) Mur. 464. 7. (2) Marcel. in Chron. (3) Cod. Iuſt. Lib. I. tit. 48. l. 2. (4) Cod. Th. Lib. XI. tit. 30. l. 44. (5) Cod. Iuſt. Lib. IX. tit. 29. l. 2.

Digitized by Google

✱ Iulius Agrius Tarrutenius Marcianus II.

Cir. an. V. C. 1137. *Chr.* 384.

MAgnificum Praefecti huius elogium Marmori inſcriptum in Grutero (1) conſpicitur

IVLIO. AGRIO. TARRVTENIO MARCIANO. V. C.

* * *

QVAEST. CANDIDATO. PROCOS. SICILIAE. PROCOS. ORIEN

LEGATO. AMPLISSIMI ORDINIS. TER. PRAEF. VRBI

IVDIC. SACRAR. COGNITION. ITERVM. *. *. *.

Marmor ipſum in paucis mutatum apud Muratorium (2) quoque occurrit, ſed ita tamen ut ex neutro character ullus exſculpi poſſit, quo vera Praefecti huius aetas deprehendatur.

Illud unum obſervari poterit quod cum in Theodoſiano Codice (3) Lex habeatur, quae XI. Kal. Apriles anni 384. edita *ad Marcianum Vic.* dirigitur, facile ſuſpicari quis poterit quod eo nomine Praefectus hic deſignetur.

Ad hunc ipſum Marcianum Gothofredus Symmachi (4) epiſtolas ſcriptas aſſerit.

Quemadmodum vero Marcianus iſte antequam ſupremo *Praefecti* munere ornaretur, Vicariam Praefecturam geſſerat, ita quoque ex eadem illa Tarrutenia familia *Maximilianus* eodem Vicarii honore perfunctus in alio Gruteri (5) Marmore memoratur

TARRV-

(1) Pag. 421. 3. (2) Pag. 1040. 6. (3) Lib. IX. tit. 38. l. 7. (4) Lib. VIII. ep. 9. 22. 53. 57. 72.
(5) Pag. 471. 8.

TARRVTENIO MAXIMILIANO. V. C.
ELOQVENTISSIMO. QVE. CONSVLARI
PICENI. ANNO AETATIS. NONODECIMO
VICARIO. VRBIS. ROMAE. LEGATO AMPLIS
SIMI. SENATVS. SECVNDO. SOCERO
EXOPTATISSIMO ANICIVS ACILIVS
GLABRIO. FAVSTVS. V. C. LOCI. HVIVS
ORNATOR. TOGATAM. STATVAM
LIBENS. POSVI

Quum hic Anicius Acilius circa annum 400. Vrbanae Praefacturae munus ſuſceperit, ut mox oſtendetur, hic Maximilianus eius ſocer ad annum circiter 380. commode revocatur; neque fortaſſe plurimum fallar ſi ipſum unum eundemque fuiſſe conijciam, qui in ſuperiori Gruteri, & Muratorii Marmore *Marcianus*, diſſimulato *Maximiliani* nomine, vocatur.

Quinetiam ſuſpicor hunc eundem Maximilianum eſſe, qui a Zoſimo memoratur. Etenim Scriptor ille caedes, rapinas, & clades omnes a Gothis victoribus in Vrbe ſub Alarico Romanis illatas deſcribens ait (1): *Maximilianus, cum in hoſtium manus incidiſſet, Mariniano patri venditus eſt triginta millibus aureorum pro eo ſolutis*. Itaque, cum Vrbs anno 409. ab Alarico direpta fuerit, facile tunc Maximilianus in ſuperiori Marmore memoratus, ſimulque eius pater Marinianus ſuperſtes eſſe poterat.

Denique, ne quid in illuſtrandis Praefectorum nominibus omittatur, obſervari poterit quod *Tarrutenus Paternus* anno Chr. 185. Praetorio Praefectus fuit; ut proinde de Tarrutenii nomine dubitare non liceat.

* Aven-

(1) Lib. V. c. 45.

✠ Aventius

An. V. C. 1136. *Chr.* 383. *vel* 384.

PErſpicuo Symmachi teſtimonio, quod paullo ſuperius exhibui, erudimur quod hic Aventius in Praefecti munere Anthemio, vel Auchenio Baſſo ſucceſſit, proximeque Symmachum ipſum praeceſſit; ideoque Aventii Praefectura ad poſtremos fere vertentis anni 383. menſes referri debet. Etenim Symmachus Aventii ſucceſsor de cauſa quadam diſſerens, quae ad Praefecti Vrbis tribunal deducta fuerat, ait (1) *Cum Memorius litigator iuſſus a Baſſo ſolvendi debiti gratia ad iudicia Africana deduci, & a Viro illuſtri deceſſore meo Aventio, & a me per libellos, ne eo pergeret, poſtulaſſet, navi eſt abductus*. Itaque non modò perſpicue hinc apparet quod Baſſus, Aventius, Symmachus perenni ſerie Praefecti munere perſuncti ſunt; verum etiam quod Aventii Praefectura paucis omnino menſibus circumſcribi debet, ut proinde merito Baſſus, & Aventius, uni eidemque anno 383. adſcribantur.

Fieri tamen fortaſſe poteſt ut Aventius ipſe non anno 383. ſed 384. adſcribi debeat, perinde ac ſi Principio brevis temporis Praefecto ſucceſſiſset. Quamvis enim Symmachus poſt Baſsum repente Aventium, deinde vero ſeipſum memoraverit, inde tamen inferri non poteſt quod aut Aventius Baſso, aut Symmachus ipſe Aventio ita proxime ſucceſserit, ut Praefectus alius inſeri nequeat.

Quintus

(1) Lib. X. ep. 36. & 47.

Quintus Aurelius Symmachus

An. V. C. 1137. *Chr.* 384. 385. *&* 386.

Plurima, quae de Symmacho dicenda fuerant, opportune iampridem expoſui ubi de eius patre, proximeque ſuperioribus locis de eius deceſſoribus agendum fuit. Oſtendi nimirum quod vertente iam anno 384. Praefecti dignitas huic ultro delata fuit, poſtquam anno 368. Lucaniae & Bruttiorum Correctòr, & anno 370. ſive 373. Proconſul Africae fuerat, ut ex Legibus apparet, aliiſque deinde honoribus auctus fuit. Honores ipſi in hoc Marmore memorantur (1)

Q. AVRELIO SYMMACHO. V. C.
QVAEST. PRAEF. PONTIFICI
MAIORI. CORRECTORI
LVCANIAE. ET BRVTTIORVM
COMITI. ORDINIS. TERTII
PROCONS. AFRICAE. PRAEF.
VRB. COS. ORDINARIO
ORATORI. DISERTISSIMO
Q. FAB. MEMM. SYMMACHVS
V. C. PATRI OPTIMO

Marmor ipſum, ſed quatuor poſtremis verſibus truncatum, Reineſius ediderat (2).

Quamdiu vero Symmachus ipſe Vrbani Praefecti munus conſervaverit definiri certe non poteſt, cum

 nullus

(1) Spon. Miſcel. Sect. IV. (2) Rein. Cl. VI. 12.

nullus omnino temporum character ex integro X. Epiſtolarum Libro exſculpi poſſit, qui Litteras omnes Praefecturae tempore ſcriptas complectitur. Quod tamen integrum annum 384. in Praefactura exegerit, ex ea Lege deduci poteſt, quae 4. Kal. Ianuarii ad ipſum directa conſpicitur (1). Fortaſſe quoque integrum ſequentem annum 385. ac priores etiam menſes anni 386. in eodem Praefecti munere exegit, cum nonniſi 3. Idus Iunias eius anni Leges ad Salluſtium P. V. datae reperiantur (2); quemadmodum Lex alia (3) anno 386. pridie Nonas Iulias ad *Pinianum* directa nobis occurrit, qui vel Vrbis Praefectus, vel Vrbis Vicarius eſſe debuit.

Baronius quidem Valentiniani Auguſti Reſcriptum exhibet diei 23. Februarii anni 385. quod ad Pinianum dirigitur; ideoque arbitratur quod Pinianus ipſe ineunte anno 385. Symmacho ſucceſſerat, quod Gothofredus etiam exiſtimavit. Sed, ut optime a Tillemontio (4) obſervatur, Pinianus ipſe in Reſcripto *Praefecti* titulo non decoratur; ideoque potius *Praefecti Vicarius*, quam Praefectus videtur; cum praeſertim Reſcriptum illud Chriſtianorum negotia, & Pontificis Siricii electionem reſpiciat, ea nimirum, quae ad Symmachum Chriſtianis infenſum, atque acerrimum ſuperſtitionis aſſertorem ſcribenda minime videbantur.

Sallu-

(1) Cod. Iuſt. Lib. IX. tit. 29. l. 3. Vid. C. Th. Lib. IV. t. 17. l. 4. & Lib. XI. t. 30. l. 44.
(2) Cod. Th. Lib. XIV. tit. 1. l. 2. & Lib. XIV. tit. 3. l. 18.
(3) Cod. Th. Lib. VI. tit. 35. l. 13. (4) Hiſt. Eccl. ad Siric. nota 2. et in Theod. art. 24.

Saluſtius

An. V. C. 1139. *Chr.* 386.

SAluſtii Praefecti nomen hoc anno Faſtis inſcribendum eſſe demonſtrant Leges illae (1), quae hoc anno 3. Idus Iunias *ad Saluſtium P. V.* diriguntur; cumque proximo menſe Iulio pridie nonas Lex alia *ad Pinianum P. V.* data reperiatur (2), perſpicue apparet quod Saluſtius Praefecturam illam, quam fortaſſe ineunte anno 386. ſuſceperat, paucis omnino menſibus occupavit. Itaque Reſcriptum, quo *Valentinianus*, *Theodoſius*, & *Arcadius Auguſti Saluſtio Praefecto Vrbis* praecipiunt ut Baſilicae S. Pauli Apoſtoli magnifice conſtruendae curam ſuſciperet, ad primos anni menſes referri debet; niſi fortaſſe cui libeat Symmachum Praefecti munus, quo invitus fungebatur, anno 385. reliquiſſe, & Saluſtium hunc illi proxime ſucceſſiſſe.

Ceterum Saluſtius hic Vrbis Praefectus a duobus Saluſtiis aliis diſtingui debet, qui iisdem temporibus floruere, quorum unus Galliarum, alter Orientis Praetorio praefuit, ut accuratiſſime Pagius (3) oſtendit; quemadmodum etiam a *Flavio*, ſive *Secundo Saluſtio* diſtinguendus erit, qui anno 363. una cum Iuliano Auguſto Conſul proceſſit. Siquidem Saluſtius hic Conſul aetate Iulianum ipſum, Ammiano (4) teſte, ſuperabat, ideoque facile quadrageſimum aetatis annum exceſſerat, atque Ethnicorum ſacris addictus Iuliano charus erat. Saluſtius vero Praefectus anno 386. Chri-

 ſtianus

(1) Cod. The. L. XIV. t. 1. l. 2. & Lib. XIV. tit. 3. l. 18.
(2) Ibi Libr. VI. tit. 35. l. 13. (3) Ad an. 362. n. 32.
(4) Libr. XXIII. c. 1.

ſtianus eſſe debebat, ut optime proinde Theodoſius M. Baſilicae S. Pauli amplificandae, ornandaeque curam ipſi commiſerit.

Opportune vero obſervandum quod, licet Baſilica illa hoc anno Theodoſii M. auſpiciis, ac imperio excitata fuerit, deinde tamen ab Honorio eius filio, Placidia Honorii ſorore, tandemque a Leone I. Pontifice ſplendidius aucta, ac ornata fuit, ut Epigraphe oſtendit, quae a Fleetuodo (1) profertur

Theodoſius caepit, perfecit Honorius aulam
Doctoris mundi ſacratam corpore Pauli:
Placidiae pia mens operis decus omne paterni
Gaudet Pontificis ſtudio ſplendere Leonis:

Ac certe quidem Leo I. ante annum 449. quo Placidia e vivis exceſſit, Baronio teſte (2), *Baſilicam S. Pauli in via Oſtienſi maiori arcu ingentibus columnis ſubnixo ſuffulſit, exornavitque ſacris picturis opere muſivo compactis, quae hactenus perſeverant.*

✠ Valerius Pinianus

An. V. C. 1140. *Chr.* 387.

ETſi Piniani Praefecti nomen huic anno 387. adſcripſerim, compertum eſt tamen quod extremis etiam ſuperioris anni menſibus ille Praefecti munere ſungebatur. Siquidem Lex pridie Non. Iulii anni 386. edita (3) ad ipſum P. V. dirigitur, & alia quoque Ianuario menſe, (4) altera demum Septembri menſe (5) anni proximi 387. ipſi inſcripta conſpicitur, ideo-

(1) Pag. 497. n. 2. (2) Ad Martyr. Rom. die 18. Nov. (3) Lib. VI. tit. 35. l. 13. (4) Lib. XIII. t. 3. l. 13. (5) Lib. VI. tit. 28. l. 4.

ideoque facile ad annum uſque 388. dignitatem illam obtinuit, ac Ruſticum Julianum ſucceſſorem habuit.

Ceterum Baronius, & Gothofredus etiam exiſtimavit hunc Pinianum Melaniae iunioris maritum eſſe oportere, quam S. Paulinus, aliique plures ex ſacris Hiſtoricis commendarunt. At Muratorius (1) optime demonſtravit quod Pinianus ille Melaniae maritus a Piniano Praefecto diſtingui debet. Siquidem, ut inito calculo Muratorius oſtendit, Melaniae coniux hoc anno 387. vix undecimum aetatis annum attigerat, ideoque illuſtri Praefecti munere fungi non poterat. Itaque Muratorius ipſe coniecit quod Pinianus Vrbis Praefectus alterius Piniani pater, ac Melaniae ſocer fuerit, integroque nomine *Valerius Severus Pinianus* vocaretur. Etenim Palladius (2) Pinianum Melaniae coniugem appellat *Severi filium*, *qui erat Ex-Praefectis*, ſive Ex-Praefectus, τὸν ὑιὸν Σευήρυ τῦ ἀπὸ Ἐπάρχων; quemadmodum Heraclides *in Paradiſo*, c. 49. Pinianum ipſum *Severi Ex-Praefecti filium* vocavit.

Quandoquidem vero in S. Melaniae Vita dicitur quod Pinianus eius vir Severum fratrem habebat, nihil veriſimilius eſſe poteſt, quam quod Severus Ex-Praefectus Piniani pater duos filios ſuſceperit, quorum uterque paternum vel *Severi*, vel *Piniani* nomen geſſerit; cumque Paulino teſte *Pinianus* Melaniae coniux ex *Valeria* gente prodierit, *Valerii* nomen utrique fratri, eorumque patri commune eſse debuit.

Denique obſervandum quod, licet Piniani Praefecti nomen a Baronio in anno 385. collocetur, eius tamen dignitas, aut Vrbani Praefecti munus ab illo ſuſceptum ante annum 386. incepiſse non potuit, ut opportunius ad annum 386. demonſtravi.

* Ruſti-

(1) Anecd. Lat. Tom. 1. Diſs. VI. (2) Vit. Patr. c. 121.

✠ Ruſticus Iulianus

An. V. C. 1141. *Chr.* 388.

CRuentos huius Praefecti mores, tempus, ac munera ab Ammiano (1) deſcribuntur ubi memorat quod interim dum Valentinianus Auguſtus anno Chr. 367. gravi aegritudine premeretur, eiuſque milites de ſucceſsore cogitarent, *ad Imperium Ruſticus Iulianus tunc Magiſter Memoriae poſcebatur, quaſi afflatu quodam furoris beſtiarum more humani ſanguinis avidus, ut oſtenderat cum Proconſulari poteſtate regeret Africam. In Praefectura enim Vrbana, quam adhuc adminiſtrans extinctus eſt, tempus anceps metuens tyrannidis, cuius arbitrio tanquam inter digniorum inopiam ad id aſcenderat culmen, lenis videri cogebatur, & mollior*. Itaque, cum Ruſticus ille anno 371. & 372. Africae Proconſul fuiſset (2), exeunte anno 387. quo Italiam invadens Maximus tyrannidem in ipſa arripuit, Vrbis Praefectus ab illo electus eſt, eoque munere fungens interiit. Quum ergo Maximus exeunte Iulio, vel Auguſto menſe ſequentis anni 388. vita, ac Imperio ſpoliatus fuerit, ac Theodoſius ipſe parta vittoria Romam anno 389. advenerit, perſpicue apparet quod Ruſticus Iulianus ante Maximi tyranni caedem, ideoque circa medium anni 388. obiiſse debuit.

Sextus

(1) Libr. XXVII. c. 6. (2) Vid. Tillem. in Valentin. art. 15. & in Theod. art. 39. & 42.

Sextus Aurelius Victor

Cir. an. V. C. 1142. *Chr.* 389.

IN mutilo Gruteri Marmore legitur (1)

. . . .

TERVM. PRINCIPVM CLEMENTIAM
··· NCTITVDINEM. MVNIFICENTIAM
SVPERGRESSO
D. N. FL. THEODOSIO. PIO. VICTORI
SEMPER. AVGVSTO
SEX. AVR. VICTOR. V. C. VRBI. PRAEF.
IVDEX. SACRARVM. COGNITIONVM
D. N. M. Q. E.

Dubitari certe vix poterit quin Theodoſius ille, qui *veterum Principum clementiam, ſanctitudinem ſupergreſſus* dicitur, fuerit Theodoſius M. qui ab anno 379. ad annum uſque 395. imperavit. Siquidem Theodoſius iunior Arcadii filius, ac Theodoſii M. nepos ab anno quidem 408. auſpicatus ad annum 450. Imperium tenuit, at Victoris aetas ad ipſius initia protrahi non poterit. Etenim Ammianus (2) Marcellinus de rebus a Iuliano Auguſto anno Chr. 361. geſtis loquens ait: *Victorem apud Sirmium viſum Scriptorem hiſtoricum exinde venire praeceptum Pannoniae Secundae Conſularem praefecit, & honoravit aenea ſtatua Virum ſobrietatis gratia aemulan-*

(1) Pag. 286. 5. (2) Lib. XXI. c. 10.

Digitized by Google

mulandum , multo poſt Vrbi Praefectum .. Itaque , ſi Victor ille anno 361. ea aetate fuerat ut Pannoniae praefici poſſet , ad Theodoſii iunioris tempora perveniſſe vix potuit .

Hinc optime Tillemontius Vrbanam Victoris Praefecturam exeunti anno 388. atque ineunti 389. adſcribendam eſſe putavit ante 17. Iunii menſis diem , quo Albinus Praefecti munere fungebatur (1) .

Ceionius Rufius Albinus II.

An. V.C. 1142. *Chr.* 389. 390. & 391.

ALbinum hunc à Rufiis aliis diſtinguendum , & in Praefectorum ſerie collocandum eſſe eximio Gruteri Marmore demonſtratur (2)

EXTINCTORI TYRANNORVM
ET. PVBLICAE SECVRITATI
AVCTORI
D. N. VALENTINIANO
PERPETVO. AC. FELICI
SEMPER. AVGVSTO
CEIONIVS. RVFIVS. ALBINVS. V. C.
PRAEF. VRBI. ITERVM
VICE. SACRA. IVDICANS
D. N. M. Q. EIVS

Cum ſolum Valentiniani nomen hic habeatur , perſpicue apparet quod eiuſmodi Marmor ad Valentinianum II. referri debet , qui ab anno 383. ad 393. ſolus imperio

(1) Cod. Th. Lib. XVI. tit. 5. l. 18. (2) Pag. 285. 8.

Digitized by Google

perio potitus eſt; eoque tempore Theodoſii viribus fretus Maximum Tyrannum ſuperavit. Vix vero ac ne vix quidem ad Valentinianum III. referri poterit, ſecus ac doctiſſimo Gothofredo videbatur, cum ille ſerius imperium, hoc eſt anno 424. auſpicatus fuerit, pluresque Imperii Provincias amiſerit (1). Itaque hunc Ceionium Rufium Albinum eundem prorſus eſſe putaverim, qui in variis Legibus anno 389. & 390. editis *Albinus* vocatur. Obiter hic indicandum quod hujus Albini filius fuit Rufius Venerius Voluſianus

Rufius Albini gloria viva patris,
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,

ille nimirum, qui Rutilii Numatiani (2) in Gallico itinere comes fuit, ipſique deinde in Vrbana Praefectura ſucceſſit; ut ſuo loco ad annum 414. oſtendetur.

Interim vero obſervandum quod Albinus ipſe facile Praefecturae honorem in ſequentem etiam annum 391. prorogavit. Quamvis enim Lex, quae 27. Februarii die edita fuit (3), ad Albinum PF. P. dirigatur; facile tamen Gothofredo duce ibi PF. V. reſcribendum erit, non modo quod Lex ipſa de *Vrbe*, ideoque facile de *Roma* loquatur, verum etiam quod hoc anno in Praetoriis omnibus alia Praefectorum nomina occurrant. Ac certe quidem Alypii Praefecti Vrbis nomen nonniſi in Lege pridie Idus Iulias hoc anno 391. edita (4) primum occurrit, ideoque Albinus ipſius praeceſſor ad ea uſque tempora praefuiſſe videtur.

P p   * Tarru-

(1) Vid. Tillem. in Theod. I. art. 47. & not. 44.
(2) Lib. I. Ver. 168. (3) Cod. Th. Lib. XVI. tit. 10. l. 10.
(4) Cod. Th. Lib. XIV. tit. 2. l. 2.

Digitized by Google

✠ Tarrutius Baſſus

Cir. an. V. C. 1143. *Chr.* 390.

HActenus incognitum Praefecti huius nomen ex illuſtri Ammiani (1) teſtimonio deprehendiſſe videor, qui de Ampelio anno 370. Vrbis Praefecto loquens ait: *Etiam Tarrutius Baſſus poſtea Vrbi Praefectus, & frater eius Camenius accerſiti in crimen abſoluti ſunt.* Ac Valeſius quidem ad hunc Ammiani locum obſervavit Tarrutii Baſſi nomine non alium, quam *Anicium Auchenium Baſſum* deſignari, quem anno 383. Vrbi praefuiſſe vidimus. At Auchenius ille in Marmoribus, & Scriptoribus nuſquam hoc alio *Tarrutii* nomine deſignatur, perſpicueque dicitur quod *in ipſo flore iuvenilis aetatis frugem maturae auctoritatis oſtenderat.* Camenius autem ille Tarrutii frater unus idemque eſſe potuit, qui anno 381. Vicarius Africae fuit (2).

Faltonius Probus Alypius

An. V. C. 1144. *Chr.* 391.

QVum Theodoſii Lex 14. Iulii menſis die anno 391. edita *ad Alypium P. V.* dirigatur (3), dubitari non poterit quin Alypius ipſe poſtremis ſaltem eius anni menſibus Vrbi praefuerit.

Haec ipſa Praefecti dignitas ab illo ſuſcepta, ſimulque integrum ipſius nomen in Gruteri Marmore memoratur (4)

DOMI-

(1) Lib. XXVIII. c. 1. (2) Cod. Theod. Lib. XII. t. 1. l. 84.
(3) Lib. XIV. t. 2. l. 2. (4) Pag. 286. 6.

DOMINO NOSTRO
FL. THEODOSIO
AVGVSTO
FALTONVS PROBVS
ALYPIVS. V. C. PRAEF. VRB.

Ipſum vero Clodii Hermogeniani Olybrii, quem anno 370. Vrbi praefuiſſe iam vidimus, uterinum fratrem fuiſſe ex Fabretti (1) Marmore erudimur

CLODIO HERMOGENIANO
OLYBRIO. V. C. FRATRI
ADMIRANDAE. PIETATIS
FALTONIVS. PROBVS
ALYPIVS. V. C.

Hic ipſe Alypius Vrbis Praefectus in ſacris etiam Eccleſiae Faſtis ad 1. Ianuarii diem memoratur: *Romae S. Almachii martyris, qui iubente Alypio Vrbis Praefecto a gladiatoribus occiſus eſt*. Ac certe quidem Theodoſii M. temporibus, quibus Alypius Praefecturam geſſit, adhuc gladiatorum munera, & profanos alios ritus edi conſueviſſe, pluribus certiſque teſtimoniis erudimur, cum haec demum Ethnicae religionis veſtigia ab Honorio circa annum 403. ſublata fuerint (2). Itaque *Almachius* ſub Alypio, ac Theodoſio paſſus a *Telemacho* diſtingui debet, quem Theodoritus (3) ſimili fere de cauſa ſub Honorio, non Praefecti iuſſu, ſed populi furore, interemptum fuiſſe teſtatur antequam Honorius Theodoſii patris pietatem ſuperans gladiatorios

Pp 2 Ludos

(1) Cap. X. 304. (2) Vid. Tillem. in Honor. art. 20.
(3) Lib. V. c. 26.

Digitized by Google

Ludos omnino vetuiſſet: unde Prudentius (1) Honorium ipſum alloquens ait

Quodque patri ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto:
Ille Vrbem vetuit taurorum ſanguine tingi,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari,
Nullus in Vrbe cadat, cuius ſit paena voluptas.

Denique haec ipſa Alypii Praefectura a Symmacho (2) memorari videtur.

✠ Claudius Rutilius Lachanius

Cir. an. V. C. 1145. *Chr.* 392.

IN Theodoſiano Codice (3) Leges occurrunt, quae anno Chr. 396 ad *Claudium P. V.* diriguntur; cumque Conſtantinopoli editae ſint, perſpicue demonſtrant quod Claudius ille Conſtantinopolitanae Vrbi praeeſſe debuit, quamvis Gothofredus ipſum anno 389. Tuſciae Conſularem, & anno 396. P. V. fuiſſe dixerit. Quandoquidem vero Claudius Rutilius Numatianus patrem ſuum, qui facile eodem ipſo *Claudii* nomine vocabatur, Praefecti titulo atque honore decoratum fuiſſe memorat, Gothofredus exiſtimavit hunc Claudium, qui Romae, vel Conſtantinopoli praefuit, Rutilii patrem fuiſſe. Ac certe quidem quod Rutilii pater Praefecturam aliquam geſſerit Rutilius ipſe teſtatur. Etenim de patre loquens ait (4)

Narrabat, memini, multos emenſus honores
Tuſcorum regimen plus placuiſſe ſibi.

Nam

(1) Contra Symmach. ver. 1121. (2) Libr. VII. ep. 70.
(3) Lib. VI. tit. 26. l. 8. & Lib. XV. tit. 13. l. un.
(4) Lib. I. ver. 581.

Digitized by Google

Nam neque opum curam, quamvis ſit magna, ſacrarum,
Nec ius Quaeſturae grata fuiſſe magis.
Ipſam, ſi fas eſt, poſtponere Praefecturam
Pronior in Tuſcos non dubitabat amor.

Eximius hic Rutilii locus oſtendit quod ipſius pater *Sacrarum Largitionum*, ſive *Rei privatae* Comes, & mox Quaeſtor fuit, tandemque Praefecti munus obtinuit, quod facilius *Vrbis*, quam *Praetorii*, fuit. Quis vero non videat id Romae potius, quam Conſtantinopoli contigiſſe? cum praeſertim Rutilius loca commemorans, in quibus patris memoriam, ac famam florentem invenit, Piſas quidem, Romam, Flaminiam, ac deinde Tuſciam expreſſerit, nihilque prorſus de Oriente indicaverit? Itaque Praefectura illa, ſi Vrbis fuit, non alibi, quam Romae conſtitui debet, ideoque Rutilii pater Romanorum Praefectorum Faſtis inſcribi poterit. Quandoquidem vero Rutilius ipſe anno 414. Vrbi praefuit, eius pater ad aliquem ex ſuperioribus annis circa annum 390. referri facile poteſt.

Quid vero prohibet ne varios eiuſmodi Rutilii honores, ac munera exponens inſignem eius locum hactenus a doctiſſimis etiam Viris minus accurate feliciterque explicatum illuſtrem, ſimulque verum eius patris nomen oſtendam? Quum Rutilius ipſe narraſſet ſe Piſas appuliſſe, ſubdit (1)

Hic oblata mihi ſancti genitoris imago,
Piſani proprio quam poſuere Foro.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Faſcibus & ſenis credita iura dedit.

* * *

Haec eadem cum Flaminiae regionibus irem,
Splendoris patrii ſaepe reperta fides.

Famam

(1) Lib. I. ver. 639.

Famam Lachanii veneratur Numinis inſtar
Inter Terrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet Provincia mores,
Dignaque Rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
Per Corythi populos arva beata regit.

Ex eiuſmodi Rutilii verbis Tillemontius exiſtimavit Lachanium quendam ignoto quodam titulo Rutilii aetate maxima aequitatis laude Lydiae Provinciae praefuiſſe, quemadmodum prorſus Rutilii pater Flaminiae, atque Etruriae praefuerat. Quamvis tamen in Lydia ipſa Magiſtratus aliquis praeſideret, atque in Theodoſiano Codice ad annum 382. Panhellenius *Conſularis Lydiae* memoretur, quis non intelligat *Lachanii* nomine non alium, quam eundem illum Rutilii patrem, deſignari, ac Etruſcos ipſos *Lydiae terrigenas* hic appellari quod Etruſci a Lydis oriundi forent, ut plurimis veterum teſtimoniis a Dempſtero (1) collectis erudimur? Quemadmodum ergo Rutilius Etruriam modo *Tyrrhena arva*, modo *Corythi populos* appellavit, ita quoque Etruriam ipſam *Lydiae* nomine decoravit.

✱ Virius Nicomachus Flavianus

An. V. C. 1145. *Chr.* 392.

SI Flavianum hunc non Praetorii, ſed Vrbis Praefectorum Faſtis hic inſero, perſpicua quidem Nicephori, ambigua vero, ſed admodum probabili, Ruffini auctoritate permoveor. Siquidem Nicephorus (2) ubi de Eugenio loquitur, qui tyrannidem, aut Imperium

(1) Etrur. Regal. Lib. I. c. 4. (2) Hiſt. Eccl. Lib. XII. c. 39.

Digitized by Google

perium anno Chr. 392. arripuit, id praeſertim Flaviani, qui tunc temporis *Vrbis Romae Praefectus* erat, impulſu factum teſtatur: *Flavianus Vrbis Romae Praefectus vir in diſciplinis praeclarus . . . rerumque futurarum, ut ipſi videbatur, vates praecipuus, multam in eis operam locavit. Qua arte Eugenium, ut bellum ſuſciperet permovit certo illum, quidquid aggreſſus eſſet perfecturum pollicitus*. Eadem quoque a Sozomeno (1) memorantur, a quo Φλαβιανὸς ὁ τότε Ὕπαρχος *Flavianus tunc Praefectus* vocatur.

Vterque vero ex Scriptoribus illis hanc hiſtoriam ex Rufini fontibus hauſiſſe debuit. Siquidem Ruffinus (2) ipſe de Eugenii rebellione differens ait: *Pagani innovare Sacrificia, & Romam funeſtis victimis cruentare, inſpicere exta pecudum, & ex fibrarum praeſcientia ſecuram Eugenio victoriam nunciare, ſuperſtitioſius haec agente, & cum omni animoſitate Flaviano tunc Praefecto, cuius aſſertionibus Eugenium victorem fore pro certo praeſumpſerant*. Itaque, cum Nicephorus Flavianum nitide, diſerteque *Vrbis Romae Praefectum* appellet, *Hiparchi* vox a Sozomeno, & *Praefecti*. nomen a Rufino uſurpatum tum *Praetorii*, tum *Vrbis* Praefectum deſignet, nihil eſt certe cur Flavianus ille Vrbis Praefectus appellari non debeat; cum praeſertim integer Rufini contextus id non obſcure ſignificet, cum de Vrbe *Roma* loquatur, ideoque *Praefecti* vocem ſubiiciens non alium profecto, quam eiusdem *Romae Praefectum* innuere videatur.

Certe iis temporibus, quibus Eugenii rebellio emerſit, nimirum anno Chr. 392. 393. nullus omnino Vrbis Praefectus occurrit; ideoque facile ſuus omnino locus Flaviano eſſe poterit. Quod ſi Lex quaedam 8. Aprilis die anno 392. edita *Flaviano P. P.* inſcribitur (3), fortaſſe in illa P. V. reſcribendum erit, aut

(1) Hiſt. Eccl. Lib. VII. c. 22. (2) Libr. II. c. 33.
(3) Libr. X. t. 10. l. 20.

Digitized by Google

aut potius Flavianus ipſe Aprili menſe a Praetoria ad Vrbis Praefecturam tranſierat antequam 15. Maii die Eugenius Imperium arriperet; niſi fortaſſe ab Eugenio ipſo munus illud acceperit, eoque fungens una cum illo Romae auguriis vacaverit, Mediolanum venerit, alpes munierit ut Theodoſio, qui exeunte Maio menſe anni 394. adverſus Eugenium Conſtantinopoli moverat, adverſaretur.

Quamvis autem Flavianus iſte Eugenianae rebellionis particeps a Theodoſio Auguſto bonis, atque honoribus ſpoliatus fuerit, omnibus tamen clementiſſimi Principis voluntate ab Honorio eius filio reſtitutus fuit; ut ex variis Symmachi (1) Epiſtolis demonſtratur.

Plurimas vero dignitates alias, quas antea ſusceperat, fuſe, & accurate a Gothofredo recenſitas conſpicimus; quemadmodum etiam quod Flavianus alter eius filius obtinuit, de quo nobis ad annum 399. agendum erit. Interim vero obſervandum quod idem Flavianus pater Conſulatus etiam honorem obtinuit, ut perſpicue teſtatur Symmachus (2). Id vero ſub Eugenio Tyranno contigiſse putat Valeſius (3), ideoque dicit eius nomen in Faſtis omitti. At Symmachus ipſe diſerte tradit quod Flavianus *ſacris D. N. Auguſtiſſimi Principis litteris ad officium magnifici Conſulis evocatus* fuit. Eiuſmodi vero Conſulatus in hoc etiam Marmore recenſetur, ex quo verum, integrumque eius Praefecti nomen inſpicimus (4)

VIRIO NICOMACHO FLAVIANO V. C.
QVAEST. PRAET. PONTIF. MAIORI
CONSVLARI SICILIAE

VICA-

(1) Lib. IV. ep. 5. Lib. VII. ep. 93. &c.
(2) Lib. II. ep. 83. (3) Ad Ammi. Lib. XXVIII. in fin. Lib. VII. ep. 94. (4) Reines. Clas. VI. num. 92.

VICARIO AFRICAE
QVAEST. INTRA PALATIVM
PRAEF. PRAET. ITERVM. COS. ORD.
HISTORICO DISERTISSIMO
Q. FAB. MEMMIVS SYMMACHVS V. C.
PROSOCERO OPTIMO

Ac certe quidem Flavianum hunc anno 377. Vicarium Africae fuiſſe ex Ammiano, Himerio, & Legibus Gothofredus oſtendit: quemadmodum Leges aliae ipſum anno 382. 383. Italiae, ac Illyrici Praetorio praefuiſſe demonſtrant.

Florentinus

An. V. C. 1148. *Chr:* 395. 396. & 397.

EX variis Honorii Auguſti Legibus evidenter apparet quod 14. Septembris die anni 395. Florentinus Vrbanae Praefecturae munere fungebatur, ac dignitatem illam ſaltem ad anni 397. finem obtinuit. Siquidem Leges 6. Kal. Ianuarii (1), & 12. Kal. Martii (2) anni ſequentis 396. ad Florentinum ipſum diriguntur; quemadmodum aliae, quae anno 397. uſque ad 7. Kal. Ianuarii prodierunt (3).

Ipſius induſtriam, paternamque fere ſolicitudinem in levanda annonae caritate, qua integro fere eius Praefecturae tempore Vrbs Roma oppreſſa fuit, variis in locis (4) Symmachus commendavit; quemadmodum alibi ipſius Praefecturam indicavit (5).

Q q Baſi-

(1) Lib. XI. tit. 14. l. 2. (2) Lib. VIII. tit. 7. l. 55.
(3) Lib. XIV. tit. 2. l. 3. (4) Libr. IV. ep. 50. 56. 57.
(5) Libr. IV. ep. 52. 54.

Digitized by Google

Baſilius

An. V. C. 1148. *Chr.* 395.

AVguſtorum Leges, quae Praefectis Vrbis hoc anno directae reperiuntur, Baſilii, Andromachi, ac Florentini nominibus inſigniuntur. Itaque Lex 3. Nonas Martias edita (1) Baſilio inſcribitur; Leges aliae 15. Kal. Iunias (2), & pridie Idus Iulias (3) Andromachi nomen praeſeferunt; tandemque Lex 18. Kal. Octobres (4) & Idibus Octobris edita (5) ad Florentinum P. V. dirigitur.

Baſilium hunc a Zoſimo (6) fortaſſe memoratum eſſe coniecit Gothofredus. Ac certe quidem, licet in Latina Zoſimi interpretatione dicatur *delecto ad Legationem Baſilio, qui genere Hiſpanus erat, Praeſidiſque Provinciae dignitatem adeptus*, in Graeco tamen textu legitur *αἱρεθέντος δὲ πρεσβεῦ τυ. Βασιλεὶυ τὸ μὲν γένος ἕλκοντος ἐξ Ἰβήρων, Ἐπάρχυ δὲ ἀξίᾳ τετιμημένυ*, ideoque nitide diſerteque Ἐπάρχυ *Praefecti* deſignatur, quo nomine ſaepius *Vrbis Praefectum* decoratum eſſe iam vidimus.

✠ Andromachus I.

An. V. C. 1148. *Chr.* 395.

VNO eodemque anno 395. inter Baſilium, ac Florentinum Andromachum quoque Praefecturae munere perfunctum eſſe conſpicimus. Siquidem Leges 21. Aprilis, & 14. Iulii menſis die editae *Andromacho Praefecto*

(1) Libr. VII. tit. 24. l. un. (2) Libr. XV. tit. 14. l. 9.
(3) Lib. VIII. tit. 8. l. 7. (4) Lib. VI. t. 2. l. 5.
(5) Lib. VIII. tit. 18. l. 7. (6) Lib. V. c. 40.

ſecto Vrbis inſcribuntur (1). Quamvis autem Lex alia anno 401. edita ad Andromachum ipſum *P. V.* dirigatur (2), Gothofredus tamen exiſtimat ibi pro P. V. legendum eſſe P. P. quod facile Andromachus ipſe, qui anno 392. Comes Rei Privatae fuerat, poſt Praefecturam Vrbis hoc anno geſtam, anno demum 401. Praetorio Galliarum praefuerit (3). Andromachi laudes, praeſertim vero eius fidem Symmachus (4) memoravit.

✠ Protadius

Cir. an. V. C. 1148. *Chr.* 395.

POſt Florentini Praefecti nomen Protadium, qui Florentini frater fuerat, recenſendum putavi; quamvis incertum plane, obſcurumque ſit quo potius anno hic Vrbi praefuerit. Ac certe quidem quod Protadius quoque Praefecti munus acceperit, ex Rutilio deprehendi, vel inferri facile poterit. Siquidem Rutilius (5) iter ſuum deſcribens, aſſerit ſe prope Piſas Protadium inviſiſſe

Tempora navigii clarus reparaverat Eurus;
Sed mihi Protadium viſere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoſcere ſignis;
Virtutis ſpeciem corde vidente petat.

\- - - - - - - - - - - - - -

Sic fortaſſe minus ſi laudat Gallia Civem,
Teſtis Roma ſui Praeſulis eſſe poteſt.

Q q 2 *Subſti-*

(1) Cod. Th. Lib. VI. tit. 12. l. 3. et Lib. II. tit 12. l. 6. et Lib. VIII. t. 8. l. 7. (2) Lib. XI. tit. 28. l. 3.
(3) Vid. Tillem. in Honor. nota 11. (4) Lib. II. ep. 78. 9.
(5) Itin. Lib. I. ver. 541.

Digitized by Google

Subſtituit patriis mediocres Vmbria ſedes;
Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur.
Pro parvis animo magna fuere ſuo.

Opportune iam alibi demonſtravi quod Vrbis Praſectus aliquando *Senatus*, vel *Vrbis Praeſul* vocabatur; nec alio plane ſenſu Protadium hic a Rutilio *Romae Praeſulem* appellatum eſſe putaverim, niſi quod is aliquando Vrbi praeſuerit, maximamque laudem in eo obeundo munere ſit conſequutus; quamvis a civibus in Gallia fere contemptus ſolum verterit, novaſque ſibi ſedes in Vmbria quaeſierit.

Quo ſane loco mirari quis poterit cur Tillemontius (1) admirabilis certe ingenii, ac diligentiae vir ibi de Vmbria Piceni Provinciae finitima agi putaverit, ideoque dixerit obſcurum ſibi videri qui Rutilius Protadium in Vmbria degentem viſurus Piſas conceſſerit. At doctiſſimo Viro *Vmbriae* nomen impoſuit, ut Rutilium de Vmbriae Provincia loquutum cenſeret; cum perſpicue certoque *Vmbria* illa, quae a Rutilio memoratur, in Etruriae litore reperiretur. Siquidem Plinius (2) maritima loca, quae in hoc ipſo litore reperiuntur, recenſens ait: *Vmbro* fluvius *navigiorum capax*, *& ab eo tractus Vmbria*, *portuſque Telamon*. Itaque nullus hic dubito quin Rutilii verba de *Vmbria* Telamoni proxima intelligi debeant; quemadmodum ubi Rutilius ipſe dum *Lydiam* memoravit, non Lydiam Aſiae Provinciam, quod Tillemontius (3) exiſtimavit, ſed Etruriam deſignavit, ut opportunius ad annum 392. iam dixi, iterumque in anno 414. oſtendetur ubi de Rutilio ipſo agendum erit.

* Caius

(1) In Honor. art. 67. & not. 2. Sect. 8. (2) Lib. III. c. 5. (3) In Honor. art. 67.

✠ Caius Silius Patruinus

Cir. an. V. C. 1150. *Chr.* 397.

VOtivum Marmor ab hoc Patruino Iovi dicatum a Gudio exhibetur (1)

IOVI STATORI FVL
GVRATORI D. D.
C. SILIVS. PATRVINVS. V. C.
PRAEFECTVS VRB. EX. V.
SOL.

Perſpicue apparet quod ſi Praefectus ille *ex viſo*, ſive *ex voto* monumentum Iovi dicavit, iis temporibus Vrbi praefuiſſe ille debuit, quibus adhuc Ethnica religio florebat, falſiſque Numinibus ſtatuae dicabantur, quae anno demum 403. vetitae, ac everſae ſunt.

Non plurimum vero ego fallar ſi Patruinum hunc unum eundemque eſſe dixerim, ad quem plurimae Symmachi (2) epiſtolae reperiuntur, in quibus aliqua Vrbanae Praefecturae ab illo ſuſceptae indicia obſervantur. Quandoquidem vero Symmachus in Ep. 10. eiuſdem Libri de Praetura a filio ſuo ſuſcipienda loquitur, cum munus illud Symmachi filius circa annum 397. ſuſceperit, ad eadem tempora Patruini Praefectura referri facile poterit.

Vix vero dubitandum quin Patruinus iſte unus idemque fuerit, qui veluti Conſularis Piceni ab Ammiano (3) laudatur.

Felix

(1) Pag. 6. 4. (2) Libr. VII. ep. 101. &c. 108. 109. 10. 126. (3) Libr. XV. c. 7.

Felix

An. V. C. 1151. *Chr.* 398.

QVod Felix iſte anno Chr. 398. Vrbi praefuerit ex ea Lege perſpicitur, quae 4. Kal. Apr. Mediolani Honorio A. IV., & Eutychiano Conſs. edita *Felici P. V.* inſcribitur (1). Quinetiam ad annum ipſum altera Honorii A. Lex referri debet, qua Auguſtus ipſe *Felici P. P.* praecipit ut Iovinianum haereticum Vrbe pellat (2). Quamvis enim edita dicatur 6. Martii die *Honorio IX. & Theod. V.* hoc eſt anno 412. perſpicuum eſt tamen, quod error aliquis in Conſulum nominibus irrepſit; cum praeſertim Ioviniani mors in annum 406. inciderit (3).

Video quidem quod Gothofredus ſubdubitat an in primae Legis titulo PP. reſcribi debeat quod in ea Lege *Hiſpaniarum* mentio fiat, quae Praefecto Praetorio Galliarum ſubiectae fuerant. Symmachus tamen (4) Felicem ipſum *Ampelii Collegam* appellat, qui certe Vrbi praefuit; ideoque ſubindicat quod etiam Felix Vrbanae Praefecturae munere perfunctus fuerit.

✠ Caius Iubentius

Cir. an. V. C. 1152. *Chr.* 399.

CL. Muratorius mutilum hoc Marmor ex Ligorii ſchedis exhibuit (5)

IMPE-

(1) Cod. Th. Lib. VI. tit. 2. l. 1. Vid. Tillem. in Honor. nota 6. 8. (2) Lib. XVI. t. 5. l. 53. (3) Tillem. nota 34. (4) Lib. V. epiſt. 54. (5) Pag. 265. 5.

Digitized by Google

IMPERATORIBVS INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS
DD. NN. ARCADIO ET HONORIO SEMPER AVG. . . .
SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
VINDICATA REPVBLICA . . . .
ET AFRICAE RE . . . . .

in Marmoris autem latere

C. IVBENTIVS
V. C. P. VR.
DD.

Quum in eiuſmodi Marmore *Africae rebellio* memoretur, Muratorius exiſtimavit de ea rebellione hic agi, quae anno 413. ab Heracliano in Africa excitata, ſed brevi tamen Heracliani morte circa Quintilem menſem compreſſa fuit. Itaque Marmor, ſimulque C. Iubentii Praefecturam ad annum ipſum 413. ſive ſequentem referendam eſſe putavit.

At immortali viro prorſus exciderat quod Arcadius Auguſtus anno 408. e vivis exceſſit; ideoque Marmor anno 413. ipſi dicari non potuit. Itaque potius Marmor ipſum, & C. Iubentius Vrbis Praefectus ad annum 399. revocandus erit, cum Gildone compreſſo Africae rebellio pacata fuerit.

Opportune vero obſervandum quod Marmor ipſum, & quidem integrius, apud Gruterum (1) ipſum extabat, niſi quod Praefecti nomen lateri inſcriptum perperam ab exſcriptore omiſſum fuerat.

IMPERATORIBVS INVICTISSIMIS FELICISSIMISQVE
DD. NN. ARCADIO, ET HONORIO FRATRIBVS
SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
VINDICATA REBELLIONE
ET AFRICAE RESTITVTIONE LAETVS

Flavius

(1) Pag. 287. 3.

Digitized by Google

Flavius Valerius Meſſala

An. V. C. 1152. *Chr.* 399.

MVtilum Gruteri (1) Marmor huius Praefecti nomen nobis conſervavit

.... VS VAL. MESSALA V. C. PRAEFECTVS VRBI AD SPLENDOREM, PVBLICVM IN VICO. PATRICIO. VICTORIAE. ET. FIERI. ET ORNARI. PROCVRAVIT

Quandoquidem vero in Cittadini ſchedis habetur *Flavius*, laciniam in Marmore ſuperſtitem hoc nomine ſupplendam eſſe putavi.

Hoc ipſum Meſſalae Praefecti nomen, ſimulque tempus, quo Vrbi praefuerit, ex pluribus Symmachi (2) locis deprehendi poſſe putaverim. Etenim Symmachus Meſſalae ipſi ſcribens ait: *Fortuna cum Civibus noſtris revertit in gratiam poſtquam te ſibi Praefectum indicavit. Annumerandus eſt igitur ceteris ſperantibus aequitatem Iucundus amiciſſimus meus, quem morbo diu iam gravem Praefectus eminens ad cognitionem privatae litis acciverat.* Poſtquam vero dixit illum adhuc aegritudine detineri, ſubdit (3): *nec deerit ius adverſantis petitioni ſi ad Vicarium tuum diſceptatio transferatur*; alibique *civili cauſae nihil decerpit humanitas ſi ad Vicarium veſtrum transferatur examen*.

Video quidem quod eiuſmodi Symmachi verba etiam *Praetorio Praefectum* innuere fortaſſe poſſunt, qui Vicarios in pluribus Italiae locis habere conſueverat;

(1) Pag. 174. 9. (2) Lib. VII. ep. 80. (3) Epiſt. 88.

rat; cum praeſertim Meſſala quidam Symmacho coaevus Praetorio Italiae praefuerit annis 396. 398. 399. 400. 403. (1) ut ex Theodoſiano Codice apparet; ac Rutilius ipſe Valerii Meſſalae meminerit (2),

Hic & Praefecti nutu Praetoria rexit.

Quinetiam in pluribus anni 399. Legibus Meſſala ipſe P. P. ſemper vocatur tum ante tum poſt diem 8. Idus Iunias, qua Lex Flaviano P. V. inſcripta conſpicitur.

Quandoquidem vero Symmachus (3) ad Meſſalam ſcribens ait *inſtruendam* ſibi, & *adornandam* eſſe *Praeturam* filii, cum munus illud a Symmachi filio circa annum 397. ſuſceptum fuerit, circa eadem tempora Meſſalae nomen Praefectorum Faſtis inſerendum erit.

✠ Virius Flavianus

An. V. C. 1152. *Chr.* 399. & 400.

EIuſmodi Praefecti nomen, ſimulque tempus, quo Vrbi ille praefuit, non modo ex Lege, quae 8. Idus Iunii anni 399. (4) 9. Kal. Feb. (5) 14. Kal. Sept. (6) & 6. Idus Novem. anni 400. edita (7), atque ad ipſum directa fuit, verum etiam ex variis Symmachi locis inferri poterit. Etenim Symmachus (8) ut loca mox proferenda diſſimulem, Ep. 103. ait: *Video Flaviani filii mei honorem propterea huc uſque iacuiſſe ut ei teſtis melior eveniret. Inciderat in Tyranni beneficium iudicio bonorum temporum reſervandus: ſed praeſtitit illi amiſſio Praefecturae quod mutavit auctorem.*

R r Si eiuſmo-

(1) Vid. Tillem. in Honor. nota 3. (2) Lib. I. ver. 273. (3) Ep. 81. (4) Lib. XIV. t. 10. l. 3. (5) Lib. VII. t. 6. l. 6. (6) Lib. XI. t. 30. l. 61. (7) Lib. XI. t. 1. l. 9. (8) Lib. VII. ep. 95. 50.

Si eiuſmodi Symmachi verba de Flaviano patre intelligenda forent, perſpicue ſane demonſtrarent quod ille Eugenii temporibus Vrbanam Praefecturam geſſerit, eamque tunc *amiſſam* proxima Honorii Auguſti aetate recuperavit; ideoque, niſi pater Praefecti munus aliquo ex ſuperioribus annis inter annum 394. & 399. geſſerit, huic eidem anno 399. pater ipſe, non Flavianus filius, Praefectorum Faſtis inſcribendus eſſet. Sin vero potius haec Symmachi verba non de *erepta*, ſed *dilata* ſolum, Praefectura intelligi debeant, tunc ad filium referri commode poterunt, qui anno 383. Proconſul Aſiae fuerat, ac ſupremos alios honores ſperare poterat, niſi Eugenianae factioni una cum patre implicitus ab iis honoribus repulſus fuiſſet.

Ceterum haec Vrbana Flaviani Praefectura illuſtri quodam Symmachi loco confirmari facile poterit. Siquidem ille (1) Longiniano ſcribens ait: *Interea miror quod in viro illuſtri Flaviano domino & filio meo nec gradum honoris, nec ius amicitiae cogitaſti. Nam cum praeſtans auctoritas tua vinarii tituli debita flagitaret, uſque ad officii condemnationem multa progreſſa eſt. Patienter admitte, neque Praefecturam, neque amantiſſimum tui virum tali contumelia debuiſſe perſtringi.* Cum *vinarii tituli debita* non ab alio Praefecto, quam Vrbano flagitari deberent, perſpicue apparet quod hic Vrbana Flaviani Praefectura indicatur.

Facile vero Flavianus ipſe in Gruteri Marmore deſignatur, quod ad annum 412. proferetur, in quo *Vir illuſtris* vocatur; quemadmodum etiam in Lege quadam anni 414. edita (2) Flavianus, & Caecilianus *Viri illuſtres* appellantur.

* Ru-

(1) Lib. VII. ep. 95. (2) Cod. Teod. Lib. VII. tit. 4. l. 33.

Digitized by Google

✠ Rufius Poſtumianus

An. V. C. 1153. *Chr.* 400.

FIeri ne poterit ut in exeſo, mutiloque Margarini (1) Marmore novi, & hactenus incogniti Praefecti nomen delitеſcat? Marmor ipſum ita ſuppleri fortaſse debet

SALVIS DD nn. glorio-
SISSIMIS AVguſtis feli-
CISSIMIS principibus
RVFIVS POScumianus P. V.
DEBOTVS Numini m. Q. eorum
FIERI CVRavit
FL. S. HECTO . . . . .

Quod ſi Poſtumianus iſte vere Vrbi praefuit, non alius, opinor, hic fuerit quam Poſtumianus ille, qui anno 383. Praetorio praefuit, ut ex pluribus Theodoſii Legibus ad ipſum datis apparet. Praeclara tanti viri merita a Gregorio Nazianzeno (2) memorantur, ac Libanius (3) ipſum τὸν πρῶτον Ῥωμαίων *Romanorum principem* appellat. Itaque fortaſſe poſt dignitates alias, & Praefecturam in Oriente geſtas Vrbi Romae ille praefuit.

Quandoquidem tamen vocum laciniae, quae in lacero poſtremo verſu ſuperſunt, non aliud opinor, quam Conſulis nomen, complecti poſsunt, ſuſpicor ibi legendum FL. STILICHONE. V. C. COS. quemadmo-

 dum

(1) Pag. 14. num. 190. (2) Epiſt. 71. de Pace
(3) Epiſt. 209.

dum prorſus in Gudiano Marmore reperitur. Itaque; cum Stilicho *Arcadii*, & *Honorii* temporibus anno 400. cum Aureliano, iterumque anno 405. cum Anthemio Conſul proceſserit, ac plerumque ſolus in Marmoribus nominetur, ſuperior Epigraphe ad annum 400. revocari facile poterit, quo idem ille Poſtumianus facile ſuperſtes, ac Vrbi Praefectus eſse poterat.

Inde vero facile inferri debet quod ab hoc Poſtumiano *Rufius Praetextatus Poſthumianus* diſtinguendus erit, quem Praefectorum Faſtis ad annum 445. inſcribam.

Anicius Acilius Glabrio Fauſtus

Cir. an. V. C. 1153. *Chr.* 400.

MVratorius (1) ex Ligorii ſchedis hoc Marmor exhibuit

..DD.NN.AETERNIS PRINCIPIBVS HONORIO ET ARCADIO
ANICIVS ACILIVS GLABRIO FAVSTVS V.C. PRAEF. VRBIS
VICE SACRA IVDIC.
FATALI CASV SVBVERSAM. IN FORMAM PRISTINI VSVS
RESTITVIT

Marmor ipſum Gruterus (2) ex Smetio acceptum exſcripſerat, ſed ita tamen ut poſtremas verſuum voces fortaſse exeſas omnino praeterierit.

Quum Arcadius una cum Honorio fratre ab anno 395. ad annum uſque 408. imperaverit, perſpicue conſtat quod annus, quo Fauſtus ille Vrbi praefuit, his terminis circumſcribi debet.

Quando-

(1) Pag. 466. 2. (2) Pag. 192. 2.

Quandoquidem vero in alio Gruteri (1) Marmore legitur quod *Anicius Acilius Glabrio Fauſtus V. C.* ſtatuam *Acilio Glabrioni Sibidio V. C. patri ſuo* dicavit, perſpicue apparet quod Praefectus iſte eius Sibidii filius fuit.

Fabius Felix Paſifilus Paulinus

Cir. an. V. C. 1153. *Chr.* 400.

Brevis Epigraphe in binis Marmoribus apud Gruterum (2) expreſsa reperitur

FABIVS. FELIX
PASIFILVS. PAVLINVS
V. C. ET. INL. PRAEF.
VRBI. DEDICAVIT

Paſiphilus quidem aliquis Honorii aetate anno 395. in Theodoſiano Codice memoratur (3), & Gothofredus optime exiſtimavit quod Paſiphilus ipſe tunc temporis Provinciam quandam adminiſtraverit. Quod ſi fortaſse Praefectus ille idem cum hoc Paſiphilo cenſeri poſſit, facile circa annum 400. Praefectorum Faſtis inſcribi ille poſset. Paſiphilus etiam alius occurrit, cui Palladius Rutilius Libros ſuos de *Re Ruſtica* inſcripſit. Quamvis autem Palladii aetas incognita ſit, vix tamen ad ſequiora haec tempora referri ille poterit; ideoque Paſiphilus Palladii maecenas a Paſiphilo noſtro diſtinguendus erit, ſecus ac doctiſſimo Valeſio videbatur (4).

* Aemi-

(1) Pag. 344. 2. (2) Pag. 1080. 1. (3) Lib. II. tit. 1. l. 8.
(4) Ad Ammian. Lib. XXIX. c. 1.

Digitized by Google

✠ Aemilius

Cir. an. V. C. 1153. *Chr.* 400.

ILlud unum ex ſequenti Gruteri (1) Marmore exſculpi poteſt quod Aemilius quidam aliquando Vrbi praefuit

AEMILIAE
ANDRONICENES C. ET SPECT.
F. NEPTIS VRBIS PRAEFECTI FI
LIAE COMITIS AFRICAE. NVRVS
COMITIS ORDINIS PRIMI ISAVRIAE
DVCIS. OONIVGIS COMITIS SACR.
LARGITIONVM ILLVSTRIS

Reineſius quidem ex integro Epigraphes contextu coniecit Aemiliam ipſam cuiusdam *Caii Aemilii Andronici* (2), ſimulque cuiusdam *Spectatae* filiam fuiſse, longaque nominum ſerie integram, ſi Deo placet, ipſius genealogiam contexuit. Sed quid ſubtilibus coniecturis, aut tricis iſtis exhibendis hic immorer, cum ſiglis illis C. ET SPECT. F. nihil aliud exprimatur, quam *clariſſimae & ſpectabilis faeminae*, ideoque *Caius*, eiuſque coniux *Spectata* prorſus evaneſcant?

Quod ſi Reineſii, doctiſſimi alioquin, ac diligentiſſimi viri pace, leviſſimae coniecturae illae reſecentur, id unum ex ſuperiori Marmore exſculpi poterit, quod *Aemilius* quidam aliquando Vrbi praefuit, qui Aemiliae noſtrae avus fuerit; ubi ſcilicet illa, ut veriſimil-

(1) Pag. 347. 8. (2) Clar. I. 16. pag. 38.

ſimillimum cenſeo, avi paterni, ac patris etiam nomen geſſerit. Quis vero dixerit qua potius aetate aut Aemilius, aut Andronicus ille floruerit? Dignitates, quae in Marmore memorantur, ac praeſertim tot *Comitivae*, quae ab Aemiliae patre, ſocero, viro geſtae ſunt, argumento eſſe poterunt ipſam circa Theodoſii M. tempora vixiſſe; ideoque Aemilium eius avum, qui fortaſſe cum aliquo ex coaevis, nobiſque cognitis Vrbis Praefectis confundi poterit, circa annum 400. Praefectorum Faſtis inſcribi poſſe.

✠ Andromachus II.

An V. C. 1153. *Chr.* 401.

ITerum Andromachi Praefecti nomen hoc anno Faſtis inſerendum eſſe demonſtrat Lex illa, quae VII. Kalendas Iulias edita, & *Andromacho Praefecto Vrbis* inſcripta fuit (1).

Flavius Peregrinus Saturninus II.

Cir. an. V. C. 1153. *Chr.* 401.

PLurima eius viri merita, ac dignitates, praeſertim vero Vrbani Praefecti munus ſemel iterumque ab illo ſuſceptum in ſequenti Reineſii Marmore recenſentur (2)

FL. PEREGRINO SATVRNINO
A PRIMIS ADOLESCENTIAE SVAE ANNIS
PACE

(1) Cod. Theod. Lib. XI. tit. 28. l. 3. (2) Append. num. 10. & Spon. Miſc. Sect. IV.

PACE BELLOQVE IN REPVBLICA DESV
DANTI POST IVGES EXCVBIAS MILITIAE
TRIBVNO MILITVM COMITI ORDINIS
PRIMI MODERANTI ILLVSTREM SACRI
PATRIMONII COMITIVAM SECVNDO VRB.
PRAEFECTO CVI OB TESTIMONIVM MORVM
INTEGRITATIS ATQVE IVSTITIAE
SINGVLARIS INLVSTRIS VRBANAE
PRAEFECTVRAE GEMINAM DIGNITATEM
SACRO IVDICIO AETERNI PRINCIPES
DETVLERVNT MERITORVMQVE INSIGNIVM
CONTEMPLATIONE AD POSTERITATIS
MEMORIAM DECORANDAM STATVAM SVB
AVRO FVLGENTEM IN FORO DIVI TRAIANI
ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT

Quum Peregrinus iſte in hoc Marmore *moderans illuſtrem ſacri Patrimonii Comitivam* dicatur, atque Arcadii, & Honorii Lex anno 399. edita ad *Peregrinum Comitem, & Procuratorem Domus Divinae* dirigatur (1), dubitari certe vix poterit quin unus idemque ſit civis ille, qui in Lege, ac Marmore nominatur; & Flavii Saturnini filius fortaſſe ille fuit, qui anno 383. Conſul proceſſit. Quandoquidem vero poſt Comitivam illam Praefecti dignitas ipſi conceſſa memoratur, & annis 401. 402. nullus omnino Praefectus Vrbis occurrit, nihil veriſimilius admitti poteſt, quam quod Peregrinus alterutro ex annis illis Praefecti munere ſit decoratus.

* Decius

(1) Cod. Theod. Lib. IX. tit. 42. l. 16.

✠ Decius

An. V. C. 1155. *Chr.* 402.

HOnorii Auguſti Lex in Theodoſiano Codice reperitur (1), quae cum hoc anno Ravennae 6. Decembris die vulgata, ac *Decio Praefecto Vrbis* inſcripta ſit, perſpicue demonſtrat quod Decius ille extremo ſaltem huius anni tempore Vrbi praefuit. Quod vero Decius in Praefecti munere Flaviano ſucceſſerit ex illuſtri Symmachi (2) loco deprehendi poteſt. Etenim is in Epiſtola, qua Decio nuper electo dignitatem hanc gratulatur, ait: *debeo laetitiam confiteri, quae Praefecturae habenas ad bonam tranſtulit voluntatem. Interea non minore alundo laetitia quod domini, & filii mei Flaviani prolixus in iudicando labor optata quiete perfruitur; neque enim differri diu ab hoc praemio par fuit, neque illum ab ocio retardari.*

Quis vero coniicere, vel divinare unquam poterit ad quamnam gentem Decius ille referri debeat, cum hac etiam in parte mira perplexitas, & obſcuritas habeatur? Macrobius (3) quidem Decium quendam Albini filium in Saturnalibus loquentem inducit; ſed, cum iisdem ipſis temporibus & *Furius Albinus*, & *Caecina Albinus* floruerint, ambiguum plane eſſe debet ad quem ex Albinis illis veluti patrem hic Decius referri debeat.

(1) Lib. VII. t. 13. leg. 15. (2) Lib. VII. ep. 50.
(3) Saturn. Lib. I. c. 12.

Flavius Macrobius Longinianus

An. V. C. 1156. *Chr.* 403.

IN magnifico quodam Elogio, quod una cum ſtatuis Arcadio, & Honorio Auguſtis poſitum fuit, Praefecti hujus nomen, maxima tamen ex parte eraſum, reperitur (1)

S. P. Q. R.
IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRIN
CIPIBVS ARCADIO ET HONORIO VICTORIBVS
AC TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGG. OB
IN TAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS
PORTAS AC TVRRES EGESTIS IMMENSIS
RVDERIBVS EX SVGGESTIONE V. C. ET IN
LVSTRIS MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQVE
MILITIAE STILICONIS AD PERPETVITATEM
NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT
CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO
V. C. PRAEF. VRB. D. N. M. Q. EORVM

Ac certe quidem hoc anno 403. Vrbis moenia ab Honorio Auguſto reparata fuiſſe poſtquam Gothi Italiam ingreſſi Romam invadere meditabantur Claudianus *in VI. Conſulatu Honorii*, quem proximo anno 404. ille ſuſcepit, his carminibus memoravit (1)

. . . Addebant pulcrum nova moenia vultum
Auditu perfecta recens rumore Getarum,

Perfe-

(1) Grut. 165. 1. (2) Ver. 341.

Perfecitque opifex decori timor, & vice mira,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus.
Erexit ſubitas turres, cinctoſque coegit
Septem continuo montes iuveneſcere muro.

Itaque Macrobii Praefectura ante Arcadii Auguſti mortem, quae anno 408. contigit, incidiſſe debuit, longeque facilius ad annum 403. abſoluta iam Decii Praefectura poſtquam anno 399. Comes Largitionum fuiſſet, & antequam Praetorio Italiae anno 406. praeeſſe inciperet, atque in eo munere anno 408. interiret (1)

Muratorius quidem a Contelorio deceptus Longinianum ipſum anno 394. Praefectum fuiſſe dixit, optimeque tamen illum in hoc Marmore memoratum eſſe putavit (2)

HIC EST LONGINIANVS QVI FON
TES BAPTISMATIS CONSTRVXIT
SANCTI PAPAE DAMASI VERSIBVS
NOBILITATOS

Marmor aliud ad baptiſmalem fontem in Eccleſia S. Anaſtaſiae habetur, in quo id ipſum perſpicue diſerteque expreſſum conſpicitur (3)

HANC AVTEM FIDEI SEDEM CONSTRVXIT AB IMO
MILITIAE CLARVS TITVLIS AVLAEQVE FIDELIS
ROMANAEQVE VRBIS PRAEFECTVS LONGINIANVS

(1) Zoſim. Lib. V. c. 7. (2) Pag. 1904. 1.
(3) Fleetvood pag. 440. 1.

✱ Caecilianus

Cir. an. V. C. 1157. *Chr.* 404.

GRuterus (1) Epigraphem, ſed mire vitiatam, ediderat, quam deinde Muratorius accuratius expreſſit (2)

VINICIAE MARCIANAE C. F.
FIL. CAECILIANI. P. V. BIS. RATION.
VRBIS. ROMAE. ET. AFRICAE
PRAES. LVSITANIAE. CORR. APVL. ET
CALABR. VIC. PRAEF. PER ITAL.

Ac Muratorius quidem exiſtimavit ſiglis illis P. V. *Praefectum Vrbis* deſignari. Si id ille recte coniecit, neque *Vir Perfectiſſimus* legi debeat, de eo Caeciliano intelligi facile poterit, qui ſub Honorio anno 404. *Vicarius* fuit, & anno 409. Praetorio praefuit, ut ex variis Legibus ad ipſum datis oſtendit Gothofredus. Itaque, niſi Praefectus Vrbis fuerit, Vicariam tamen Praefecturam, ut in Marmore legitur, ille obtinuit, cum praeſertim Symmachus ipſum Iudicem fuiſſe teſtetur (3) quod facilius *Vrbis*, quam *Praetorii*, Vicarium deſignat.

Flavius

(1) Pag. 1098. 1. (2) Pag. 725. 3. (3) Lib. IX. epiſt. 47.

Flavius Piſidius Romulus

An. V. C. 1159. *Chr.* 406.

ROmuli Praefecturam poſt annum 405. collocandam eſſe demonſtrat inſigne Marmor, quod Stilichoni dicatum fuerat, & nunc etiam, ſuperiori tamen eius parte diffracta, adeoque amiſſo Herois illius nomine, Romae conſpicitur (1)

. . . .

VIRO. BIS. CONSVLI. ORDINARIO
MAGISTRO. VTRIVSQVE. MILITIAE
COMITI. DOMESTICORVM
ET. STABVLI. SACRI. ADQVE
AB. INEVNTE. AETATE. PER
GRADVS. CLARISSIMAE
MILITIAE. AD. COLVMEN. REGIAE
ADFINITATIS. EVECTO. SOCIO
BELLORVM. OMNIVM
ET. VICTORIARVM. ADFINI
ETIAM. DIVI. THEODOSI. AVGVSTI
ITEMQVE. SOCERO
DOMINI. NOSTRI. HONORI. AVGVSTI
POPVLVS. ROMANVS
PRO. SINGVLARI. EIVS
CIRCA. SE. AMORE

ADQVE.

(1) Grut. pag. 412. 4.

Digitized by Google

ADQVE. PROVIDENTIA
STATVAM. EX. AERE. ARGENTOQVE
IN. ROSTRIS. AD. MEMORIAM
GLORIAE. SEMPITERNAE
CONLOCANDAM. DECREVIT
EXEQVENTE. FL. PISIDIO. ROMVLO
V. C. PRAEF. VRBIS

Itaque, cum ſecundus Fl. Stilichonis Conſulatus in annum 405. inciderit, titulus ille, quo iteratus hic conſulatus memoratur, poſt annum 405. excitari debuit; cumque proximis annis alia Praefectorum nomina Faſtos impleverint, Romulus ipſe ad annum 406. referri commode poterit, poſtquam exeunte fere anno 405. Stilico Radagaſium Gothum prope Feſulas in Etruria ſuperaverat. At fieri tamen fortaſſe potuit ut anno ipſo 400. ſed exeunte, Vrbi praeeſſe ille caeperit, cum Lex quaedam 6. Auguſti die edita ipſi veluti Praef. Praetorii inſcripta videatur (1). Id unum tamen perſpicue certoque ſtatuendum, quod Romulus iſte cum eo Romulo confundi non poteſt, qui anno 343. Conſularibus Faſtis inſcibitur.

Senator

An. V. C. 1160. *Chr.* 407.

IN Iuſtiniani Codice (2) Lex quaedam 8. Kal. Martii Romae *Honorio VII. & Theodoſio II. Coſs.*, ideoque hoc anno 407. edita reperitur, quae *ad Senatorem*

(1) Cod. Th. Lib. IX. tit. 38. l. 10. (2) Lib. I. tit. 5. l. 4.

rem Praefectum Vrbis dirigitur; ideoque nobis oſtendit hunc Senatorem ſaltem ineunte hoc anno Vrbi praefuiſſe. Itaque, licet in Theodoſiano Codice (1) Lex illa *Senatori Praefecto P.* inſcripta ſit, idque de Galliarum, ſive Italiae Praetorio Praefecto ab aliquibus intelligatur, veriſimilius eſt tamen quod ad Praefectum Vrbis ſpectet (2); cum praeſertim Italiae Praetorio anno 407. Curtius praeſideret, ut ex Lege erudimur, quae 6. Idus Apriles eodem anno Ravennae, vel Romae edita fuit (3).

✠ Pompeianus

An. V. C. 1161. *Chr.* 408.

INterim dum Alaricus Gothorum Rex Romanam Vrbem obſideret Pompeianum hunc Vrbani Praefecti munere functum fuiſſe teſtatur Zoſimus (4), ſimulque ipſum Ethnicorum ritibus, ac ſuperſtitionibus addictum fuiſſe demonſtrat: Πομπηιανὸς ὁ τῆς πόλεως Ὕπαρχος ἔπραττεν ὅσα ἐκ τῶν ἱερατικῶν ὄφελος *Pompeianus Praefectus Vrbis quaecumque de Pontificum Libris fieri oporteret, fecit.*

Itaque Pompeianus iſte, dum anno 400. 401. Africae Proconſul fuiſſet, ut ex Legibus ad ipſum datis apparet, exeunte anno 408. Vrbis Praefecturam ſuſcepit; deinde vero cum Romani ab Alarico obſeſſi fame diriſſima torquerentur Pompeianus ipſe ab irato populo, ut in S. Melaniae Actis (5) habetur, interemptus fuit.

* Hila-

(1) Lib. XVI. tit. 5. l. 4. (2) Vid. Tillem. in Honor. art. 26. & nota 23. (3) Cod. Th. Lib. XIV. t. 1. l. 5. (4) Lib. V. c. 41. (5) Sur. die 7. Decem.

✠ Hilarius

An. V. C. 1161. *Chr.* 408.

HIlarium hunc anno 408. Vrbi praefuiſſe Arcadii, & Honorii Lex 18. Kal. Februarii *Baſſo*, *& Philippo Coſs.* edita, & ad ipſum directa demonſtrat (1). Quum autem Hilarius quidam, aut Hilarianus anno *396.* Galliarum Praetorio Praefectus occurrat (2), fieri fortaſſe poteſt ut Hilarius poſt dignitatem illam ipſo quoque Vrbanae Praefecturae munere decoratus fuerit; quemadmodum etiam coniicere facile poſſumus hunc eundem eſſe, cui Symmachi (3) Epiſtolae ſcriptae ſint.

Flavius Philippus

Cir. an. V. C. 1161. *Chr.* 408.

IN Gruteri Marmore Praefecti huius nomen occurrit (4)

FLAVIVS PHILIPPVS VIR CLA
RISSIMVS. PRAEFECTVS. VRBI. NYMPE
VM. SORDIVM. SQVALORE. FOEDA
TVM. ET. MARMORVM. NVDITATE
DEFORME. AD. CVLTVM. PRISTINVM
REVOCAVIT

Quum nullus omnino temporis character hic exprimatur, divinare vix poſsumus quo demum anno

Philip-

(1) Cod. Theod. Lib. XIV. t. 4. l. 8. (2) Cod. Iuſt. Lib. XII. t. 38. l. 8. (3) Lib. III. ep. 38. 42. II. 79. X. 62. (4) Pag. 181. 10.

Digitized by Google

Philippus hic Vrbi praefuerit. Quandoquidem tamen anno Chr. 408. *Philippi*, ſive, ut in Fabretti (1) Marmore legitur, *FL. Fylippi V. C.* nomen in Conſularibus Faſtis occurrit, nihil veriſimilius admitti poteſt quam quod utrobique unus idemque Fl. Philippus indicetur, ideoque Praefecti munus ab eo ſuſceptum proxime ad annum, quo Conſul proceſſerat, referatur; niſi fortaſse hoc anno utrumque munus ſuſceperit, ut Pagius exiſtimavit.

Itaque, ſi Conſulis, ac Praefecti quoque munere decoratus fuit, optime cum Gothofredo a Fl. Philippo diſtingui ille debet, qui anno 418. & 421. Illyrici Praefectus fuit, ut ex Codicis Theodoſiani Legibus ad ipſum directis apparet (2).

Bonoſianus I.

An. V. C. 1162. *Chr.* 409.

SOlo duarum Legum praeſidio, quarum una (3) 25. Septembris, altera (4) 28. Novembris die edita fuit, & quarum utraque *Bonoſiano P. V.* dirigitur, Praefecti huius nomen agnovimus. Earum tamen prima *poſt Conſulatum Varanae*, hoc eſt anno 411. ſignatur; altera vero Honorio VIII. & Theodoſio III. Coſs. quod in preſentem annum 409. concurreret. Gothofredus quidem exiſtimat utramque Legem ad annum 411. referendam eſſe; ſed fieri profecto potuit ut Bonoſianus ille ſemel iterumque Vrbi praefuerit; ideoque eius nomen in utroque ex annis illis Praefectorum Faſtis inſcribam.

(1) Cap. IV. n. 120. p. 268. (2) Lib. XVI. t. 8. l. 21. Lib. XVI. t. 2. l. 45. (3) Cod. Th. Lib. XIV. tit. 1. l. 6.
(4) Lib. XV. t. 1. l. 48.

✠ Flavius Priſcus Attalus

An. V. C. 1162. *Chr.* 409.

MIſerrimam Romanae Vrbis ab Alarico captae conditionem Zoſimus (1) deſcribens aſſerit Alarici imperio hunc Attalum dum Vrbani Praefecti munere fungeretur ad Imperium evectum eſſe, καὶ κατὰ τὸ κελευσάμενον Ἄτταλον ὄντα Ὕπαρχον τῆς πόλεως εἰς τὸν Βασίλειον ἀναβιβάζουσι θρόνον: ἁλουργίδα, καὶ στέφανον περιθέντες, ὁ δὲ παραχρῆμα Λαμπάδιον μὲν τῆς αὐλῆς ἀναδείκνυσιν Ὕπαρχον, Μαρκιανὸν δὲ τῆς πόλεως ἔταξεν ἄρχειν *ac uelut iuſſi fuerant, Attalum Praefectum Vrbis ſublimem in auguſto Solio Purpura Coronaque cinctum collocant. Is extemplo Lampadium Praefectum Praetorii declarat, & Marcianum Praefectum Vrbis conſtituit.*

Eadem fere Sozomenus (2) etiam teſtatur, atque Attalum ipſum eadem prorſus phraſi Ὕπαρχον τῆς πόλεως *Praefectum Vrbis* appellat. Quod vero Praefecti dignitas eidem Attalo non ab Alarico, ſed ab Honorio Auguſto conceſſa iam foret Zoſimus (3) ipſe demonſtrat cum ait ὁ Βασιλεὺς Ὕπαρχον μὲν τὸν Ἄτταλον εἰς τὴν Ῥώμην ἐκπέμπει *Imperator Attalum Vrbi Praefectum Romam miſit*; eo nimirum tempore, quo nondum Vrbs Roma ab Alarici militibus obſeſſa fuerat.

* Mar-

(1) Lib. VI. c. 7. (2) Hiſt. Eccl. Lib. IX. c. 8. & Socra. L. VII. c. 10. (3) Lib. V. c. 46.

Digitized by Google

✠ Marcianus

An. V. C. 1162. *Chr.* 409.

ZOſimi teſtimonio, quod ſuperiori loco iam protuli, perſpicue apparet quod Attalus anno 409. ſuſcepta iam Auguſti dignitate Vrbanam Praefecturam, quam geſſerat, huic Marciano conceſſit. Quemadmodum vero Attali ipſius Imperium breviſſimum fuit, neque annum illum exceſſit, ita quoque coniicere facile poſſumus quod Marciani Praefectura iiſdem omnino finibus circumſcripta fuerit.

✠ Bonoſianus II.

An. V. C. 1164. *Chr.* 411.

ALteram hanc Vrbis Praefecturam a Bonoſiano geſtam perſpicuae Legis praeſidio demonſtravi, quam ſuperius ad annum 409. indicavi. Fieri tamen fortaſſe potuit ut Bonoſianus ipſe intermedio quoque anno 410. Vrbi praefuerit; ſed in tanto Legum, aut Scriptorum ſilentio id certo aſſerere non licet.

Palmatius

An. V. C. 1165. *Chr.* 412.

PAlmatii nomen, ac dignitas ex ea Lege deprehendi poteſt, quae hoc anno 4. Kal. Aprilis ab Honorio edita *Palmato P. V.* inſcribitur (1); quemadmodum

(1) Cod. Theod. Lib. XIV. t. 2. l. 4.

dum Leges aliae Idibus Octobris editae, atque Epiphanio P. V. inſcriptae (1) perſpicue nobis oſtendunt quod hoc ipſo anno Palmatius Epiphanium in Praefecti munere ſucceſſorem habuit.

Eiuſmodi vero Praefecti nomen Palmatum alium, ſed Conſulem, in mentem revocat, qui in praeclaro Chriſtiano Marmore memoratur (2)

DACIANA DIACONISSA
QVAE V. AN XXXXV. M. III.
ET FVIT. F. PALMATI. COS.
ET SOROR VICTORINI. PRESBRI
ET MVLTA PROFETAVIT
CVM FLACCA ALVMNA
V. A. XV. DEPOSITA IN PACE III. ID. A

Quum Palmatii cuiusdam Conſulis nomen in Actis S. Calliſti Papae habeatur, atque in Romanis Eccleſiae Faſtis 10. Maii die legatur *decollatus eſt etiam* ſub Alexandro Imperatore *Palmatius Conſul cum uxore, & filiis*, ac fruſtra tamen eius Conſulis, utpote ſuffecti, nomen in Conſularibus Faſtis inquiratur, Cl. Maffeius (3) Marmor ipſum exſcribens adnotavit = *indubitatum praeclariſſima haec Inſcriptio illi* Conſuli *teſtimonium reddit*: perinde ac ſi de uno eodemque Palmato Conſule utrobique ageretur, quod tamen adhuc obſcurum, & incertum eſſe putaverim.

Certe alterius etiam Palmatii *Conſularis* nomen apud Sigebertum invenio, a quo memoratur quod *Palmatius Conſularis, & Patricius Trevirorum* ſub Rictiovaro mortuus, anno 1071. Treviris ſepultus fuit. Celebre eſt *Rictiovari*, ſive potius *Rictii Varii* nomen in Eccleſiae Faſtis

(1) Lib. VI. tit. 18. l. un. & Lib. VI. t. 26. l. 14.
(2) Murat. 437. 1. (3) Muſ. Veron. p. 179.

Digitized by Google

Faſtis (1), cum Martyres plurimi ſub eo Praeſide paſſi ſint; cumque Rictiovarus anno 288. obiiſſe dicatur, primiſque Diocletiani temporibus Chriſtianos in Gallia vexaverit, Palmatii Conſularis mors circa ea tempora contigiſſe debuit; ideoque a Palmato Praefecto, & Palmato Conſule diſtinguendus erit, qui in Actis S. Calliſti memoratur.

Ac certe quidem Palmatius ille *cum uxore*, *& filiis* interemptus fuit; Daciana vero in pace obiſſe dicitur, ac patri ſuperfuiſſe videtur.

Itaque, niſi plurimum fallor, Daciana neutrius ex Palmatis illis filia fuit; longeque facilius ad Palmatium hunc Vrbis Praefectum referri illa poterit, qui facile Conſulatum etiam, ſuffectum tamen, geſsiſse potuit. Certe haec opinio Cl. Hagembuchii (2) ſententiae praeferri facile poteſt, qui Dacianam ejus Palmati filiam fuiſse dicit, qui una cum S. Calliſto interemptus fuit, & anno 221., ſive 222. Hagembuchio indice, Conſulatum obtinuit.

Quod ſi Palmatus huius anni Praefectus ex una eademque familia fuit., ex qua Iunius Palmatus Alexandri Severi aetate, hoc eſt anno 232. in Illyrico Dux (3) prodierat, Praefecti nomini *Iunii* cognomen adiungi deberet.

Flavius Annius Eucharius Epiphanius

An. V. C. 1165. Chr. 412.

QVod Epiphanius quidam hoc anno Vrbanae Praefecturae munere perfunctus ſit perſpicue diſerteque traditur in Lege, quae 15. Octobris die *Epiphanio P. V.*

(1) Vid. Till. Hiſt. Eccl. Tom. V. art. 2. (2) Epiſt. Epigr. pag. 12. (3) Lamprid. in Alex.

P. V. inſcripta fuit. (1) Integrum vero ejus Praefecti nomen, ſimulque tempus, quo dignitatem illam obtinuit, ex Gruteri (2) quoque Marmore deprehendi poteſt.

SALVIS DOMINIS NOSTRIS HONORIO ET THEO
DOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS
SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD
VIR ILLVSTRIS FLAVIANVS INSTITVERAT
ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT
FLAVIVS ANNIVS EVCHARIVS EPIFANIVS V. C.
PRAEF. VRB. VICE SACRA IVD. REPARAVIT
ET AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT

Ita prorſus in alio Lapide apud Muratorium (3) habetur

FL. ANNIVS EVCHARIVS EPIPHANIVS V. C.
PRAEF. VRB. VICE SACRA IVD. REPARAVIT

Quandoquidem vero Epiphanius ille in neutro ex his Marmoribus *bis Praefectus Vrbis* vocatur, in Legem quae 15. Octobris die anni 407. ad ipſum veluti P. V. dirigitur (4), error aliquis irrepſiſſe debuit; cum praeſertim *Ravennae* edita dicatur, ac perſpicuo Zoſimi teſtimonio compertum ſit quod Honorius Octobri menſe eius anni Romae morabatur. (5) Ita quoque facile error in Legem aliam irrepſit, quae 27. Decembris die anni 414. ad Epiphanium dirigitur (6), eaque ſolum Lex velut accurata admitti debet, quae Idibus

(1) Cod. Theod. Lib. VI. t. 26. l. 14. t. 18. l. un.
(2) Pag. 170. 5. (3) Pag. 701. 2. (4) Lib. VI. t. 26. l. 14.
(5) Vid. Tillem. in Honor. nota 23. & 34. (6) Lib. VI. t. 24. l. 7.

Idibus Octobris anni 412. Epiphanio P. V. inſcribitur (1); ideoque non alteri, quam huic anno, Epiphanii Praefectura adſcribi debet.

✠ Eutychianus

An. V. C. 1167. *Chr.* 414.

QUum Lex (2) quaedam hoc anno 4. Idus Ianuarii ab Auguſtis edita de *Eutychiano P. V.* loquatur, dubitari non poterit quin Eutychianus ille ineunte anno 414. Vrbi praefuerit, ipſique ante 17. Septembris diem Albinus ſucceſſerit, ut mox oſtendetur. Certe Lex illa Probo Comiti Sacrarum Largitionum directa de Eutychiano ita loquitur, ut ille tunc temporis Vrbanae Praefecturae munere fungens indicetur: *omnia ſubmota ſunt iam miſſa ſuper hac re auctoritas declaravit praelata litteris ad Eutychianum Praefectum Vrbi*.

Claudius Rutilius Numatianus

An. V. C. 1167. *Chr.* 414.

DElatum ſibi Praefecti munus, ſimulque dignitates alias, quas Romae *Officiorum Magiſter*, *ac Praetorii Praefectus*, ſive potius *Tribunus* obtinuit, perſpicue diſerteque Rutilius ipſe recenſet in Carmine, quo reditum ſuum in patriam, vel Gallicum iter deſcribit. Etenim de Piſarum Tribuno loquens ait (3).

Praebet equos, offert etiam carpenta Tribunus
Ex commilitio carus & ipſe mihi.

Officiis

(1) Lib. VI. t. 18. l. un. (2) Cod. Thod. Lib. VII. tit. 8. l. 11. (3) Lib. I. verſ. 561.

Officiis regerem cum regia tecta Magiſter,
Armigeraſque pii Principis excubias.

Antea vero iam Vrbe diſceſſurus Romam alloquens dixerat (1)

Si non diſplicui regerem cum iura Quirini,
Si colui ſanctos, conſuluique Patres.
Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum
Non ſit Praefecti gloria, ſed populi.

Clarius autem Vrbanae Praefecturae munus ex verſibus aliis apparet, quibus ſe Populonium Etruriae urbem appuliſse memorat, & Rufium Venerium Voluſianum alloquens ait (2)

Hic Praefecturam ſacrae cognovimus Vrbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Feſta dies, pridemq. meos dignata penates (3)
Poſte coronato vota ſecunda colet.
Exornent virides communia gaudia rami,
Provecta eſt animae portio magna meae.
Sic mihi ſic potius placeat geminata poteſtas
Per quem malueram rurſus honore fruar.

quemadmodum antea neceſsitudinem cum Rufio ipſo initam, integrumque ejus nomen expreſserat (4)

Iamque aliis Romam redeuntibus haeſit eunti
Rufius Albini gloria viva patris.
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et Reges Rutulos, teſte Marone, refert,
Hujus facundae commiſſa Palatia linguae,
Primaevus meruit Principis ore loqui.

Rexe-

(1) Ver. 157. (2) Ver 417. (3) Ver. 423. (4) Ver. 167.

Rexerat ante puer populos Proconſule Poenos,
Aequalis Tyriis terror, amorque fuit.
Sedula promiſit ſummos imitatio faſces,
Si fas eſt meritis credere, Conſul erit.
Invitum triſtis tandem remeare coegi &c.

Integrum vero Rufii nomen exponens ait (1)

Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu, Veneris cariſſime Rufi,
Illo te dudum pagina noſtra canit.

Itaque Rutilii amicus, & comes *Rufius Venerius Voluſianus* vocabatur; neque enim *Veneris*, ut depravate in excuſis habetur, ſed *Veneri* vocandi caſu legendum eſt; cumque Rutilius ipſi *ſacrae Vrbis Praefecturam* gratuletur, quae pridem ſuos quoque Penates dignata fuerat, perſpicue apparet quod Rutilius ipſe iam pridem eodem ipſo Praefecti honore decoratus fuerat.

Haec ipſa *Praefecti* dignitas a Rutilio ſuſcepta ex verſibus aliis deduci ſolet, quibus Albinum ſucceſsorem deſcribit, in cuius Villam prope Volaterranum litus ſeceſserat: (2)

Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo ſubiunxit honori,
Per quem iura meae continuata togae.
Non expectatos praevenit laudibus annos
Vitae flore puer, ſed gravitate ſenex.
Mutua germanos iunxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Praetulit ille meas, cum vincere poſſet, habenas;
Praedeceſſoris maior amore fuit.

V v Itaque,

(1) Ver. 419. (2) Ver. 466.

Digitized by Google

Itaque, cum Tillemontius (1) ceterique Scriptores ibi Rutilium de eo Albino loquutum eſse arbitrentur, qui poſtremis anni 414. menſibus Vrbi praefuit, Rutilium ipſum hoc anno inter Eutychianum, & Albinum Praefectorum Faſtis inſerendum eſse putarunt.

Quamvis autem Rutilius ipſe ante 16. Septembris diem anni 414. Praefecti munus abſolverit, ſtatimque, ut videtur, de ſuo in Gallias reditu cogitaverit, ſerius tamen optatum hoc iter ſuſcepit. Certe Scaliger reditum hunc ad 24. Septembris diem anni 416. revocavit; Tillemontius autem ad annum 417. ſive etiam 420. differendum eſse putavit. Etenim, ut Tillemontius optime obſervavit, anno 421. Voluſiani Praefecti nomen Faſtis inſcribi debet, ut mox oſtendetur; ideoque, ſi Praefectura Voluſiano delata Rutilio iam iter ingreſſo, ac Populonii degenti nunciata fuit, Rutilii reditus autumno praecedentis anni 420. contigiſse debuit: aut, ſi fortaſse Voluſianus ille etiam anno 418. Vrbi praefuit, reditus ipſe ad ſuperiorem autumnum anni 417. referri debebit quod facile Probianus Praefecti honorem, quo ſuperiori Decembri menſe fungebatur, abſolverat.

Longe vero ſubtilior, & accuratior Scaligeri calculus, & opinio cenſeri debet, quippequae Rutilii teſtimonio, certiſque temporum characteribus innitatur. Siquidem Rutilius ipſe Roma digrediens ita Romam ipſam alloquitur (2)

Quamvis ſedecies denis poſt mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus eat,

ideoque demonſtrat quod annus 1169. ab V. C. tunc agebatur, qui in Varroniana quidem hypotheſi anno 416. in Catoniana vero anno Criſti 417. reſponderet.

(1) In Honor. nota 39. (2) Ver. 135.

ret. Quod autem Varronianum ſolum Aeram ibi Rutilius uſurpaverit ex additis anni characteriſmis inferendum eſse Scaliger exiſtimavit. Ait enim Rutilius (1)

Et iam nocturnis ſpatium laxaverat boris
Phoebus Chelarum pallidiore polo.
Cunctamur tentare ſalum, portuque ſedemus,
Nec piget oppoſitis ocia ferre moris
Occidua infido dum ſaevit gurgite Pleias,
Dumque procelloſi temporis ira cadat.
Expectata (2) fides pelagi terquinque diebus
Dum melior Lunae fideret aura novae
Tum diſceſſurus &c.

Itaque, concludit Scaliger, cum novilunium in 9. Octobris diem anno 416. inciderit, Rutilii diſceſſus, qui 15. diebus novilunium ipſum praeceſserat, ad 24. Septembris diem referri debet, in quo, Columella teſte, autumnale aequinoctium, ideoque noctis incrementum collocatur.

Quamvis autem de eiuſmodi obſervatione ſibi mirifice Scaliger blandiatur, eamque Sizmannus Rutilii interpres probaverit, ego tamen doctiſsimi atque immortalis Viri pace, Rutilii digreſsum in 21. aut 22. Septembris die collocandum eſse putaverim. Aſserit enim Rutilius prima ſuſcepti itineris die qua Roma digreſſus Oſtia appulit, Romae Circenſes ludos celebratos eſse (3)

Saepius attonitae reſonant Circenſibus aures,
Nunciat accenſus plena theatra favor.
Pulſato notae redduntur ab aethere voces
Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi &c.

Vv 2 Eiuſmo-

(1) Ver. 183. (2) Ver. 205. (3) Ver. 201.

Eiuſmodi vero Circenſes in Kalendario, quod Conſtantii Auguſti temporibus, ideoque paucis ante Rutilii Praefecturam annis exaratum fuit, 20. & 22. Septembris diei adſcribuntur; quemadmodum 20. *Ludi triumphales*, & Solis ingreſsus in Libram, ſive, ut Rutilii verbis utar, in *Chelas*, ideoque autumnale aequinoctium adſcribitur; quamvis in antiquioribus Kalendariis a Scaligero laudatis poſtremi Circenſes Ludi in 23. & aequinoctium in 24. Septembris die collocentur. Itaque Rutilius 21. aut fortaſse potius 22. Septembris die Roma diſceſsit, ac in Romano Portu deinde ſubſtitit uſque ad 7. Octobris diem, qua vere novilunium anno Chr. 416. contigit. Ceteros autem temporis characteres a Rutilio memoratos, nimirum *matutinos Hyadum occaſus*, (1) *Leporis*, *Orionis*, *aeſtiferi canis* ſitum, ruſtica Oſiridis Feſta (2) nihil moror, cum & Kalendariorum labes, & implexa, ſimulque ambigua Rutilii verba vix ferant, ut aliquid ea de re perſpicue certoque conſtitui poſſit; Circenſium vero, aequinoctii, ac novilunii character a me definitus difficultates omnes excludat.

Accedit quod itineris ſuſcepti tempus a me conſtitutum cum eorum temporum hiſtoria mire conſentit. Siquidem Gothi, vel ut a Rutilio vocantur, *Getae* circa annum 413. Gallias invaſerant, eaſque caedibus & incendiis vexarunt ad annum uſque 415. quo pace cum Romanis inita in Hiſpanias cum Ataulpho ipſorum Rege migrarunt. Id vero anno 415. contigiſſe perſpicue diſerteque tradit Proſper (3), & Oroſius (4) in anno V. C. 1168. nimirum Chr. 415. collocavit, cum Ataulphi mors exeunte Auguſto menſe anno 415. Barcinone contigerit, eademque 24. Septembris die Conſtantinopoli nunciata fuerit (5). Hinc Rutilius ipſe demonſtrat quod itineris ſui tempore omnia

(1) Ver. 633. & ſeq. (2) Ver. 375. (3) Proſp. in Chr.
(4) Lib. VII. c. 43. (5) Vid. Tillem. in Honor. art. 56.

Digitized by Google

mnia in Galliis pacata, priſtinaeque tranquillitati reſtituta fuerant, ideoque de Palladio, quem Romae reliquerat, loquens ait (1)

Cuius Aremoricas pater Exſuperantius oras
Nunc poſtliminium pacis amore docet.
Leges reſtituit, libertatemque reducit,
Et ſervos famulis non ſinit eſſe ſuis.

Haec omnia perſpicue, ut opinor, oſtendunt Rutilium pacatis iam in Aquitania, omnique Gallia rebus anno 416. de reditu in patriam cogitaſſe; ideoque Rufium Venerium Voluſianum, cui Vrbana Praefectura Rutilio iam Roma digreſſo delata fuerat, anno 417. Praefectorum Faſtis inſerendum eſſe.

Interim vero opportune obſervandum quod Albinus ille, quem anno 414. Rutilio noſtro in Vrbana Praefectura ſucceſſiſſe iam vidimus, ab Albino Rufii Venerii Voluſiani patre diſtingui debet. Siquidem Albinus Rutilii ſucceſſor itineris huius tempore *vitae flore puer* vocatur, ideoque filium Vrbis Praefectum habere non poterat, vel qui anno 417. Praefectus eligeretur. Hinc ego ſuſpicor Albinum Rutilii ſucceſſorem eius Caecinae Albini filium fuiſſe, qui una cum Furio Albino in Saturnalibus a Macrobio loquens inducitur (2).

Caecina Decius Acinatius Albinus

An. V. C. 1167. *Chr.* 414.

Albini nomen exeunte fere anno Chr. 414. Praefectorum Faſtis inſcribendum eſſe demonſtrat Honorii Auguſti Lex, (3) quae 15. Kal. Octobres edita Albi-

(1) Ver. 213. (2) Lib. I. c. 12. (3) Cod. Th. Lib. XIII. t. 5 l. 38.

Albino P. V. dirigitur; cum iampridem Lex (1) alia 10. Ianuarii eiusdem anni propoſita *Eutychianum P. V.* memoret. Quamvis autem in Legis titulo ſolum *Albini* nomen expreſſum occurrat, vix tamen ullus dubitandi locus eſſe poterit quin integro nomine *Caecina Decius Acinatius Albinus* vocaretur, atque ad Albinum ipſum hoc Muratorii (2) Marmor referri debeat

SALVIS AC FLORENTIBVS DDNN. HONORIO AC THEODOS PERPETVIS SEMPER AVGG. CAECINA DECIVS ACINATIVS ALBINVS V. C. PRAEF. VRBI. VICE. SACRA. IVDICANS

Marmor aliud huic propemodum ſimile apud Gruterum (3) occurrit

SALVIS DD. NN.
HONORIO. ET. THEODOSIO
PP. FF. SEMPER. AVGG.
CAECINA. DECIVS
ACINATIVS. ALBINVS
V. C. PRAEF. VRBIS
FACTO. A. SE. ADIECIT
ORNAVIT.

Quandoquidem vero in dextro huius Marmoris, vel baſis latere legitur

DEDICATA. PRIDIAE
NONAS. NOVEMBREIS
RVST. ... II. ....LINIO
COS

Tille-

(1) Lib. VII. tit. 8. l. 11. (2) Pag. 466. 3. (3) Pag. 286. 7.

Tillemontius (1) quidem modeſte fatetur id ſibi prorſus ignotum, & obſcurum eſſe; nuperus autem Gruteri editor Ruſticium, & Vitalianum Conſules anni 520. indicatos eſſe putavit; cum tamen Relandus optime exiſtimaverit *Ruſticum*, *&* *Aquilinum* hic deſignari, qui anno 163. conſulatum geſſerunt. Etenim, ut ad annum 377. obſervavi, exemplis etiam aliis erudimur quod aliquando antiquis Inſcriptionibus e baſis facie abraſis, illae, quae baſis lateribus inſcriptae fuerant, ſuperſtites relinqui conſueverant. Itaque facile veriſimillima Gothofredi coniectura admitti poterit, qui hoc Gruteri Marmor ad Albinum huius anni Praefectum revocandum eſſe putavit.

Vbi vero Gothofredus ipſe ad Albinum hunc aliud quoque Gruteri (2) Marmor referri poſſe coniecit, perſpicue fallitur. Etenim in eo legitur

D. N. FL. ARCADIO
PIO. FELICI. VICTORI
AC TRIVMFATORI
SEMPER. AVGVSTO
CAECINA. DECIVS. ALBINVS V. C.
PRAEFECTVS. VRBI. VICE
SACRA. IVDICANS. DEVOTVS
NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS

Itaque, quum Arcadius Auguſtus anno 408. e vivis exceſſerit, anno 414. titulus ipſi dicari, & Caecina Decius Albinus, qui titulum poſuit, unus idemque cum Caecina Decio Acinatio Albino anni 414. Praefecto cenſeri certe non poterit.

Optime tamen ad Acinatium Albinum huius anni Praefectum Olympiodori teſtimonium referendum eſſe puta-

(1) In Honor. nota 39. (2) Pag. 287. 2.

ſe putavit Tillemontius (1). Siquidem Scriptor ille res, liberata iam anno 411. a Gothis Vrbe, geſtas deſcribens ait *μετὰ τὴν ὑπὸ Γότθων ἅλωσιν τῆς Ρώμης Ἀλβῖνος ὁ τῆς Ῥώμης Ἔπαρχος ἤδη ταύτης πάλιν ἀποκαθισαμένης ἔγραψε μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ* *poſt Romam a Gothis captam Albinus Vrbis Praefectus quod iam eadem ad priſtinum ſtatum rediiſſet ſcripſit non ſufficere praebitum populo panem*. Ac certe quidem Honorii Lege (2) *ad Albinum P. V.* 15. Kal. Octobris data ſancitur, ut inquiſitio de Annonis certo ritu perageretur.

Gracchus

An. V. C. 1168. *Chr.* 415.

SOlum Gracchi nomen, ac Vrbani Praefecti munus ipſi conceſſum memoratur in Lege (3), quae hoc anno 8. Kal. Auguſti ad ipſum veluti Praefectum Vrbis dirigitur. Ex aliis autem Legibus (4) anni 397. erudimur quod Gracchus ipſe eo anno Conſularis Campaniae fuerat. Itaque Gracchus iſte, ut optime Tillemontius (5) exiſtimavit, aut nepos, aut potius filius alterius Gracchi cenſeri poterit, quem anno 376. Praefecti munere decoratum fuiſſe iam vidimus; quamvis Gothofredus exiſtimet unum eundemque cum illo fortaſſe eſſe poſſe.

* Proba-

(1) In Honor. art. 55. (2) Cod. Theod. Lib. XIII. t. 5. l. 38. (3) Cod. The. Lib. VIII. t. 7. l. 20. (4) Lib. XIV. tit. 7. l. 1. (5) In Honori. nota 4.

✠ Probianus

An. V. C. 1169. *Chr.* 416.

PRaefecti Probiani nomen occurrit in Lege (1); quae hoc anno pridie Idus Decembris ad *Probianum P. V.* dirigitur; quemadmodum Legem aliam 17. Septembris die anno 377. editam ad *Probianum* alium directam eſſe iam vidimus. Ad alterutrum ex Probianis iſtis Gothofredus utrumque Marmor referri poſſe putavit, in quo *Gabinius Vettius Probianus* memoratur. Quamvis enim in iis characterum varietas obſervetur, quodque gravius eſſe debet, in ſecundo Marmore *Anulini*, *ac Frontonis* Conſulum nomina reperiantur, omnia tamen Conſtantini ſeculo convenire poſſe opinatur. Quid in tanta rerum obſcuritate conjici fortaſſe poſſit ad annum 377. opportunius expoſui; ideoque nunc ſolo Legis eius praeſidio Probianum hoc anno Faſtis inſerui.

Rufius Venerius Voluſianus

An. V. C. 1711. *Chr.* 417.

QVaecumque fere de Praefecti huius nomine, genere, atque aetate dicenda fuerant, opportune iam explicavi ad annum 414. ubi de Rutilio Praefecto agebatur.

Illud unum hic addi poterit quod, cum Rutilius afferat delatam Voluſiano Praefecturam ſibi Populonii degenti exeunte Octobri, vel ineunte Novembri menſe nun-

(1) Cod. Theod. Lib. XIV. tit. 10. l. 4.

ſe nunciatam fuiſſe, facile Voluſianus ipſe exeunte anno 416. poſt Probianum Praefecti faſces ſuſcepit; niſi fortaſse potius haec Praefectura tunc quidem ipſi deſtinata, ſed ſequentis tamen anni principio rite ineunda cenſeatur.

Symmachus

An. V. C. 1172. *Chr.* 419.

IN Vaticano Codice legitur *Exemplum Relationis Symmachi Praefecti Vrbis ad Honorium Auguſtum Ravennae conſtitutum IV. Kal. Ianuarii*, in qua Symmachus ipſe controverſiam omnem exponit, quae poſt Pontificis Zoſimi mortem exeunte anno 418. Romae exarſerat; cum plerique tranquille Bonifacium, nonnulli temere Eulalium elegiſsent. In eodem ipſo Codice Honorii Auguſti Epiſtolae, ac denique Decretum occurrit, quo Auguſtus ille rei veritate perſpecta, quam Symmachus Eulalii fautor offuſcaverat, Romanam Sedem Bonifacio confirmavit. Itaque ex ſinceris monimentis iſtis apparet quod Symmachus, qui biduo ante Zoſimi mortem anno 418. Praefecti munus auſpicatus erat, proximo quoque anno Vrbi praefuerit.

Flavius Anicius Petronius Maximus IV.

Cir. an. V. C. 1173. *Chr.* 420.

INter honores alios ab hoc illuſtri Viro ſuſceptos quatuor etiam Praefecturas numerandas eſse perſpicuo Marmoris hujus teſtimonio demonſtratur, quod a Muratorio exhibetur (1)

DOMI-

(1) Pag. 406. 3.

DOMINO RERVM HVMANARVM
VALENTINIANO AVGVSTO
PETRONIVS MAXIMVS
V. C. FORI CONDITOR
POST QVATVOR PRAEFECTVRAS
ET DVOS ORDINARIOS CONSVLATVS
AVCTORI SIBI TOT HONORVM
LOCAVIT

Quum Valentinianus ille, qui hic memoratur, anno ſolum 426. Imperium acceperit, ipſumque moriens reliquerit anno 455. perſpicue apparet quod haec Epigraphe inter annum 443. quo Petronius Maximus Conſul. II. in Faſtis occurrit, & annum 455. quo Valentinianus III. obiit, excitata fuit.

Itaque Conſulatus alius, & poſtremae tres Praefecturae a Petronio Maximo poſt annum 320. ſuſceptae ſunt, quum eo anno nondum Conſularibus faſcibus, atque iterata Vrbis Praefectura decoratus fuiſſet, ut ex hoc Marmore apparet (1)

PETRONI MAXIMI
DDD. NNN. INVICTSSIMI PRINCIPES HONORIVS
THEODOSIVS. ET CONSTANTIVS. CENSORES
REMVNERATORESQVE. VIRTVTVM
PETRONIO, MAXIMO, V. C. PRAEF. VRB. OB. PETITION
SENATVS AMPLISSIMI. POPVLIQ. ROMANI. STATVAM
MERITORVM. PERENNE. MONVMENTVM. IN. FORO
VLPIO. CONSTITVI. IVSSERVNT. CVM. A. PROAVIS
ATABISQ. NOBILITAS. PARIBVS. TITVLORVM. INSIGNIBVS
ORNATVR. QVI. PRIMAEVVS. IN. CONSISTORIO

 SACRO

(1) Grut. pag. 449. 7.

SACRO. TRIBVNVS. ET. NOTARIVS. MERVIT. NONODECIM
AETATIS. ANNO. SACRARVM. REMVNERATIONVM
PER. TRIENNIVM. COMES. POST PRAEF. VRBIS. AET. SEX
MENSIB. HASQVE. OMNES. DIGNITATES. INTRA. VICE
SIMVM. QVINTVM. ADSECVTVS. AETATIS. ANNVM
PVBLICVM. IN SE. TESTIMONIVM. ET. AETERNORVM
PRINCIPVM. IVDICIVM. PROVOCAVIT

Quum ergo Conſtantius ille Valentiniani III. pater exeunte anno 420. ſive potius ineunte 421. *Auguſti* nomen acceperit, ideoque tanquam Auguſtus in Marmoris titulo nominatur, eodemque anno poſt 7. Imperii menſes interierit; Marmor ipſum, ideoque *Vrbis aeternae Praefectura* Petronio Maximo delata ad eundem annum referri debet, ad quem facile Marmor etiam aliud referendum eſſe putaverim, in quo ſolum Praefectus Vrbis vocatur (1)

PETRONIVS
MAXIMVS V. C.
PRAEF. VRBI
CVRAVIT

Quandoquidem vero Petronius iſte unus idemque cenſeri ſolet cum *Petronio Maximo*, qui poſt Valentiniani III. mortem Eudoxiam eius coniugem duxit, ſimulque Imperium arripuit, integrum eius nomen, quod in nummis occurrit, hic poſui. Quinetiam, ſi Sirmondo credimus, nummus alius in primo Conſulatu, hoc eſt anno 433. cuſus fuit, (2) in cuius antica parte legitur

VA-

(1) Grut. 1080. 6. (2) Not. ad Sido. ep. 11. 13. Vid. Relan. Faſt. Conſ. p. 604.

Digitized by Google

VALENTINIANVS P. F. AVG.

In poſtica vero

PETRONIVS MAXIMVS V. C. CONS.

Denique obſervandum quod anno 420. ad Maximum ipſum PP. Honorii, & Theodoſii Lex 5. Kal. Octobres edita reperitur, (1) in qua P. V. cum Gothofredo reſcribi debet.

Rufius Antonius Agrypnius Voluſianus I.

An. V. C. 1174. *Chr.* 421.

QUanta ſit in *Rufiis*, ac *Voluſianis* invicem diſtinguendis obſcuritas, atque perplexitas opportune iam alibi demonſtravi, ac Reineſio duce eorum ſingulos ad ſua propemodum tempora revocavi. Itaque Reineſii ipſius veſtigiis inhaerens hunc Rufium Antonium Agrypnium Voluſianum ad hunc annum Praefectorum Faſtis inſerendum eſſe putavi. Siquidem Rufii, qui annis aliis hoc ipſo Praefecti munere decorati ſunt, aliis etiam nominibus ab hoc diſtinguuntur, quem tamen in monumentis aliis ſolo *Voluſiani* nomine deſignatum eſſe conſpicimus. Etenim in Epiſtola, quam Conſtantius III. Auguſtus anno Chr. 420. de Caeleſtio haeretico Vrbe Roma pellendo ſcripſit, exorditur *Imperator Conſtantius Voluſiano Praefecto Vrbi;* & Edictum a Praefecto ipſo propoſitum incipit *Voluſianus Praef. V. dixit*. Photius (2) Conſtantii Epiſtolam

(1) Cod. Th. Lib. V. tit. 1. l. 5. (2) Cod. 53.

Iam ad *Voluſianum* miſſam memorans ait quod Voluſianus ille S. Melaniae patruus fuit; cumque Ethnicorum Deos antea coleret, iam moriturus Chriſtianam religionem amplexus eſt, & a S. Proclo Conſtantinopolitanae Vrbis Epiſcopo baptizatus fuit, quod anno Chr. 434. Baronio teſte contigiſſe debuit.

Quandoquidem vero in Actis S. Melaniae legitur quod Voluſianus anno, quo *creatus erat Praefectus Romanae Civitatis*, Byzantium ad Eudociam Auguſtam Legatus advenit, ibique a Melania ad amplectendam Chriſti fidem incenſus fuit, ipſum anno quoque 434. Praefecti munere functum eſſe conſpicimus.

✠ Severinus

An. V. C. 1176. *Chr.* 423. & 424.

IN Iuſtiniani Codice (1) Lex quaedam hoc anno 3. Kal. Octobres edita, ac *Severino Praefecto Praetorio* inſcripta conſpicitur. Quandoquidem vero in Theodoſiano Codice (2) Lex alia proximo anno 5. Idus Ianuarias data *Severino Praefecto Vrbis* dirigitur, Gothofredus optime exiſtimavit in ſuperiori quoque Lege titulum P. V. reſtituendum eſſe, ideoque Severinum hunc anno 423. & 424. Vrbi praefuiſſe. Fieri tamen fortaſſe potuit ut perturbato iam veteri dignitatum ordine Severinus ille anno quidem 423. *Praetorio*, ſequenti vero 424. *Vrbi* praefuerit, ideoque nihil in Iuſtiniani Codice mutari debeat.

Ani-

(1) Lib. VIII. tit. 10. l. 11. (2) Lib. XV. tit. 1. l. 52.

Anicius Acilius Aginatius Fauſtus

Cir. an. V. C. 1177. *Chr.* 424.

Epigraphem hanc Muratorius (1) partim ex Grutero, partim ex plenioribus Ligorii ſchedis excerptam exhibet

SIMVLACRVM MINERBAE
ABOLENDO INCENDIO
TVMVLTVS CIVILIS IGNI
TECTO CADENTE CONFRACTVM
ANICIVS ACILIVS AGINATIVS
FAVSTVS V. C. ET INL. PRAE. VRBI.
VIC. SAC. IVD. in melius
integro proviſo pro
beatitudine temporis reſtituit

Muratorius ipſe obſervavit quod extrema ſeptimi verſus verba, ſimulque duo integri ſequentes verſus in Gruteri (2) exemplo prorſus exciderant, atque epigraphem ipſam ad annum Chr. 425. ſpectare putavit, quo Fauſti Praefecti Vrbis nomen in Theodoſiano Codice memorari conſpicimus.

Quandoquidem vero Fauſtus alius ad annum 299. ab Anonymo recenſetur, ambiguum plane foret an Gruteri Marmor ad annum illum, ſive potius ad annum hunc referendum ſit. Niſi tamen plurimum fallor, Gruteri Marmor ad ſequiora haec tempora referri debet;

(1) Pag. 470. 1. (2) Grut. 1067. 5.

bet; cum eadem prorſus phraſis, quae in hoc adhibetur, in alio quoque Marmore occurrat, quod anno 443. poſitum fuit, ac inferius ſuo loco proferetur. Quod ſi fortaſse cui mirum, & abſurdum quoque videatur quod anno Chr. 424. *Simulacrum Minervae* iampridem confractum, abolitis iam Ethnicorum ſacris reſtitutum fuerit, is Marmor illud ad Fauſtum alium anno 299. Vrbis Praefectum referre poterit.

Ceterum hic obiter obſervandum quod in hoc Marmore *abolendo incendio*, in alio anni 443. *abolendae cladis* occurrit, ac utrobique vox *abolendus* facile pro *abominandus*, *deteſtandus* uſurpatur.

✠ Fauſtus

An. V. C. 1178. *Chr.* 425.

FAuſti Praefecti nomen in Theodoſiano Codice (1) nobis occurrit ubi Lex quaedam 16. Kal. Auguſti *ad Fauſtum Praefectum Vrbis* dirigitur, ſed integrum tamen eius Praefecti nomen in tanta veterum monimentorum perplexitate divinare vix poſsumus. Proclive quidem foret Legem illam aut ad *Anicium Acilium Aginatium Fauſtum*, ſive ad *Anicium Acilium Glabrionem Fauſtum* referre, quorum nomina in eorum temporum Marmoribus ſaepius occurrunt (2), niſi alii temporum characteres repugnarent, ut alibi demonſtravimus. Id unum facilius admitti poterit quod Praefectus iſte unus idemque ſit, qui in Conſularibus Faſtis ad annum 438. *Anicius Acilius Glabrio Fauſtus* vocatur.

* Albi-

(1) Lib. XVI. tit. 5. l. 62. (2) Grut. 1067. 5. 192. 2. & Mur. 470. 1. & Grut. 344. 2. & Mur. 404. 6.

✠ Albinus

An. V. C. 1179. *Chr.* 426.

IN Theodoſiano quidem Codice (1) Theodoſii, ac Valentiniani Lex 4. Kal. Febr. Romae data *Albino Praetorii Praefecto* inſcribitur; ideoque Gothofredus Albinum hunc Praetorio praefuiſse putavit. Quum tamen eodem ipſo anno 426. Leges aliae tum pridie Nonas Martias, (2) tum etiam tribus diebus aliis Ravennae mox editae ſint, quae *Baſſo P. F. P.* inſcribuntur, ideoque Baſsus tunc Praetorio Praefectus foret, Albinus ille non *Praetorio*, ſed *Vrbi* praefuiſse debuit.

✠ Rufius Antonius Agrypnius Voluſianus II.

An. V. C. 1187. *Chr.* 434.

HVius Voluſiani nomen iterum hoc anno Praefectorum Faſtis inſcribendum eſſe iam vidimus ad annum 420. quo Voluſianus ipſe primum Vrbanae Praefecturae munus ſuſceperat. Itaque, ſi ſecunda Voluſiani Praefectura huic anno adſcribatur, Gruteri (3) Marmor ad hunc annum ipſum referri debet, in quo Voluſianus ille *Praefectus iterum* appellatur,

RVFIVS ANTONIVS
AGRYPNIVS VOLVSIANVS

(1) Lib. V. t. 1. l. 6. (2) Lib. X. tit. 26. l. 1. (3) Pag. 193. 1

Digitized by Google

V. C. PRAEF. VRBI. ITERVM
VICE. SACRA. IVDICANS
CVRAVIT

✠ Pierius

An. V. C. 1193. *Chr.* 440.

PIerii Praefecti nomen Scriptoribus omnibus ignoratum in eximia Valentiniani III. Lege expreſſum inveni. Siquidem inter Novellas Theodoſii, & Valentiniani AA. Leges Tit. XIX. Novella 5. *Idus Ianuarias Ravennae Valentiniano A. & Anatolio V. C. Coſſ.* edita reperitur, quae *Pierio Praefecto Vrbis* inſcribitur.

Ac mihi quidem ſuſpicio ſuborta fuerat quod *Pierii* loco *Hierii* nomen reſcribi deberet; cum *Hierius* anno Chr. 427. cum Ardaburio Conſul proceſſerit, atque, ut in Alexandrino Chronico ad annum 427. legitur, δὶς Ἔπαρχος *bis Praefectus* dicatur, quod Raderus, & Cangius de Vrbis Praefectura intelligunt; cum tamen ille Praetorio praefuerit, ut in Theodoſiano Codice conſpicitur. Certe in Idacii Faſtis pro *Hierio* habetur *Pierius*, ideoque facile hic quoque *Hierii* nomen pro *Pierio* reſcribendum videtur.

* Auxen-

✠ Auxentius I.

An. V. C. 1194. *Chr.* 441.

IN eodem ipſo Novellarum Libro, ac Titulo eiuſdem Theodoſii, ac Valentiniani Lex reperitur *Ravennae 6. Kal. Februarii poſt Conſulatum Valentiniani A.* edita, atque *Auxentio PF. V.* inſcripta. Quamvis autem Valentinianus ipſe *ſepties* Conſul proceſſerit, ideoque ambiguum eſſe poſſit quonam anno, ſive poſt quem Valentiniani conſulatum, Lex edita ſit; cum tamen annis omnibus poſt Conſulatum Valentiniani A. integrum Conſulum par in Faſtis omnibus habeatur, & anno ſolum 441. Cyri Orientalis Conſulis nomen occurrat, hunc annum, quo nullus in Occidente Conſul habebatur, *poſt Conſulatum Valentiniani A.* vocatum eſſe, ideoque hoc anno Novellam hanc editam fuiſſe putaverim, quo Auguſtus ipſe adhuc Ravennae 27. Ianuarii die eſſe poterat, ubi 9. eiusdem menſis die ſuperiorem Legem ediderat. Ac certe quidem in Gudiano etiam Marmore annus ipſe 441. ſic deſignatur *P. CC. DD. NN. Valentiniani V. & Anatoli.*

✠ Storacius

An. V. C. 1196. *Chr.* 443.

THeodoſii, ac Valentiniani Lex, quae inter Novellas Titulo XLVIII. exhibetur, Praefecti huius nomen oſtendit. Illa nimirum *III. Id Martii Romae data* ac in Foro Traiani propoſita *Maximo II. & Paterio V. C. Coſſ.* dicitur, atque *ad Storacium PF. V.* dirigitur.

Quum vero in Conſularibus Faſtis ad annum 452. *Aſporacii*, vel *Aſperatii*, vel *Sporacii* nomen occurrat, ſuſpicari facile poſſumus quod unus idemque eſſe debeat, qui primum Praefecti, deinde vero Conſulis dignitatem obtinuit

Petronius Perpenna Magnus Quadratianus

Cir. an. V. C. 1196. *Chr.* 443.

ILluſtre Gruteri Marmor huius Praefecti nomen nobis conſervavit (1).

PETRONIVS. PERPENNA. MAGNVS. QVADRATIANVS
V. C. ET INL. PRAEF. VRB.
CONSTANTINIANAS THERMAS LONGA INCVRIA
ET ABOLENDAE CIVILIS VEL
POTIVS FERALIS CLADIS VASTATIONE
VEHEMENTER AFFLICTAS ITA VT
AGNITIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA
DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS
ADFERRENT DEPVTATO AB AMPLISSIMO
ORDINE PARVO SVMPTV QVANTVM
PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE
AB EXTREMO VINDICAVIT OCCASV ET
PROVISIONE LARGISSIMA IN PRISTINAM
FACIEM SPLENDOREMQVE RESTITVIT

Inte-

(1) Pag. 177. 7.

Digitized by Google

Integer ſane contextus oſtendit quod a Thermarum exſtructarum tempore ad annum, quo Quadratianus ipſas *feralis* ſive, ut in Schedis aliis legitur, *fatalis*, *cladis vaſtatione afflictas reſtituit*, centum ſaltem annorum ſpatium fluxiſſe, ideoque Praefectum hunc circa annum 450. floruiſſe debuit. Itaque, cum in Theodoſianis Novellis Lex quaedam anni 443. ad *Quadratianum* P. P. directa reperiatur, (1) nihil veriſimilius admitti poteſt quam quod unus idemque civis utrobique memoretur, ideoque Quadratianus iſte circa annum illum Vrbi praefuerit.

Ceterum *feralis* illa, vel *fatalis cladis vaſtatio*, quae Coſtantinianas etiam Thermas afflixit, non alia fortaſſe fuit, quam quae a Gothis anno 409. immani furore Romanis Aedibus partim everſis, partim incenſis illata fuit (2).

Rufius Praetextatus Poſthumianus II.

Cir an. V. C. 1198. *Chr.* 445.

IN Gruteri Marmore legitur (3)

RVFIVS PRAETEXTATVS
POSTHVMIANVS V. CL. FILIVS
MAGNIFICI V.IRI MARINIANI
PRAEFECTI. PRAETORIO
ET CONSVLIS. ORDINARII
QVAESTOR. CANDIDATVS
PRAETOR. VRBANVS. TRIBVNVS

ET.

(1) Tit. 44. num. 2. (2) Oroſi. Lib. VII. c. 39.
(3) Pag. 464. 8.

ET. NOTARIVS PRAETORIANVS
PRAEFECTVS. VRBI. SECVNDO
CONSVL. ORDINARIVS. QVOS
TANTOS. AC. TALES. HONORES
PRIMO. AETATIS. SVAE. FLORE
PROMERVIT

Quum Marinianus Praetextati pater anno Chr. 383. Vicarius Hiſpaniae, & anno 423. Conſul fuerit, ipſe vero Praetextatus anno 448. Conſulatum geſſerit, perſpicue apparet quod Praefecti munere paullo ante Conſulatum ipſum decorari debuit, ideoque circa annum 445. in Praefectorum ſerie collocandus erit.

Non facile vero nunc dixerim cur Marinianus ipſe a Relando *Fl. Avitus Marinianus* vocetur. Certe apud Symmachum ſolo Mariniani nomine deſignatur; (1) atque in Concilii Romani Actis eiusdem, ut videtur, *Mariniani* nomen occurrit.

Itaque, niſi plurimum fallor, Poſthumianus ipſe Vrbi Praefectus in Theodoſii, ac Valentiniani Lege (2) memoratur, quae hoc anno edita fuit, antequam Auxentius ſecundo Praefectus procederet. Ita enim definit: *Recitata in Senatu per Virum Illuſtrem Poſthumianum pridie Idus Martias*; quemadmodum in alia Lege (3) anni 315. dicitur *Recitata apud Vectium Rufinum P. V. in Senatu Nonis Septembribus*.

* Auxen-

(1) Lib. III. ep. 23. &c. (2) In Novel. Valent. Titu. 7.
(3) Cod. Theod. Lib. VIII. tit. 18. l. 1.

✠ Auxentius II.

An. V. C. 1198. *Chr.* 445.

ITerum Auxentii nomen Praefectorum Faſtis hoc anno inſerendum eſſe demonſtrat altera Theodoſii, ac Valentiniani Novella, quae Titulo XXVI. habetur. Etenim illa 18. *Kal. Maii* R*omae Valentiniano A. VI. & Numo V. C. Coſſ.* edita *Auxentio PF. V.* inſcribitur. Itaque, cum Conſules illi anno 445. Faſtos ſignaverint, eidem anno Auxentius Praefectus adſcribendus erit, quippe qui ſecundam Praefecturam hoc anno ſuſcepit; unde Valentinianus ipſe teſtatur quod in ea ſancienda Lege Auxentii *ſuggeſtionem ſecutus eſt geminis faſcibus comprobatam*.

✠ Delfius

Cir. an. V. C. 1204. *Chr.* 451.

DEL
FI
VS
V. C.
EX
PRAE
FE
CTIS
VR
BIS
V
XO

FAbrettus (1) Romanas Familias, quae in Gruteri ſerie deſiderantur, enumerans Epigraphem hanc pro *Delfia* Familia, producit, quae Romae columnae cuidam ſepulcro, ut videtur, ſubiectae inſcripta conſpicitur in templo S. Anaſtaſiae.

Quicumque Epigraphem ipſam inſpexerit facile intelliget hic Delfium quendam memorari, qui Preefecturae Vrbanae munere aliquando functus fuerit. Mihi vero ſuſpicio ſuborta

(1) Cap. IX. num. 156. p. 618.

RI
IN
CON
PA
RA
BI
LI
ET
SI
BI
FE
CIT

orta fuerat non modo quod altera Epigraphe alteri columnae inſcripta fortaſſe exciderit, in qua uxoris defunctae nomen exaratum foret, ſimulque hujus etiam epigraphae initium, in quo fortaſſe *Clodii Adelfii* nomen legeretur, qui anno 451. Conſul proceſſit: quo plane fieret ut *Delphia* Familia a Fabretto recenſita nutaret. Si leviſſimae huic ſuſpicioni locus aliquis eſſe poſſet, tunc Adelfius, aut Delfius iſte paullo ante annum 451. Praefectorum Faſtis inſcribendus eſſet.

✠ Epitynchanus

An. V. C. 1203. *Chr.* 450.

HActenus ignotum Praefecti huius nomen ex Valentiniani Lege, quae inter Novellas Titulo XXXVI. edita reperitur, mihi primum affulſit. Siquidem Lex illa 8. *Kal. Martias Romae Valentiniano A. & Avieno V. C. Coſſ.* data ad *Epitincanum PF. V.* dirigitur; ideoque ad annum 450. referri debet, quo Valentinianus Auguſtus VII. & Gennadius Avienus Faſtos ſignarunt.

✠ Ferentius

An. V. C. 1220. *Chr.* 467.

PRaefecti huius nomen ex ſolo Alexandrini Chronici teſtimonio nobis innotuit. Siquidem ad annum hunc ibi legitur: Τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Ἀνθήμιος καὶ ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην, καὶ εἰσῆλθε τὰ Λαβράτα αὐτου ἐν Κωνςαντινοπόλει διὰ Φερεντίου Ἐπάρχου πόλεως *Eodem anno imperavit An-*

vit Anthemius, *& Romam profectus eſt*, *illiusque laureatae imagines Conſtantinopolim illatae ſunt per Ferentium Praefectum Vrbi*.

Ceterum quo ritu, quave pompa Auguſtorum nuper electorum imagines lauro circumdatae aut ornatae in Vrbes inferrentur pluribus Scriptorum teſtimoniis erudimur. Itaque, ut Conſtantinopoli oſtenderetur Imperium Anthemio a Romanis anno 467. collatum fuiſse, ipſius imago Conſtantinopolim uſque ab ipſo Romanae Vrbis Praefecto delata fuit.

Illud autem hic obiter obſervandum quod, licet eius Praefecti nomen a Graeco Scriptore adſpirationis litera exprimatur, Latine tamen *Ferentius* efferri debet. Ita apud Plutarchum (1) Φεκιαλίων nomen occurrit, ubi *Feciales* indicantur, & a Procopio (2) Φιδήλιος *Fidelius* quidam memoratur, quod de ceteris etiam id genus Latinis nominibus intelligi debet.

Caius Sollius Apollinaris Sidonius

An. V. C. 1221. *Chr.* 468.

VRbani Praefecti munus ſibi ab Anthemio Auguſto, dum is ſecundum Conſulatum ſuſciperet, conceſsum eſse Sidonius ipſe teſtatur (3). Etenim de Baſilio Praefectorio, amico, patronoque ſuo diſserens ait: *egit cum Conſule meo*, nimirum Anthemio Auguſto ſimulque Conſule, *ut me Praefectum faceret Senatui ſuo*, idque Sidonius contigiſse dicit poſtquam Panegyricum in Anthemium ipſum edidiſset. Itaque concludit Sidonius: *ad Praefecturam ſub ope Chriſti ſtyli occaſione perveni*.

(1) Quaeſt. Roman. (2) De Bel. Goth. Lib. I.
(3) Lib. I. ep. 9.

Digitized by Google

Ac certe quidem eiusmodi Sidonii verbis non aliam, quam Vrbis, Praefecturam deſignatam eſse conſpicimus, cum ſolus Vrbis Praefectus *caput Senatus*, ac *Senatus Praeſul* diceretur, ut opportunius alibi in ipſa Faſtorum Praefatione demonſtravi.

Ceterum Sidonius ipſe dignitates ſibi iam pridem conceſsas enumerans ait (1) ter ſe utriuſque Militiae Magiſtrum, quater Galliarum Praetorio Praefectum, tandemque ſemel Petronii Maximi nomine ad Theodoſium II. Legatum fuiſse; quemadmodum alibi ſtatuam ſibi in Traiana, ſive Vlpia Bibliotheca veluti iam Vrbis Praefecto poſitam memoravit (2)

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Traianus titulis videret
Inter auctores utriuſque fixam
Bibliothecae:
Quamque poſt viſus prope poſt biluſtre
Tempus accepi capiens honorem,
Qui Patrum, ac plebis ſimul unus olim
Iura gubernat.

Etenim Sidonius ipſe prius a Maiorano Auguſto anno 458. ſtatuae honore donatus iterum honorem ipſum ab Anthemio poſt biluſtre tempus, anno nimirum 468. obtinuit.

Fla-

(1) Carm. VII. ver. 462. (2) Lib. IX. ep. 16.

Digitized by Google

Flavius Eugenius Aſellus

Cir. an. V. C. 1223. *Chr.* 470.

GRuterus Epigraphem in Tholo arae maximae in S. Pauli Baſilica Romae poſitam exhibuit (1)

FL. EVGENIVS ASELLVS
V. C. PRAEF. VRB.
V. S. I. REPARAVIT

ex quo perſpicue apparet quod hic Eugenius his temporibus florens Chriſtianam religionem amplexus ornandae farciendaeque Apoſtoli Baſilicae operam impendit. Itaque a Fl. Eugenio V. C. diſtingui debet, qui ſub Conſtantio Praetorio praefuit (2), & Monumentum *Herculi ſacrum* excitavit (3).

Eugenii noſtri, qui alterius nepos, vel pronepos eſſe potuit, mentio apud Sidonium occurrit; ubi memorans Arvandum, qui cum Galliae praeſideret, a Gallis accuſatus, ac Romam accitus fuit, ait: (4) *in Capitolio cuſtodiebatur ab hoſpite Flavio Aſello Comite Sacrarum Largitionum, qui adhuc in eo ſemifumantem Praefecturae nuper extortae dignitatem venerabatur*. Itaque, cum anno 469. Aſellus noſter *Comes Largitionum* foret (5), proxime poſt annum illum ſupremo Praefecti munere decoratus videtur.

Hic autem obiter indicandus Gothofredi (6) lapſus, qui Aſellum noſtrum in ſuperiori Gruteri Marmore memoratum una cum Aſello confundi poſſe putavit,

Z z 2

(1) Pag. 193. 6. (2) Grut. 406. 1. (3) Murat. 382. 3.
(4) Lib. I. ep. 7. (5) Vid. Tillem. in Anthem. art. 6. & nota 2.
(6) In Proſopogr. Cod. Theod.

tavit, qui in Lege (1) anno 379. edita nominatur. Etenim Aſellus ille Baſilicam S. Paulo exſtructam reparaſſe dicitur, eiusmodi vero Templum anno demum 386. excitatum fuit, ideoque circa annum 379. reparari non potuit. Quod ſi reparatio illa non Templo, quod anno 386. magnificentiſſime exſtructum fuit, ſed veteri potius, ac fatiſcenti adhibita cenſeatur, quid haec Epigraphe in novi Templi adhuc aetate noſtra ſuperſtitis tholo collocata conſpicitur?

✠ Plutinus Euſtathius

Cir. an. V. C. 1223. *Chr.* 470.

AErea lamina argenteis litteris exarata a Donio, (2) & Muratorio (3) exhibetur

SALVIS. DD. NN.
ET PATRICIO
RECIMERE
PLVTINVS
EVSTATHIVS V. C.
VRB. P. FECIT

Leonis, & Anthemii Auguſtorum temporibus Ricimer Patricius maxime floruit. Itaque monimentum iſtud inter annum 467. quo Anthemius a Leone factus eſt Imperator, & 472. quo Anthemius ipſe a Ricimere genero occiſus fuit, poni debuit; ideoque Plutini Euſtathii Praefectura iis omnino terminis circumſcribi debet.

In alia

(1) Cod. Theod. Lib. VI. t. 30. l. 1. (2) Claſ. II. n. 157.
(3) Pag. 266. 3. & 1867. 1.

In alia quoque breviſſima Epigraphe eiusdem Praefecti mentio apud Muratorium ipſum occurrit (1)

PLVTINVS
EVSTATIVS V. C.
VRBIS. P. FECIT

Non facile vero ego dixerim an Euſtathius iſte cum illo confundi poſſit, qui anno 435. Aſiae Vicarius fuit, ut ex Theodoſiano Codice apparet (2).

✠ Valentinus

Cir. an. V. C. 1223. *Chr.* 470.

GOrius, atque ex illo Muratorius (3) Epigraphem ponderi inſcriptam exhibuit

VI. VALEN
TINVS PR   II =
AEF VRB.

Haec ipſa ponderis inſcriptio a Maffeio (4) profertur, qui opportune obſervavit pondus ipſum numiſmatis formam exhibere, & characteribns illis II. = *duas uncias ſemis* indicari.

An vero Valentinus iſte unus idemque eſſe poſſit cum Valentinis illis, qui Conſtantii, & Valentiniani ſenioris aetate a Gothofredo (5) recenſentur, praeſertim vero cum Valentino, cui Conſtantii tempore vetus Kalendarium Romanum ab Hervagio editum dicatum fuit, alii ſubtilius inquirant. Id unum coniicere,

(1) Pag. 734. 1. (2) Lib. VI. tit. 28. l. 8. (3) Pag. 575. 1. (4) Mus. Veron. pag. 289. 4. (5) In Prof. Cod. Th.

cere, vel ſuſpicari nunc liceat quod ſiglis illis V̄I non aliud exprimatur, quam *Vir Illuſtris:* qui ſane honoris titulus pluribus etiam Praefectis aliis tributus conſpicitur; ideoque Athalarici Regis Epiſtola ſic inſcribitur SALVANTIO V. I. PRAEFECTO VRBIS, ut ad annum 527. oſtendetur.

✠ Euplogius

Cir. an. V. C. 1223. *Chr.* 470.

IN aereo collari, ſive potius in torque, vel lamina ex eo pendente haec Epigraphe reperitur a Pignorio, & Muratorio (1) deſcripta

FVGI EVP
LOGIO EXO
PRE VRB



Fabrettus (2) tamen, qui iampridem ipſam ediderat, alia prorſus ratione expreſſit, atque integriorem exhibuit

TENE ME Q		FVGI EVPL
VIA FVG. ET REB		OGIO EX
OCA ME VICTOR	in	PRF. VRB
I ACOLIT	averſa	
O A DOMIN	parte	
ICV CLEM		
ENTIS		

Qui

(1) Pag. 479. 6. Vid. Pignor. de Serv. pag. 16. (2) Cap. VII. n. 365.

Qui plura moris huius exempla deſideret Fabrettum, Cignorium, alioſque plures adire poterit. Illud unum coniiciendae collaris, & Praefecti aetati innui nunc poteſt, quod Chriſtianis, & ſequioribus temporibus adſcribi illa debet, ut depravata ſermonis, & orthographiae ratio oſtendit, atque ipſa *Dominici*, hoc eſt *Eccleſiae*, S. Clementis mentio demonſtrat. Quum tamen in duplici torquis facie duplex Epigraphe reperiatur, quarum utraque a diſtincto ſervi domino poſita fuit, ideoque Euplogius Ex - Praefectus a Victore Acolytho diſtingui debeat, ambiguum plane ſupererit uter ex heris illis antiquior fuerit.

Ceterum obſervaſſe iuverit quod fortaſſe characteres illi P. E. *Praefectum Euplogium* ſignificant; quemadmodum lacinia EXO vel *Exoratum*, vel ſimile nomen aliud exprimere poſſunt.

Caſtalius Innocentius Audax

An. V. C. 1227. *Chr.* 474.

BReviſſima haec Epigraphe aereae lamellae, vel ponderi argenteis literis inſcripta a Muratorio, aliiſque pluribus (1) exhibetur (2)

SALVO D. N.	*ex al-*	AVDAX V. C.
IVLIO NEPOTE	*tera*	PRAEFECTVS
P. F. AVG.	*parte*	VRBI FECIT

Quum Iulius Nepos anno 474. Imperium occupaverit, atque Imperium ipſum anno 480. amiſerit, haec Inſcriptio, ſimulque Audacis Praefectura facile ad annum

(1) Pag. 266. 7. (2) Fabr. C. VII. 371. Rein. III. 73. Don. II. 156.

Digitized by Google

num 474. referri poterit, quo Nepos Auguſtus Romae fuit antequam proximo anno in Dalmatia ſere privatus degere inciperet.

Quod autem Praefectus ipſe integro nomine *Caſtalius Innocentius Audax* vocaretur ex Marmore deprehendi poteſt, quod a Grutero exhibetur (3)

CASTALIVS. INNOCENTIVS. AVDAX. V. C.
PRAEF. VRBIS. VICE. SACRA. IVDICANS
BARBARICA. INCVRSIONE. SVBLATA
RESTITVIT

Barbaricam vero incurſionem, quae in hoc Marmore nominatur, non aliam fuiſſe putaverim, quam quae Romanam Vrbem anno 472. diriſſime vexavit. Quum enim Ricimer Gothus violato foedere, quod cum Anthemio Auguſto, ſoceroque ſuo iam pepigerat, Romam fame, ac peſte languentem obſediſſet, undecima Quintilis die Vrbem victor ingreſſus Anthemium ſocerum obtruncavit, miſeramque Vrbem ferocientibus militibus diripiendam conceſſit. Itaque Ricimere proximo Sextili menſe atrociſſimis doloribus e vivis erepto, Romani foederatorum praeſidio recreati anno 474. ea, quae *barbarica incurſione ſublata* fuerant, reſtituere caeperunt.

* Ani-

(1) Pag. 192. 9.

✠ Anicius Aurelius Manlius Boethius II.

Cir. an. V. C. 1239. *Chr.* 486.

ILluſtre Praefecti huius nomen in eburneo Diptycho reperitur, quod Brixiae apud Barbiſonios aſſervatur, ideoque *Barbiſonianum*, ſed frequentius tamen *Brixianum* vocatur a doctiſſimis Viris illis, qui aetate noſtra in eo legendo, illuſtrandoque maximam atque incredibilem omnigenae eruditionis copiam uberrime contulerunt, ut in eximio Diptychorum Theſauro nuperrime edito demonſtratur (1).

Integra Epigraphe, quae in ſuperiori Diptychi parte exarata conſpicitur, has voces, aut vocum compendia complectitur, in dextra quidem tabula

NARMANL·BOETHIVSVCETINL

in ſiniſtra vero

EXPPPVSECCONSORDETPATRIC

Perſpicue, certoque apparet in primo verſu legendum eſſe *Manlius Boethius Vir Clariſſimus*, *&* *Inluſtris*. An vero prioribus litteris NAR indicetur *Novo Anno Rurſus*, an vero potius NARius, NARenius NARicius, velut alterum Boethii nomen, diu diſputatum. At litem omnem feliciter, ut opinor, diremit Cl. Gorius, qui priorem literam N. ita afformatam eſſe obſervavit, ut illa binos characteres A & N complectatur; quemadmodum duas ſe-

(1) Tom. I. Pag. 132. &c.

quentes A, & R ita inferne coniunctas eſſe, ut ex ipſarum unione tres litterae AVR oriantur. Itaque Cl. Gorius Hagembuchii (1) ſuſpicione permotus feliciter optimeque arbitratur quod compendiis illis AN, & AVR. *Anicia*, *&* *Aurelia* familia exprimatur, ad quarum utramque Manlius Boethius ſpectavit, ut proinde *Anicius Aurelius Manlius Boethius* vocari potuerit.

In ceteris autem vocum compendiis EXPPPVSEC quae in ſiniſtra Diptychi parte reperiuntur, facile doctiſſimis viris Leichio, Hagenbuchio, Bouhierio, Gorio aſſentior legendum eſse Ex Praefectus Praetorio Praefectus Vrbis SECundum, ut nimirum exprimatur quod Boethius ipſe poſt adminiſtratam Praetorii Praefecturam Vrbi ſemel iterumque praefuit antequam ordinarius Conſul procederet. Siquidem plurimae interpretationes aliae a Gorio memoratae, quamvis ingenioſae ſint, ab hac tamen & elegantia, & concinnitate, & cum Marmoribus, aut Diptychis aliis affinitate longiſſime ſuperantur. Certe in Gruteri (2) Marmore Praetextatus dicitur *Praefectus Vrbi ſecundo Conſul Ordinarius*, & apud Reineſium (3) *Flavius Peregrinus ſecundo Vrbi Praefectus* vocatur. Itaque dubitari non poterit quin Boethius ille ſemel iterumque Vrbi praefuerit antequam Conſulatum ſuſciperet.

Quandoquidem vero Boethii tres, avus nimirum, filius, ac nepos eodem ipſo Conſulis honore anno 487. 510. & 522. perfuncti ſunt, ambiguum plane foret cuinam ex tribus illis geminae Praefecturae munus obtigerit. Plerique tamen de Boethio ſeniore id intelligendum exiſtimant; ideoque ipſorum autoritate fretus Praefectum hunc paullo ante annum 487. Faſtis inſcribendum putavi. Neque tamen Cl. Gorio conceſ-

(1) Epiſt. Epigraph. pag. 321. (2) Pag. 464. 8. (3) Append. n. 20. pag. 1022.

conceſſerim quod prima Boethii Praefectura in annum 485. altera in annum 486. inciderit. Siquidem in hac hypotheſi non *ſecunda*, ſed unica Praefectura duobus continuis annis geſta, diceretur.

✠ Claudius Iulius Eccleſius Dynamius

Cir. an. V. C. 1243. *Chr.* 490.

MAbillonius (1) in Analectis, atque Fabrettus (2) in Inſcriptionum Sylloge Marmor a Grutero pridem mendoſe allatum (3) exhibuit, in quo Decretum a Dynamio Vrbis Praefecto editum, ac Romano *Populo* inſcriptum continetur de pretio Molendinariis ſolvendo, de ſtateris adhibendis &c. Decretum autem ipſum ita exorditur.

CLAVDIVS IVLIVS DYNAMIVS V. C. ET INL.
VRBIS. PRAEF. POPVLO

Ac Reineſius (4) quidem exiſtimat Dynamium hunc anno Chr. 374. Vrbi praefuiſſe, cum legem 22. tit. 26. Lib. XI. Cod. Theod. quae *ad Claudium P. V.* dirigitur, ad hunc Claudium Iulium Eccleſium Dynamium directam eſſe arbitretur.

Verum, cum anno 374. Claudius alius in Praefectorum Faſtis occurrat, ad hunc potius, quam Dynamium, Lex illa data cenſeri debet; cum praeſertim Magiſtratus illi non primo, ſed poſtremo ſolum nomine deſignari conſueverint; ideoque in Lege non *Claudii*, ſed *Dynamii* nomen occurrere deberet. Itaque longe veriſimilius exiſtimo Praefectum hunc unum eundemque virum fuiſse, qui ad annum 488. in Conſulari-

Aaa 2

(1) Pag. 361. (2) Cap. VII. 382. (3) Pag. 1114. 6.
(4) Epiſt. 19. ad Hoſm.

Digitized by Google

ſularibus Faſtis occurrit; ut proinde Praefecti, ac deinde Conſulis munere decoratus videatur.

✱ Turcius Rufius Apronianus Aſterius

Cir. an. V. C. 1247. *Chr.* 494.

IN aureo Virgilii Codice, qui prius *Carpenſis*, deinde vero *Mediceus* dicebatur, atque nunc temporis plerumque *Mediceo - Laurentianus* vocari ſolet, in fine Bucolicorum minutis quidem, ſed uncialibus tamen, characteribus adnotatum conſpicitur

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS
V. C. ET INL. EX COMITE DOMEST. PROTECT.
EX. COM. PRIV. LARGIT. EX PRAEF. VRBI
PATRICIVS ET CONSVL ORDIN. LEGI ET
DISTINCXI CODICEM FRATRIS MACHARII
V. C. NON MEI FIDVCIA SET EIVS CVI
SIET AD OMNIA SVM DEVOTVS ARBITRIO
XI. KAL. MAI ROMAE.

Ex hac epigraphe perſpicue, certoque apparet quod Aſterius iſte Vrbi praefuit, moxque ordinarius Conſul proceſſit, cumque in Conſularibus Faſtis ad annum 494. Aſterius una cum Praeſidio Collega memoretur, dubitari vix poterit quin ille unus idemque cenſeri debeat, qui poſt Praefecturam circa annum 490. adminiſtratam Conſulares faſces obtinuerit.

Optime quidem novi quod cognomines alii *Aſterii*, *Aſturii*, vel *Aſtyrii* in Faſtis, ac veteribus monimentis aliis occurrunt, praeſertim vero *Aſterius*, qui anno

anno 449. una cum Fl. Protogene Conſulatum geſſit. Graviſſimis tamen Noriſii, (1) rationibus permoveor ut Aſterium in Virgilii Codice memoratum non alium eſſe exiſtimem, quam qui Conſularibus Faſtis anno 494. inſcribitur, ideoque ipſius nomen in Praefectorum Serie hoc loco inſerendum putavi.

Artemidorus.

An. V. C. 1248. *Chr.* 495.

QVum Theodorici Regis epiſtola (2) *Artemidoro Viro Illuſtri* inſcribatur, priores autem epiſtolae (3) *Artemidoro Praefecto Vrbis* inſcriptae iam fuerint, perſpicue apparet quod Artemidorus ille Theodorici Regis aetate Vrbanae Praefecturae munus obtinuit; unde Theodoricus ipſe ait: *Gaudemus in te noſtra floruiſſe iudicia, laetamur dignum Praeſulem te Romanis arcibus extitiſſe.* Quod vero hoc Praefecti munere Artemidorus anno 495. perfunctus fuerit, ex Epiſtola deprehendi poterit, qua Theodoricus hunc honorem ipſi conceſſit. (4) *Te per Indictionem feliciter tertiam ad Praefecturae Vrbanae culmen erigimus, tribuentes tibi in ea Civitate faſces ubi perpetui ſunt honores.* Itaque, cum Indictio *tertia* in annum 495. inciderit, eidem anno Artemidori nomen adſcribi debet, cum Theodorici regnum anno 493. inceperit, atque haec Epiſtola, quae inter primas reperitur, primis regni temporibus edita videatur.

Feſtus I.

(1) Cenot. Piſan. Diſſ. IV. c. 1. pag. 440. (2) Lib. III. ep. 22.
(3) Lib. II. ep. 34. (4) Lib. I. ep. 42. vid. ep. 43. 44.

Feſtus I.

Cir. an. V. C. 1248. *Chr.* 495.

ANonymus Valeſianus ubi res a Theodorico Italiae Rege geſtas deſcribit, ad annum Chr. 490. memorat quod Theodoricus ipſe *Feſtum caput Senatus* Conſtantinopolim ad Zenonem Auguſtum miſit, ut regiam veſtem, ideoque *Regis* nomen, ac titulum impetraret. Quum tamen ex Scriptoribus aliis appareat quod anno demum 495. pax opera conſilioque Feſti inter Anaſtaſium Zenonis ſucceſſorem, & Theodoricum conſtituta fuit, ſortaſſe Feſti Legatio ad hunc ipſum annum referri debet; quemadmodum Feſti ipſius, velut Vrbani Praefecti nomen inferius ad annum 503. iterum occurret. Quod autem Feſtus ipſe, qui *Caput Senatus* ubique vocatur, *Vrbis Praefectus* cenſeri debeat, opportunius ad annum illum oſtendetur.

Argolicus

An. V. C. 1249. *Chr.* 496.

ARtemidoro proxime Argolicum ſucceſſiſſe perſpicue oſtendit Theodorici Regis Epiſtola, (1), qua ipſi Praefecti munus conceſſit: *Per Indictionem quartam Praefecturae Vrbanae infulas tibi copioſa liberalitate largimur*; & ad Senatum Vrbis Romae ſcribens ait (2) *illuſtrem Argolicum Praefecturae Vrbanae dignitate promovemus:* ceteraſque Praefecti huius laudes exponens aſſerit

(1) Caſſiod. Lib. III. ep. 11. (2) Lib. III. ep. 12.


Digitized by Google

ſerit quod ipſius avus *Largitiones Sacras fida protraxit cuſtodia, implens etiam doctrina Magiſterii dignitatem; pater vero Comitivae Privatarum infulis nullius acerbitate calumniae profanavit.* At nullum tamen ex verbis illis nobis indicium affulget ut Argolici huius familia deſignetur; quemadmodum prorſus nihil ex aliis Theodorici Epiſtolis (1) ad ipſum datis exſculpi poteſt.

✠ Catulinus

Cir. an. V. C. 1253. *Chr.* 500.

CLariſſimus Muratorius praeclare de Litteris, omnique eruditionis genere quam qui maxime meritus in Antiquitatibus Italicis (2) ubi varios Ravennae Nummos producit, hoc etiam toreuma nobis exhibet, in quo characteres argenteis litteris formati, atque aeri incluſi conſpiciuntur



Itaque integra epigraphe legi debet *Catulinus Vir Clariſſimus & Inluſtris Praefectus Vrbis*. Theodorici vero Italiae Regis nomen oſtendit eiuſmodi toreuma

ipſius

(1) Lib. III. ep. 29. 30. 33. & Lib. IV. ep. 22. 25. 42.
(2) Tom. II. pag. 581.

ipſius aetate elaboratum fuiſſe; ideoque, cum Theodoricus ipſe Italiae regnum ab anno 493. ad annum uſque 526. tenuerit, Catulini Praefectura ad aliquem ex intermediis annis referri debet. Hinc ille ab *Aconio Catulino* diſtinguendus erit, qui anno 349. in Conſularibus Faſtis occurrit, fortaſſe quoque a *Catulino Viro Clariſſimo*, cuius anno 460. meminit Sidonius (1), & cui Carmen XII. Sidonius inſcribit. Itaque, cum Sidonius anno 482. obierit, optime feliciterque Muratorius ipſe coniecit quod hic Catulinus Vrbis Praefectus fortaſſe quidem unus idemque eſſe potuerit, qui a Sidonio memoratur, ſed potius tamen eius filius cenſeri debeat.

✠ Feſtus II.

Cir. an. V. C. 1256. *Chr.* 503.

Anaſtaſius Bibliothecarius in Symmachi Pontificis Vita ubi dixiſset (2) quod *aliqui ex Clero, & alii ex Senatu maxime Feſtus, & Probinus, incriminarunt Symmachum, & ſubornaverunt teſtes falſos, quos miſerunt Ravennam ad Regem Theodoricum accuſantes B. Symmachum*, deinde memorat ab ipſo Symmacho Romae Synodum illam celebratam fuiſse, quae *Palmaris* vocata fuit. Denique ſubdit: (3) *Eodem tempore Feſtus caput Senatus Ex-Conſul, & Probinus Ex-Conſul caeperunt intra Vrbem Romam pugnare cum aliis Senatoribus, & maxime cum Fauſto Ex-Conſule*. Ex Senatoribus iſtis Fauſti nomen in Conſularibus Faſtis anno 483. & 490. reperitur; quemadmodum Probinus anno 489. Feſtus vero anno 472. Conſul proceſserat, ideoque ipſorum quilibet anno 503.

(1) Lib. I. ep. 11. (2) Sect. 77. (3) Sect. 78.

no 503. quo Palmaris Synodus habita fuit, ſuperſtes eſse poterat.

Quandoquidem vero Feſtus ille *Caput Senatus* vocatur, vix ullus dubitandi locus eſse poteſt quin ille *Praefectus Vrbis* fuerit. Etenim, ut opportunius alibi demonſtravi, *Praefectus Vrbis cunctis, quae intra Vrbem ſunt, antecellit dignitatibus* (1); ideoque Sidonius ubi memorat ſibi Praefecti munus conceſsum eſse, aſserit (2) ſe *Praefectum Senatui* electum fuiſse; quemadmodum variis in locis obſervatum fuit quod Praefectus ipſe Vrbis *Romae Praeſul* vocatur, (3) ut in Praefatione iam demonſtravi.

Agapitus

Cir. an. V. C. 1269. Chr. 516.

QVum Theodoricus Italiae Rex Herculis templum Ravennae excitatum marmoribus ornare cuperet ad Agapitum Praefectum Vrbis litteras dedit (4), ipſique praecepit ut peritos Artifices Roma Ravennam dirigeret, qui optatum opus abſolverent. Aliae quoque eiusdem Regis epiſtolae ad Agapitum ipſum *Vrbis Praefectum* diriguntur (5); ideoque, licet ille in epiſtolae VI. titulo modo *Patricius*, modo *Pontifex* in variis Codicibus appelletur, perſpicuum eſt tamen quod ſolo *Praefecti Vrbis* nomine vocari ille debet.

Quamvis autem in eiuſmodi Theodorici Epiſtola nullus omnino temporis character exprimatur, cum tamen ex Anonymo Valeſiano compertum ſit quod hoc anno 516. Theodoricus ipſe palatium Ravennae exſtruxit, Herculis etiam templum circa eadem tem-

B b b pora

(1) Cod. Iuſt. Lib. I. tit. 28. l. 3. (2) Lib. I. ep. 9. (3) Caſſiod. Lib. VI. ep. 4. (4) Caſſiod. Lib. I. ep. 6. (5) Lib. 1. ep. 32. 33. 41.

Digitized by Google

pora reſtauraſſe, ideoque Artifices ab Agapito Vrbis Praefecto expetiiſſe videtur.

Ac certe quidem in Epiſtola (1), quae Importuno Conſule, hoc eſt anno 509. ſcripta fuit, Agapitus, & Caelianus *Viri illuſtres, & Patricii* in controverſia quadam Iudices eliguntur: quod argumento eſſe debet nondum Agapitum *Praefecti*, vel *Ex-Praefecti* nomine decoratum fuiſſe.

Addi poſtremo poterit quod Agapitus iſte unus idemque eſſe potuit, qui in aliis Caſſiodori Epiſtolis *Praetorio Praefectus* vocatur, atque anno 517. Conſul proceſſit; atque ab alio Agapito *Patricio* diſtingui debet; cum anno 524. Ioannes Papa Conſtantinopolim ad Iuſtinum Auguſtum contenderit, unaque cum ipſo *Senatores & Ex-Conſules, ideſt Theodorus, Importunus, Agapitus Ex-Conſul, & alius Agapitus Patritius* (2).

✠ Caecina Mavortius Baſilius Decius

Cir. an. V. C. 1272. *Chr.* 519.

ILluſtre Theodorici Regis elogium in Gruteri Marmore reperitur (3)

DN. GLORIOSISS. ADQ. IN
CLYTVS. REX. THEODORICVS
* * *
CAE MAV. BASILIO. DECIO. VC. ET INL.
EX PR. VRB. EXPPO. EXCONS ORD. PAT.

In Conſularibus quidem Faſtis ad annum Chr. 463. *Flavius Caecina Baſilius* occurrit, & Conſul ille a Sido-

(1) Lib. I. ep. 27. & ep. 23. ſect. 87.
(2) Anaſt. Bibl. in Ioan. I.
(3) Pag. 152. 8.

a Sidonio (1) *Caecina Baſilius* appellatur, quamvis in Fabretti (2) Marmore perſpicue *Flavius Baſilius* vocetur.

Ex ſuperiori autem Marmore Baſilio noſtro cognomen adiiciendum eſſe erudimur, quod a Reineſio (3) quidem *Maurus* cenſetur, ego vero potius *Mavortium* eſſe putaverim. Siquidem Baſilius alius, qui anno 527. Conſul proceſſit, *Vettius Agorius Baſilius Mavortius* vocatur. Quamvis enim in Faſtis, ac Marmoribus ſolo *Mavortii* nomine deſignetur, in antiquioribus tamen Horatii Codicibus poſt Epodon Libros ſcriptum conſpicitur.

> Vettius Agorius Baſilius Mavortius V. C. & inl. Ex-Comdom. Exconſ. ord. vir. clariſſimus & inluſtriſ. Excomite domeſtico. Exconſule ordinario. legi. &. ut. potui. emendavi. conferente. mihi. magiſtro. Felice. Oratore. Vrbis. Romae

Itaque, cum *Mavortii* nomen iis temporibus frequens occurrat, longe facilius *Mavortii*, quam *Mauri*, nomen hic exprimendum eſſe coniicio.

Denique cum Theodoricus ab anno 493. ad annum uſque 526. regnaverit, Baſilii Praefectura ad aliquem ex intermediis annis referri debet. Quandoquidem vero Theodoricus ipſe anno Chr. 519. regni ſui 26. Romam triumphantis inſtar advenit, ibique ſpectacula edidit, donaria quoque ipſis etiam Catholicorum Eccleſiis obtulit, facile ad haec tempora titulus ipſi dicatus, ideoque Baſilii Decii Praefectura, referri poterit. Hinc vero facile deprehendi poterit quod Baſilius iſte, qui Praefecti munere functus fuit, eius fortaſſe filius eſſe potuit, qui anno 463. Conſul proceſſit; niſi Vrbana ipſius Praefectura ad prima Theodorici tempora referatur.

(1) Epiſt. I. 9. (2) Cap. VIII. pag. 577.
(3) Epiſt. 19.

Reparatus

An. V. C. 1279. *Chr.* 526.

CVm Theodorico Regi defuncto Athalaricus Amalaſuntae filius, ideoque Theodorici ex filia nepos ſucceſſiſſet, is Reparatum Vrbis Praefectum elegit illuſtris cuiusdam Viri filium, qui Largitionum Comes, & Praetorio Praefectus fuerat. Quod autem Reparatus hoc anno Vrbi praeeſse caeperit ex Athalarici ipſius epiſtola deprehendiſſe ego videor. Siquidem Athalaricus ait (1): *Per Indictionem illam Vrbanae tibi tribuimus infulas dignitatis; ut ſicut in illo ordine primus, ita habearis & meritorum laude praecipuus*. Itaque, cum Athalaricus anno Chr. 526. regnum ſuſceperit, atque in annum ipſum Indictio *quarta* inciderit, ſuſpicor in Caſſiodori Codice olim *per Indictionem IIIIam* ſcriptum fuiſſe, pro quo librarius *Illam* ſubſtituit. Optime quidem novi quod in Caſſiodoro, aliiſque Scriptoribus dum Formula quaedam proponitur, quae pluribus communis eſſe poteſt, ubi determinatus aliquis numerus, vel peculiare nomen inſeri deinde debet, ambigua ac indifferens vox *illa*, *ille* ponitur. Sed obſervari facile poterit quod ſuperior Caſſiodori locus non Diplomatis alicuius Formula, quales in VI. Caſſiodori Libro reperiuntur, ſed peculiaris Epiſtola, vel Diploma fuit, quo Reparato Praefecti munus conceditur; ideoque ſicuti in Artemidori Diplomate *tertia*, in Argolici *quarta* Indictio exprimitur, ſic in iſta quoque Indictio *quarta* exprimenda fuerat.

Salvan-

(1) Caſſiod. Lib. VIII. ep. 7.

Salvantius

Cir. an. V. C. 1280. Chr. 527.

A Thalarici Regis Epiſtola 16. & 17. in IX. Caſſiodori Libro *Salvantio V. I. Praefecto Vrbis* inſcribuntur, atque in nonnullis Codicibus in poſtremae titulo legitur *Salvantio Sydoni V. I. Praefecto Vrbis*, quod obſcurius indicaret Salvantium ipſum *Viri Illuſtris* titulo decoratum *Sidonii* agnomen tuliſſe. Quandoquidem vero Praefecti dignitas proxime poſt initum ab Athalarico regnum, ideoque annum Chr. 526. Salvantio conceſſa videtur, eius nomen hoc anno 527. Faſtis inſcripſi.

✠ Honorius

An. V. C. 1287. Chr. 534.

CVm Amalaſunta Gothorum Regina poſt Athalarici filii mortem Theodatum in conſortium regni adſciviſſet, Theodatus Epiſtolas plures ad Senatum, alioſque Magiſtratus dedit, quae in Caſſiodori Libris occurrunt. Ceteras inter habetur Epiſtola *Honorio Praefecto Vrbis* inſcripta (1), qua praecipit ut labantes aeneae elephantum ſtatuae reparentur. Itaque, cum Theodatus anno 534. imperare caeperit, ad annum uſque 536. quo Vitiges ipſi ſucceſſit, perſpicue apparet quod Honorii Praefectura in aliquem ex interiectis annis, longeque facilius in annum ipſum 534. incidiſſe debuit.

San-

(1) Lib. X. ep. 30.

Digitized by Google

Sanctus Gregorius Magnus Papa

An. V. C. 1325. Chr. 572.

PRaefectorum Seriem hoc illuſtri ſanctiſſimi, doctiſſimique Pontificis nomine decorandam eſſe perſpicuo Gregorii ipſius teſtimonio erudimur. Siquidem antiquum morem is innuens, quo Epiſcopi recens electi fidei ſuae cautionem, ſive profeſſionem Romam mittere, eiuſque fidei vades, ac fideiuſſores exhibere tenebantur, ad Conſtantium, qui nuper Laurentio in Mediolanenſis Eccleſiae ſede ſucceſſerat, anno 593. ſcribens ait (1): *deceſſor fraternitatis tuae Laurentius diſtrictiſſimam cautionem Sedi Apoſtolicae remiſit, in qua viri nobiliſſimi & legitimo numero ſubſcripſerunt, inter quas ego quoque tunc Vrbanam Praefecturam gerens pariter ſubſcripſi*. Itaque, cum Laurentius Mediolanenſem Eccleſiam novemdecim annis gubernaverit, ipſique Coſtantius anno 592. ſucceſſerit, Laurentii electio, ideoque Vrbana Gregorii Praefectura ad annum 572. referri debebit, atque ad annum uſque 575. prorogari, quo Gregorius ipſe dignitates omnes contemnens Monaſticam vitam ſuſcepit (2).

Ac certe quidem Gregorius Turonenſis coaevus fere Scriptor de Gregorio Magno diſſerens ait: *Hic de Senatoribus primis.. qui ante ſerico contextu, ac gemmis micantibus ſolitus erat per Vrbem procedere trabeatus, tunc vili contextus veſtitu ad altaris Dominici miniſterium conſecratur.*

Ingenue tamen fatendum quod, licet in Vaticano Codice, alibique legatur *Vrbanam Praefecturam gerens*,

(1) Libr. III. ep. 2. nunc Lib. IV. ep. 2. (2) Mabil. Annal. Bened.

rens, in pluribus tamen aliis habetur *Vrbanam Praeturam*: quo plane fieret S. Gregorium non *Praefecti*, ſed *Praetoris* Vrbani munere functum fuiſſe. Certe in ipſa quoque Pontificis Vita, quae a Ioanne Diacono (1) exarata fuit, aſſeritur quod ille *ſub Praetoris Vrbani habitu mundo ſpecie tenus deſerviebat*. Quum tamen in Codicibus aliis *Praefectus* dicatur, ne aut Codicum ipſorum auctoritati quidpiam detraham, ut Praefectorum Faſtis hoc illuſtre decus, & optimi maximique Pontificis nomen invideam, ipſum quoque ceteris adiungendum putavi.

✠ Maurilio

Cir. an. V. C. 1341. *Chr.* 588.

CVm S. Gregorius M. in Epiſtola quadam anno Chr. 591. ſcripta, quae inferius ad annum 591. proferetur, Maurilionis meminerit, qui proxime ante annum illum Praefectus Vrbis fuerat, non immerito fortaſſe haec Praefectura, ſi Vrbana illa fuit, ad haec tempora referri poterit.

Germanus

An. V. C. 1343. *Ch.* 590.

QVod anno Ch. 590. quum Gregorius ille Magnus, de quo ſuperiori loco iam diximus, 3. Septembris die Romanus Pontifex electus eſt, Germanus iſte Vrbi praefuerit, illuſtri ſane Pauli Diaconi (2), & Gregorii

(1) Lib. I. c. 1. (2) Vita S. Gregor. L. I. c. 10. 13. Vid. Ioan. Diac. Lib. I. c. 40. 44.

Digitized by Google

gorii Turonenſis teſtimonio demonſtratur. Siquidem Paulus, ac Ioannes aſſerit quod, cum Gregorius electus Mauritium Auguſtum litteris ad ipſum datis rogaſſet, ne electionem antea factam ratam haberet, Germanus Praefectus Vrbis Gregorii quidem litteras intercepit, ſuas vero ad Auguſtum direxit, quibus eximias tanti Viri laudes exponens Auguſto auctor fuit, ut Gregorii electio confirmaretur: *Sed Praefectus Vrbis, Germanus nomine, eius nuntium anticipavit, comprehenſumque ac diruptis epiſtolis, conſenſum, quem populus fecerat, Imperatori direxit .... cum adbuc futurus Antiſtes putaret ſe Principem a conſenſu conſecrationis ſuae penitus avertiſſe, cognovit tandem ſuas litteras a Germano Praefecto Vrbis interceptas fuiſſe.*

Eadem prorſus a Gregorio Turonenſi (1) memorantur, niſi quod in edito ipſius textu interpunctionis error irrepſit, ideoque nonnullos impulit, ut ambigua *Germani* voce, non Vrbis Praefecti nomen, ſed Gregorii Pontificis electi germanum fratrem deſignatum eſſe cenſerent. Etenim legitur *Praefectus Vrbis Romae germanus eius, anticipavit nuncium.* Optime tamen viderat Baronius reſcribendum eſſe *Praefectus Vrbis Romae Germanus, eius anticipavit nuncium*: quod nimirum Gregorii litteris a Germano interceptis, Gregorii electio ex ſolis Germani Praefecti litteris Auguſto primum innotuit. Ac certe quidem, ſi Pauli, & etiam Ioannis Diaconi verba ſuperius allata ſubtilius perpendantur, perſpicue certoque conſtabit quod Praefectus ille, qui piam hanc fraudem ſtruxit, non Gregorii frater, ſed *Germanus nomine* erat; ut mirari proinde ſubeat cur Scriptor ille, qui S. Gregorii Vitam eius Operibus nuper praefixit, Praefectum illum ſancti Pontificis germanum fratrem fuiſſe dixerit.

* Geor-

(1) Hiſt. Sacr. Lib. IV. c. 1.

✠ Georgius

An. V. C. 1344. *Ch.* 591.

INter Epiſtolas a S. Gregorio M. Indictione IX. ideoque anno Chr. 591. ſcriptas Epiſtola (1) ad Ioannem Ravennae Epiſcopum data reperitur, in qua legitur: *Glorioſus vir Maurilio Ex-Praefecto rationes ſuas abſque ſuſpicione oppreſſionis exponat, & Excellentiſſimus vir domnus Georgius Praefectus rationes exequatur;* quemadmodum antea tum *Maurilionis Ex-Praefecto*, tum *Georgii Praefecti* mentio praeceſſerat. Itaque, cum Pontifex ita de Georgio loquatur ut illum Praefecti munere tunc decoratum ſignificet, Georgius ipſe ad hunc annum referri facile poterit.

Ne quid tamen diſſimulem, obſervari etiam velim quod in proxima Gregorii Epiſtola memoratur *Vir Excellentiſſimus domnus Georgius Praefectus per Italiam*, ideoque non obſcure indicatur quod Georgius ille non *Vrbi*, ſed *Praetorio* Italiae, praefuerit.

Quum tamen ille, qui Vrbanae Praefecturae munere fungebatur, non *Vrbi* ſolum, ſed univerſae fere *Italiae* iis temporibus praeſideret, non immerito *Italiae Praefectus* vocari ille potuit; quemadmodum Gregorius ipſe (2) Epiſtolam *ad Gregorium Praepoſitum Italiae* dedit; qui tamen unus idemque videtur, qui in Epiſtolis aliis *Praefectus Vrbis* vocatur, ut inferius oſtendetur. Siquidem Gregorius Pontifex *Praepoſiti*, & *Praefecti* nomina promiſcue uſurpaſſe videtur, cum alicubi (3) Iobinum *Illyrici Praefectum* appellet, quem antea (4) *Praepoſitum per Illyricum* vocaverat.

 Liber-

(1) Lib. I. ep. 37.
(2) Lib. I. ep. 22. nunc 23.
(3) Lib. II. ep. 17. nunc 21.
(4) Lib. I. ep. 43. nunc 45.

Libertinus

Cir. an. V. C. 1348. Chr. 595.

QVum Gregorius M. Epiſtolam (1) Indictione II. nimirum anno 599. *Libertino Ex-Praefecto*, tunc Siciliae Praetori ſcripſerit, perſpicue apparet Libertinum ipſum aliquo ex ſuperioribus annis Praefecti munere perfunctum fuiſſe. Quamvis autem in alia Gregorii Epiſtola (2) Libertinus ipſe *Praefectus Siciliae* vocetur, ea tamen anno 593. ſcripta fuit, longe nimirum ante quam Libertinus Vrbanam Praefecturam ſuſciperet; ibique *Praefecti* nomine Siciliae *Praetor* deſignatus videtur.

Haec ipſa nominum ambiguitas in cauſa eſſe debet, ne Vrbanis Praefectorum Faſtis alios accenſeam, qui a Sancto Pontifice *Ex-Praefecti* vocantur, ut Epiſtola quaedam (3) *Quertino Ex-Praefecto* inſcribitur, neque tamen perſpicue certoque decerni poteſt an is Vrbanam, aut aliam prorſus Praefecturam geſſerit.

✠ Gregorius

An. V. C. 1348. Chr. 595.

EIuſmodi Gregorii, tanquam *Ex-Praefecti*, mentio ſaepius in Gregorii Magni Epiſtolis invenitur. Etenim Lib. VII. ep. 11. nunc Lib. IX. ep. 2. habetur *glorioſus filius noſter Gregorius Ex-Praefecto*, idemque nomen, ac titulus Libr. VIII. ep. 50. 54. 55. 57.

(1) Libr. VII. ep. 20. nunc. Lib. IX. ep. 21. (2) Lib. III. ep. 37. nunc 38. (3) Lib. XII. ep. 30. nunc 27.

Digitized by Google

55. 57. 58. 59. obſervatur, quarum ſingulae Indictione III. ideoque anno Chr. 600. ſcriptae ſunt. Itaque verum tempus, quo Gregorius Vrbi praefuerit, prorſus incognitum foret, niſi perſpicua lux ex quarta Gregorii Epiſtola nobis affulgeret (1). Siquidem Gregorius Pontifex anguſtias deſcribens, quibus Vrbs Roma a Longobardis obſeſſa miſerrime premebatur, ait: *de glorioſis viris Gregorio Praefecto, & Caſtorio Magiſtro Militum non mediocriter ſum afflictus . . qui labores vigiliarum, & cuſtodiae Civitatis in eadem obſeſſione vehementiſſimos pertulerunt; & poſt haec omnia gravi Dominorum indignatione percuſſi ſunt*. Quum ergo haec Vrbis obſidio in annum 595. inciderit, eodem anno Gregorius Vrbi praeeſſe debuit; ideoque in Ep. 11. Libri VII. quae Indictione II. nimirum anno 599. ſcripta fuit, Gregorius ipſe *Ex-Praefectus* vocatur.

Ioannes

An. V. C. 1353. Chr. 600.

VRbanae Praefecturae dignitas a Ioanne ſuſcepta, ſimulque tempus, quo Vrbi ille praefuit, perſpicue diſerteque a Gregorio M. demonſtratur. Etenim ille Epiſt. 7. Lib. VIII. nunc 6. Libri X. Indictione III. ideoque anno 600. *Theodoro Curatori* Ravennae ſcribens ait: *Ioannes glorioſiſſimus filius noſter Praefectus Vrbis ad deducendam huc coniugem ſuam latorem praeſentium Ioannem Clariſſimum Virum illis noſcitur tranſmittere;* atque in Epiſtola quoque proxime inſequenti eandem ipſam Praefecti coniugem Mariniano Ravennati Epiſcopo commendans *Ioannem Praefectum Vrbis* appellat.

(1) Lib. IV. ep. 31. nunc Lib. V. ep. 40.

✠ Flavius Eugenius Aſellus

Cir. an. V. C. 1353. *Chr.* 600.

AVT ego plurimum fallor, aut nuperus quidam Scriptor mihi, ceteriſque turpiſſime impoſuit. Placidus Pucinellus, qui ſuperiori ſeculo anno 1660. Inſcriptiones omnes collegit, quae in variis Caſinenſis Ordinis Coenobiis extabant, ubi de ſplendidiſſimo, regioque Caſini Monaſterio loquitur, hanc etiam Epigraphem una cum pluribus aliis ibi ſuperſtitem exſcripſit (1)

FL. EVGENIVS ASELLVS
V. C. PRAEF. VRBI
V. S. I. REPARAVIT

quemadmodum prorſus omnino ſimilem Romae in Eccleſia S. Pauli collocatam deſcripſerat (2). Ergo vel temere Scriptor ille Epigraphem, quam Romae viderat, Caſini extare putavit, vel Praefectus alius omnino cognominis admitti debet, qui centum fere poſt annos alteri *Fl. Eugenio Aſello* in eodem ipſo Praefecti munere ſucceſſerit. Etenim, cum Caſini Monaſterium circa annum Chr. 530. conſtructum fuerit; facile nonniſi poſt 50. annos ornari, ac reparari debuit; ideoque Aſellus ille, qui hoc opus curavit, circa annum 600. veluti alterius nepos, Praefectorum Faſtis inſcribi poterit.

* Euſe-

(1) Pag. 41. num. 27.   (2) Pag. 44. n. 32.

✠ Euſebius

Cir. an. V. C. 1253. *Chr.* 600.

SVbdubitans, mihique ipſi diffidens Euſebii huius nomen hoc anno Praefectorum Faſtis inſcripſi. Muratorius (1) hoc Marmor exhibet ex Margarino (2)

EVSEVIVS
V. C. ET INL
PV. VCSI RE
PARAVIT

ſimulque ingenue fatetur *neſcire ſe divinare* quid eo nexu VCSI deſignetur. Mihi vero perſpicuum videtur in hoc etiam Lapide conſueta formula, licet inſueto nexu, legendum eſse *Vice Sacra Iudicans*. At multo ſane facilius neſcire me fateor quo tempore Euſebius iſte Vrbi praefuerit. Optime quidem novi quod Fl. Eugenius Praetorio Praefectus fuit; & anno 359. ordinarius Conſul proceſſit; ſed ille tamen Ethnicus fuit, & monimentum *Herculi Sacrum* dicavit; hic autem Baſilicam S. Paulo ſacram reparans ſe Chriſti religioni addictum demonſtravit. Accedit etiam quod, cum eadem Baſilica anno 386. magnificentius extructa fuerit, ut ad annum illum oſtendimus, ante plures annos reparari vix debuit. Itaque hic Euſebius ad V. vel VI. etiam Eccleſiae ſeculum referri facile poterit, ideoque ipſius nomen circa annum 600. Faſtis inſerendum putavi.

* Theo-

(1) Pag. 507. 5. (2) Pag. 4. num. 32.

✠ Theodorus

Cir. an. V. C. 1353. *Chr.* 600.

Ontelorius ante Praefectorum Seriem a ſe contextam plumbei Nummi imaginem aeri inciſam exhibet, qua Theodori cuiusdam Vrbi Praefecti nomen exprimitur. In antica Numiſmatis facie legitur

✝
THEOD
ORI PRAE
FECTI

in poſtica vero ſuperne Monogramma
O
✝
H—Θ—K, infer-
I
B

ne autem Aquila expanſis alis reperitur. Aquilae imaginem nummo impreſſam, eiuſque inſculpendae cauſam mihi prorſus incognitam nihil moror. Ex pluribus autem exemplis aliis, quae in *Notis Graecorum* (1) indicavi, Monogrammatis characteres ita legendos exiſtimo BOHΘEI Κύριε *Auxiliare Domine*.

Quamvis autem ambiguum plane, atque obſcurum videatur an Theodorus ille *Praetorii*, vel *Vrbis* Praefectus haberi debeat, longe tamen facilius Vrbi, quam Praetorio, hunc praefuiſſe putaverim. Etenim, ut argumenta cetera omittam, ſequioribus iis temporibus, quibus ea precatio KTPIE BOHΘEI Latinis etiam nominibus adiungebatur, vix Romae *Praetorium*, ac *Praetorii Praefectus* admitti poterit; ideoque ſimplici *Praefecti* nomi-

(1) Pag. 11.

Digitized by Google

nomine Praefectus Vrbis facilius indicatur; cum dignitas illa ad ſequiora quoque, ac noſtra fere tempora, ſublatis iam Praetorii Praefectis, perennaverit, ut in Praefatione iam demonſtravi.

✠ Celſinus II.

Circa annum V. C. 1353. Chr. 600.

INter Gemmas alias antiquas, quibus litterae inſcriptae ſunt, quaſque ex Ficoronii ſchedis edidit, ac illuſtravit Cl. Galeottus aereum Sigillum in Kircheriano Muſeo aſſervatum profertur, in quo characteres iſti recto ordine inſcripti conſpiciuntur (1)

CELSINVS V. C. II. PRAEF. VRBIS ROMAE

Proclive plurimum foret aſſerere quod Celſinus hic unus idemque fuerit cum Aurelio Celſino, qui in Praefectorum Faſtis occurrit, cum Celſinus ipſe II. hoc eſt *ſecundo* Praefectus Vrbis dicatur; Aurelius autem ille ſemel iterumque, ideſt anno Chr. 341. & 351. Vrbi praefuerit.

Mihi vero Celſinus iſte perſpicue certoque ab Aurelio Celſino diſtinguendus, atque ad ſequiora tempora referendus videtur. Etenim, ut coniecturas alias, & rationes omittam, quid Celſinus anno 351. *Vrbis Romae* Praefectus diceretur, perinde ac ſi temporibus illis alterius Vrbis Praefectus eſſe poſſet? Certe Conſtantinopoli Praefectus alius Vrbis nonniſi anno Chr. 360. inſtitutus fuit, ut ad annum illum oſtendi; ideoque Celſinus in Sigillo memoratus poſt annum illum 360. flo-

(1) Pag. 12.

Digitized by Google

360. floruiſse debuit, urbisque *Romae* nomen adiicere; ut illo veluti diſcrimine ſeſe a Praefecto Conſtantinopolis urbis diſtingueret. Itaque Celſinum hunc inter alios incertae aetatis Praefectos in ipſa Operis calce circa annum 600. recenſendum putavi; cum certe nullus temporis character ex vocibus illis exſculpi poſſit; ſed ipſa tamen elegans, & accurata characterum forma argumento eſſe debeat Praefectum ipſum ad barbara, ac ſequiora tempora referri non poſſe.

Quandoquidem vero nonnulla quoque Praefectorum nomina in variis ſubinde Marmoribus affulſere, quorum aetatem obſcuram adeo, & incertam eſſe putavi, ut illa ne quidem ad certum aliquod Eccleſiae ſeculum revocari poſſe viderentur, ipſorum ſingula ſimul coniuncta, nova quadam, diſtinctaque Serie, recenſenda exiſtimavi, quae nunc coronidis inſtar accedet.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFECTI VRBIS
INCERTAE AETATIS

Hactenus Praefectos illos hic ordine memoravi, quorum aetas aut perſpicuis, certiſque Marmorum, & Scriptorum teſtimoniis conſtitui, aut veriſimilibus ſaltem characteribus ita definiri poterat, ut certis quibusdam veluti finibus circumſcribi poſſe videretur. Quandoquidem vero in Marmoribus aliis varia ſubinde Praefectorum nomina occurrunt, quae nullos omnino temporum characteres adiunctos habent, ideoque certis quibusdam aut annis, aut ſeculis adſcribi non poſſunt, ipſorum ſingula poſtremo tandem hoc loco, ſive Operis coronide recenſenda putavi; ut, ſi fortaſſe Marmorum aliorum praeſidio ipſorum aetas ab acutioribus aliis inveniri poſſit, ad ſua quaeque tempora, vel ſuperiorem Praefectorum Seriem referantur. Ne tamen ipſa quoque promiſcue, ac omnino temere proferantur, ſed aliquo potius ordine diſponantur, ab iis exordiri libuit, quos florentibus adhuc Ethnicae ſuperſtitionis ritibus eo Praefecti munere decoratos fuiſſe conſpicimus, quippe cum ceteris antiquiores eſse videantur. Proxime deinde conſequenter alii, qui ſequioribus, barbariſque temporibus floruiſse merito exiſtimantur. Neque tamen hac duplici Praefectorum Serie, quae a me contexta, meliorique, quo poterat, ordine adornata fuit, integram, abſolutamque Praefectorum omnium Seriem haberi poſse confido. Quemadmodum enim plurima Praefectorum nomina, quae Panvinio, Contelorio, ceteriſque Scriptoribus incognita fuerant, repente mihi affulſere, ita quoque plurima vel ex novis Marmoribus, vel ex monimentis aliis ſubtilius exploratis hauriri poterunt, quae mihi quoque prorſus incognita, vel indicta fuerint.

Lucius Furius Victor

IN eximio Gruteri (1) Marmore, quod ab ipſo quoque Contelorio editum eſt, ſplendidum hoc Elogium reperitur

L. FVRIO. L. F. PAL. VICTORI
PRAEF. PRAET. IMPERAT. OMNIVM
HONORATO. ET. DONATO. IN
PROVINCIAM. PARTHIAM
ET. VER . . . CORON. MVRALI
VALLARI
HASTA. PVRA SINE. VEXILLIS
OBSIDIONALI
QVE. CORONA DONATO. PR. AEGYPTI
PRAEF. VRB.
PROC. A. RAT. PRAEF. PRAETOR. MISSV
RAVENNATIVM. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. PROVINCIAE
HISPANIAE. ET. GALL. PRAEF. ALAE
FRONTONIANAE
TRIB. LEG. II. ADIVTRIC. 7. COH.
BRACARVM. IN BRITANNIA
VICARIO. PRAEFECTI PRAETORIO. IVR. DIC.
MAGIST. MILIT. OB. MER. E. DD.

Hi duo poſtremi verſus, quos Gruterus omiſerat, ex Ligorii Shedis a Muratorio adiecti ſunt.

* . . . ius

(1) Pag. 414. 8.

Digitized by Google

✠ - - - - ius Valerianus

MArmoris adhuc inediti fragmentum Tibure reperitur, in quo mutilum Praefecti huius nomen obſervatur

d. M. S.
- - - - - IO VALERIA...
- - - - - PRAEFEC. VRBIS
curato RI AEDIFICIORVM..
- - - - - IVS POLYBIVS PATER
filio dulci SSIMO. VIX. ANN.
- - - - - I. MENS. II.
- - - - - die B. XXV.

✠ Marcus Mummius Hilarus

IN Gudii (1) Marmore Praefectus hic memoratur

IOVI. OPTIMO. MAXIMO. CAPITOLINO
SACRVM
M. MVMMIVS. M. F. PAL. HILARVS. V. C.
PRAEF. VRB. EX. V. F. COER.

Ddd 2 Lucius

(1) Pag. 6. n. 9.

✠ Lucius Volumnius Munatianus

HVius Volumnii nomen Smetii Schedas a Grutero (1) exſcriptas ſequutus Praefectorum Faſtis inſerui. Etenim in ipſis legitur

SOLI. IVVANTI
L. VOLVMNIVS
MVNATIANVS
SODAL. AVG. PRAEF. VRBI

Sed in aliis tamen Verderii reperitur *Horatianus Sodal. Aug. Praet. Vrb.*

✠ Quintus Permenius Hoſtilianus

BRevis haec Epigraphe ſtatuae, ut videtur, ſubiecta a Gudio exhibetur (2)

CERERI. CONSENTIAE. SACRVM
Q. PERMENIVS. Q. F. CLAVD. HO
STILIANVS. V. C. PRAEF. VRB.

Ita quoque Gudius (3) ipſe Marmor aliud exhibuit, quod ab alio Permenio, fortaſse Praefecti filio, dicatum fuit

MERCVRIO. POMPEO
M. PERMENIVS. Q. F. CLAVD.
HOSTILIANVS. SABINVS
TRIB. MIL. LEG. III. ITALICAE
V. C.

* Lucius

(1) Pag. 35. n. 13. (2) Pag. 15. 5. (3) Pag. 35. 10.

Digitized by Google

✠ Lucius Iunius Mucianus

VOtiva quaedam Epigraphe ex Ligorii Schedis a Muratorio (1) exhibetur, in qua Praefecti huius prorſus incogniti nomen occurrit

SILVANO SAN
CTISSIMO
L. IVNIVS. MV
CIANVS V. C.
PRAEF. VRB.

✠ Caius Derventius Praetextatus

HIC Praetextatus a Praefectis aliis ipſi cognominibus omnino diſtinctus in ſolo Gudii (2) Lapide memoratur

GENIO. CONSERVATORI
DERVENTIAN. INSVL.
C. DERVENTIVS. PRAE
TEXTATVS. V. C. PRAEF.
VRBIS
IN. AMBIT. PRIV. DD.

Titus

(1) Pag. 70. 9. (2) Pag. 68. 7.

Digitized by Google

Titus Catius Catullinus Sextus Secundinus

MOnumentum quoddam *Spei Auguſtae Sacrum*, atque a Contelorio ex Grutero (1) deſcriptum ita deſinit

PERMISSV T. CATII CATVLLINI SEXTI
SECVNDINI PRAEF. VRB. REG. XIII.

Quamvis autem Caſaubonus (2) *Praefecti* nomine hic *Curatorem* deſignari putaverit, perinde ac ſi diceretur hunc Secundinum XIII. Vrbis Regioni Praefectum fuiſſe, nihil eſt tamen quin ille Praefectus Vrbis vere dicatur, atque opus illud, cui Epigraphe inſcripta fuit, eius permiſſu, a XIII. Vrbis Regione factum intelligatur.

* Marcus Bulanius Clemens

VOtivum Marmor a Gudio (3) deſcriptum ita deſinit

M. BVLANIVS M. F. CLEME...
V. C. PRAEFECTVS. VR...
CVRATOR. ALVEI. TIBER...
ET. CLOACAR. VRB. R....

* Caius

(1) Pag. 1017. 4. (2) Ad Lampr. in Elag. c. 20.
(3) Pag. 54. 8.

Digitized by Google

✠ Caius Arrius Balbinus

In Gudii (1) Marmore legitur

C. ARRIVS. M. F. BALBINVS
V. C. PROCOS. CAMPANIAE
CORRECTOR. TVSCIAE. ET
VMBRIAE. PROCOS. APVLIAE
* * * *
PRAEF. VRBI. VIC. SACR. IVD.

✠ Fonteius Litorius - - - entius

In brevi, ſimulque mutilo Marmore apud Muratorium (2) Praefecti huius mentio reperitur.

FONTEIVS LITORIVS
....TIVS V. C. PRAEF.
VRBI CVRAVIT

Marcus Aurelius Severianus

In eleganti marmoreo monumento haec Epigraphe Statuae ſubiecta apud Gruterum conſpicitur (3), atque a Contelorio exhibetur

M. AVRELIO. SEVERIANO. PRAEF. VRB.
M. AVR. SYNTYCHVS. FILIVS. ET
FLAVIA. NICE. PARENTI. OPTVMO
FECERVNT

Con-

(1) Pag. 67. 1. (2) Pag. 703. 5. (3) Pag. 372. 3.

Digitized by Google

Conſtantii quidem aetate anno 349. Severianus quidam Aſiae, ſive Achaiae Proconſul fuit, ut ex Theodoſiano Codice (1) demonſtratur; quemadmodum Severianus alter Dux anno 366. in eodem Codice (2) & ab Ammiano (3) quoque memoratur. Quis vero coniicere vel divinare nunc poſſit an Marmor illud ad alterutrum ex Severianis iſtis, longeque facilius, ad primum referri poſſit?

✠ Iunius Pomponius Ammonius

IN novo Muratorii Theſauro haec Epigraphe vulgata fuit (4)

IVNIVS. POMPONI
VS AMMONIVS
V. C. PRAEF. VRBI
CVRAVIT

✠ Tanucius Isfalangius II.

HAec brevis, ac fortaſſe depravata Inſcriptio a Muratorio (5) profertur

TANVCIVS
ISFALANGIVS
V. C. PRAEFECTVS
VRBI ITERVM

(1) Lib. XVI. tit. 2. l. 9. (2) Lib. V. tit. 5. l. 1. (3) Lib. XXVII. (4) Pag. 711. 5. (5) Pag. 748. 6.

FINIS

SE-

SERIES CHRONOLOGICA
PRAEFECTORVM VRBIS

	An. V. C.	
	4.	ROmulius Denter
	84.	Numa Marcius
	circa 230.	Spurius Lucretius
	258.	Spurius Larcius Flavus I.
*	262.	Titus Larcius Flavus
*	269.	Spurius Larcius Flavus II.
*	274.	Spurius Larcius Flavus III.
	295.	Publius Lucretius
	298.	Quintus Fabius Vibulanus
*	705.	Caius Iulius Caeſar
*	707.	Lucius Caeſar
*	707.	Marcus Aemilius Lepidus
*	708.	Lucius Munatius Plancus Livineius Regulus Caius Norbanus Quintus Oppius Aulus Hirtius Caius Clouvius
*	709.	Praefecti IV. Feriarum Latinarum
*	718.	Praetores Pro-Praef. Fer. Latin.
	718.	Caius Cilnius Maecenas
*	720.	Pueri impuberes Praef. Fer. Latin.
	729.	Marcus Valerius Meſſala Corvinus
*	731.	Praefecti VIII. Anonymi
	733.	Marcus Vipſanius Agrippa
	738.	Titus Statilius Taurus

Digitized by Google

	An. Chr.		
	circa	14.	Paulus Aemilius Regillus
*	c.	17.	Caius Pomponius Flaccus Graecinus
*	c.	23.	Lucius Aelius Seianus
*		24.	Druſus Caeſar Germanici f.
		26.	Lucius Calpurnius Piſo
*	c.	29.	Caius Perpernius Nautianus
		32.	Lucius Aelius Lamia
		34.	Coſſus Cornelius Lentulus
*		39.	Sanquinius Maximus
*		42.	Lucius Iunius Silanus
*		43.	Cneus Pompeius Magnus
*		52.	Nero Claudius Caeſar
*		57.	Titus Flavius Sabinus I.
*		61.	Pedanius Secundus
		68.	Titus Flavius Sabinus II.
		68.	Ducennius Geminus
	c.	72.	Lucius Voluſius Saturninus
		80.	Tiberius Plautius Silvanus Aelianus
	c.	80.	Pegaſus
*	c.	85.	Caius Rutilius Gallicus Valens
	c.	90.	Titus Aurelius Fulvius
	c.	100.	Anianus
*	c.	110.	Quintus Glitius Atilius Agricola
	c.	116.	Hermes
		117.	Baebius Macer
*		118.	Lucius Fulvius Aburius Valens
*	c.	120.	Aulus Gabinius Priſcus
*	c.	121.	Lucius Gabinius Venuſtus
	c.	122.	Lucius Annius Verus
*	c.	133.	Vulteius Aſiatinus
		136.	Marcus Aurelius Antoninus
		138.	Lucius Catilius Severus
*	c.	140.	Marcus Poblicius Modeſtus

c. 146.

Digitized by Google

	c.	146.	Sextus Erucius Clarus
	c.	150.	Sergius Cornelius Scipio Orſitus
	c.	150.	Salvius Iulianus Severus
*	c.	162.	Marcus Senſius Genialis
	c.	163.	Quintus Lollius Vrbicus
	c.	164.	Publius
		167.	Iunius Ruſticus
	c.	170.	Sergius Paulus
		174.	Vitraſius Pollio
*	c.	176.	Quintus Soſius Priſcus Senecio
	c.	178.	Fuſcianus
	c.	180.	Marcus Aufidius Victorinus
	c.	180.	Helvius Pertinax
*	c.	180.	- - - - onianus Octavius
	c.	184.	Perennius
	c.	186.	Marcus Antonius Antius Lupus
*	c.	193.	Baſſus
		193.	Domitius Dexter
		193.	Flavius Claudius Sulpicianus
*		193.	Cornelius Repentinus
*	c.	200.	Lucius Fulvius Gavius Numiſius Petronius Aemilianus
*	c.	200.	Caius Oreſtius Paulinus
	c.	200.	Lucius Fabius Cilo Septimianus II.
*	c.	200.	Lucius Marius Maximus Perpetuus Aurelianus
	c.	203.	Lucius Fulvius Plautianus
	c.	210.	Iulius Felix Campanianus
*	c.	212.	Caius Iulius Aſper
*	c.	215.	Catius, *vel* Tatius
*	c.	215.	Sempronius Rufus
*		217.	Caius Perpennianus
*		218.	Quintus Coclatinus Adventus
*		218.	Lucius Marius Maximus
*		219.	Leo
*		220.	Eutychianus, *ſive* Comazon

Digitized by Google

* 222. Fulvius

c. 230. Turcius Almachius

* c. 230. Decimus Caelius Balbinus

238. Marcus Claudius Pupienus Maximus

238. Sabinus

* 238. Vlpius Vettius Sabinus

* 240. Miiitheus

243. Flavius Eurycles Epitynchanus

c. 250. Appius Claudius Cenſorinus III.

c. 251. Vlpius, *ſive* Vlpianus

c. 252. Celerinus

253. Lucius Virius Paulinus

* 253. Lucius Iunius Validianus

254. Lollianus

255. Marcus Valerius Maximus

256. Nummius Ceionius Albinus I.

257. Iunius Donatus

258.
259. } Publius Cornelius Secularis
260.

c. 260. Placidus

c. 260. Nicetius

261.
262. } Marcus Nummius Ceionius Annius Albinus II.
263.

c. 262. Marcus Aurelius Victor

264.
265. } Paternus
266.

c. 268. Lucius Caeſonius Lucillus Macer Rufinianus

267.
268. } Lucius Petronius Taurus Voluſianus

269.
270. } Flavius Antiochianus
272.

Digitized by Google

271. Poſtumius Varus
273. 274. Virius Orſitus
275. Poſtumius Syagrius
* c. 275. Turcius
* 275. Aelius Caeſetianus
276. 277. Ovinius Pacatianus
278. 279. 280. Virius Lupus
281. Ovinius Paternus
282. Pomponius Victorianus
283. Titurius Robuſtus
c. 284. Agreſtius Chromatius
c. 284. Marcianus
284. 285. Ceionius Varus
286. 287. Iunius Maximus
* 286. Fabianus
288. 289. Pomponius Ianuarius
290. Turranius Gratianus
291. Iunius Tiberianus I.
292. Claudius Marcellus
293. 294. Septimius Acyndinus
295. Ariſtobulus
296. Caſſius Dio
297. Afranius Hannibalianus
298. Artorius Maximus
299. Anicius Acilius Aginatius Fauſtus
300. Pompeius Appius Fauſtinus
301. Aelius Dionyſius

302.

Digitized by Google

302. Nummius Tuſcus
303. Iunius Tiberianus II.
c. 303. Laodicius
304. Aradius Rufinus
c. 304. Draccus
c. 304. Magnentius
* c. 304. Pinius Paulus Silvanus
305. Titus Flavius Poſtumius Titianus
306. Annius Paulinus
307. Iuſteius Tertullus
308. Statius Rufinus
309. Aurelius Hermogenes
c. 309. Aurelius
310. Caius Ceionius Rufius Voluſianus
c. 310 Symphronius
311. Iunius Flavianus
c. 311. Tarquinius
312. Aradius Rufinus
313. 314. } Rufius Voluſianus
315. Caius Vettius Coſſinius Rufinus
316. Ovinius Gallicanus
* 316. Iulius Caſſius I.
317. Septimius Baſſus
318. Iulius Caſſius II.
319. 320. 321. 322. } Valerius Maximus Baſilius
319. Ianuarius
* 321. Marcus Iunius Caeſonius Nicomachus Anicius Fauſtus Paulinus
323. 324. } Lucrius Verinus
* 324. Calphurnius

325. Acilius Severus
326.
327. } Anicius Iulianus
328.
329. Publius Optatianus I.
330. Petronius Probianus
331. } Anicius Paulinus I.
332.
* 332. Pacatianus
333. Publius Optatianus II.
* 333. Caeſonius Iulianus Kamenius
334. Anicius Paulinus Iunior II.
335. } Rufius Albinus
336.
337. Lucius Aradius Valerius Proculus I.
* c. 337. Iulius Proculus
338. Mecilnius Hilarianus
339. Lucius Turcius Apronianus
339. Tiberius Fabius Titianus I.
* 340. Iunius Tertullus
341. Aurelius Celſinus I.
342. Flavius Lollianus Mavortius
343. } Fabius Aconius Catulinus Philomatius
344.
345. Quintus Iunius Ruſticus
346. Petronius Probinus
347. Placidus
348. } Vlpius Limenius
349.
350. Hermogenes
351. { Fabius Titianus II.
Aurelius Celſinus II.
Caelius Probatus
Clodius Adelfius
Valerius Proculus II. }

Vale-

352. Valerius Proculus II.
Septimius Mnaſea
Neratius Cerealis I.

353. Neratius Cerealis II.
Vitraſius Orfitus I.

354. Memmius Vitraſius Orfitus II.

355. Flavius Leontius II.

* c. 357. Decimus Simonius Iulianus

354. 355. 356. 357. 358. 359. Memmius Vitraſius Orfitus III.

359. Iunius Baſſus

360. Tertullus

361. Clytolias Maximus

362. 363. 364. Lucius Turcius Secundus Flavius Apronianus Aſterius

364. Rufius Ceionius Voluſianus I.

364. 365. Lucius Aurelius Avianus Symmachus

366. Poſtumius Lampadius

366. 367. Iubentius Pannonius

* 366. Maximinus

366. Valerianus

* c. 366. Caius Iunius Pomponius Pudens Severianus

* c. 366. Caius Iulianus Pomponius Pudens Severianus

367. Vettius Agorius Praetextatus

368. 369. 370. Quintus Clodius Hermogenianus Olybrius

* 370. Principius I.

*		371.	Viventius
		371. 372.	Ampelius Antiochenus
*		372.	Bappo
*	c.	372.	Sextus Petronius Probus
*		373.	Caius Ceionius Rufius Voluſianus II.
		374.	Flavius Eupraxius
		374.	Claudius
*	c.	375.	Magnus
		376.	Rufinus
		377.	Gracchus
		377.	Gabinius Vettius Probianus
	c.	377.	Lucius Vocontius Vicaſius II.
		379.	Hypatius
		380.	Anicius Paulinus
		380.	Arborius
		381.	Valerianus
		382.	Caius Flavius Placidus Severus
		383.	Hilarianus
		383.	Anicius Auchenius Baſſus
*		384.	Principius II.
*	c.	384.	Iulius Agrius Tarrutenius Marcianus II.
*		384.	Aventius
		384. 385. 386.	Quintus Aurelius Symmachus
		386.	Saluſtius
*		387.	Valerius Pinianus
*		388.	Ruſticus Iulianus
	c.	389.	Sextus Aurelius Victor
		389. 390. 391.	Ceionius Rufius Albinus II.
*	c.	390.	Tarrutius Baſſus
		391.	Faltonius Probus Alypius

*	c.	392.	Claudius Rutilius Lachanius
*		392.	Virius Nicomachus Flavianus
		395. 396. 397.	Florentinus
		395.	Baſilius
*		395.	Andromachus I.
*	c.	395.	Protadius
*	c.	397.	Caius Silius Patruinus
		398.	Felix
*	c.	399.	Caius Iubentius
		399.	Flavius Valerius Meſſala
*		399. 400.	Virius Flavianus
*		400.	Rufius Poſthumianus
	c.	400.	Anicius Acilius Glabrio Fauſtus
	c.	400.	Fabius Felix Paſiphilus Paulinus
*	c.	400.	Aemilius
*		401.	Andromachus II.
	c.	401.	Flavius Peregrinus Saturninus II.
*		402.	Decius
		403.	Flavius Macrobius Longinianus
*	c.	404.	Caecilianus
		406.	Flavius Piſidius Romulus
		407.	Senator
*		408.	Pompeianus
*		408.	Hilarius
	c.	408.	Flavius Philippus
		409.	Bonoſianus I.
*		409.	Flavius Priſcus Attalus
*		409.	Marcianus
*		411.	Bonoſianus II.
		412.	Palmatius
		412.	Flavius Annius Eucharius Epiphanius
*		414.	Eutychianus

414.

Digitized by Google

		414.	Claudius Rutilius Numatianus
		414.	Caecina Decius Acinatius Albinus
		415.	Gracchus
*		416.	Probianus
		417.	Rufius Venerius Voluſianus
		419.	Symmachus
		420.	Flavius Anicius Petronius Maximus IV.
		421.	Rufius Antonius Agrypnius Voluſianus I.
*		423. 424.	Severinus
	c.	424.	Anicius Acilius Aginatius Fauſtus
*		425.	Fauſtus
*		426.	Albinus
*		434.	Rufius Antonius Agrypnius Voluſianus II.
*		440.	Pierius, *vel* Hierius
*		441.	Auxentius I.
*		443.	Storacius
	c.	443.	Petronius Perpenna Magnus Quadratianus
	c.	445.	Rufius Praetextatus Poſthumianus II.
*		445.	Auxentius II.
*	c	451.	Delſius
*		450.	Epitynchanus
*		467.	Ferentius
		468.	Caius Sollius Apollinaris Sidonius
	c.	470.	Flavius Eugenius Aſellus
*	c.	470.	Plutinus Euſtathius
*	c.	470.	Valentinus
*	c.	470.	Euplogius
		474.	Caſtalius Innocentius Audax
*	c.	486.	Anicius Aurelius Manlius Boethius II.
*	c.	490.	Claudius Iulius Eccleſius Dynamius
*	c.	494.	Turcius Rufius Apronianus Aſterius
		495.	Artemidorus
*	c.	495.	Feſtus I.
		496.	Argolicus

* c. 500. Catulinus
* c. 503. Feſtus II.
c. 516. Agapitus
* c. 519. Caecina Mavortius Baſilius Decius
526. Reparatus
c. 527. Salvantius
* 534. Honorius
572. S. Gregorius Magnus
* c. 588. Maurilio
590. Germanus
* 591. Georgius
c. 595. Libertinus
* 595. Gregorius
600. Ioannes
* 600. Flavius Eugenius Aſellus
* c. 600. Euſebius
* c. 600. Theodorus
* c. 600. Celſinus.

PRAEFECTI VRBIS INCERTAE AETATIS

LVcius Furius Victor
* . . . . ius Valerianus
* Marcus Mummius Hilarus
* Lucius Volumnius Munatianus
* Quintus Permenius Hoſtilianus
* Lucius Iunius Mucianus
* Caius Derventius Praetextatus
Titus Catius Catulinus Sextus Secundinus
* Marcus Bulanius Clemens
* Caius Arrius Balbinus
* Fonteius Litorius . . . entius
Marcus Aurelius Severianus
* Iunius Pomponius Ammonius
* Tanucius Isfalangius.

SE-

SERIES ALPHABETICA
PRAEFECTORVM VRBIS

A

			Anno
	ACilius Severus	Chr.	325.
	Aelius Caeſetianus		275.
	Aelius Dionyſius		301.
L.	Aelius Lamia		32.
L.	Aelius Seianus		23.
	Aemilius		400.
M.	Aemilius Lepidus	V. C.	707.
	Afranius Hannibaliianus		297.
	Agapitus	c.	516.
	Agreſtius Chromatius		284.
	Albinus		426.
	Ampelius Antiochenus		371. 372.
	Andromachus I.		395.
	II.		401.
	Anianus	circ.	100.
	Anicius Acilius Aginatius Fauſtus		299.
	alius		424.
	Anicius Acilius Glabrio Fauſtus		400.
	Anicius Auchenius Baſſus		383.
	Anicius Aurelius Manlius Boethius II.	c.	486.
	Anicius Iulianus		326. 327. 328.
	Anicius Paulinus I.		331. 332.
	Iunior		334.
	alius		380.
	Annius Paulinus		306.
L.	Annius Verus	c.	122.
M.	Antonius Antius Lupus	c.	186.

Ara-

Digitized by Google

	Aradius Rufinus I.	304.
	II.	312.
L.	Aradius Valerius Proculus I.	337.
	Arborius	380.
	Argolicus	496.
	Ariſtobulus	295.
C.	Arrius Balbinus	incer.
	Artemidorus	495.
	Artorius Maximus	298.
	Aventius	383.
M.	Aufidius Victorinus	c. 180.
	Aurelius	309.
M.	Aurelius Antoninus	136.
L.	Aurelius Avianus Symmachus	364. 365.
	Aurelius Celſinus I.	341.
	II.	351.
T.	Aurelius Fulvius	c. 90.
	Aurelius Hermogenes	309.
Q.	Aurelius Symmachus	384. 385. 386.
M.	Aurelius Severianus	incer.
M.	Aurelius Victor	c. 262.
S.	Aurelius Victor	389.
	Auxentius I.	441.
	II.	445.

B

	Baebius Macer	117.
	Bapo	372.
	Baſilius	395.
	Baſſus	193.
	Bonoſianus I.	409.
	II.	411.
M.	Bulanius Clemens	incer

Cae-

C

	Caecilianus	c.	404.
	Caecina Decius Aginatius Albinus		414.
	Caecina Mavortius Baſilius Decius	c.	519.
	Ceionius Varus		284. 285.
C.	Ceionius Rufius Voluſianus		310.
	alius		373.
	Ceionius Rufius Albinus II.		389. 390. 391.
	Caeſonius Iulianus Kamenius		333.
L.	Caeſar	V. C.	707.
L.	Caeſonius Lucillus Macer Rufinianus	c.	268.
	Caelius Probatus		351.
D.	Caelius Balbinus	c.	230.
L.	Calpurnius Piſo		26.
	Calphurnius		324.
	Caſtalius Innocentius Audax		474.
	Caſſius Dio		296.
	Catius V. Tatius	c.	215.
T.	Catius Catulinus Sextus Secundinus		incer.
L.	Catilius Severus		138.
	Catulinus	c.	500.
	Celerinus	c.	252.
	Celſinus II.	c.	600.
C.	Cilnius Maecenas	V. C.	718.
	Claudius		374.
Nero	Claudius Caeſar		52.
Ap.	Claudius Cenſorinus III.	c.	250.
	Claudius Iulius Eccleſius Dynamius	c.	490.
	Claudius Marcellus		292.
M.	Claudius Pupienus Maximus		237.
	Claudius Rutilius Lachanius	c.	392.
	Claudius Rutilius Numatianus		414.
	Clodius Adelfius		351.

Q. Clo-

Q.	Clodius Hermogenianus Olybrius		368. 370.
C.	Clouvius	V. C.	708.
	Clytholias Maximus		361.
	Comazon V. Eutychianus		220.
	Coſſus Cornelius Lentulus		34.
	Cornelius Repentinus		193.
P.	Cornelius Secularis		258. 259. 260.

D

	DEcius		402.
	Delfius	c.	451.
C.	Derventius Praetextatus		incer.
	Domitius Dexter		193.
	Draccus	c.	304.
	Druſus Caeſar		24.
	Ducennius Geminus		68.

E

	EPitynchanus		450.
S.	Erucius Clarus	c.	146.
	Euplogius	c.	470.
	Euſebius	c.	600.
	Eutychianus V. Comazon		220.
	Eutychianus		414.

F

	FAbianus		287.
Q.	Fabius Vibulanus	V. C.	298.
L.	Fabius Cilo Septimianus	c.	200.
Ti.	Fabius Titianus I.		339.
	II.		351.
	Fabius Aco Catulinus Philomatius		343. 344.
	Fabius Felix Paſiphilus Paulinus	c.	400.

Falto-

	Faltonius Probus Alypius	391.
	Fauſtus	425.
	Felix	398.
	Ferentius	467.
	Feſtus I.	495.
	II.	503.
	Flavianus *Vide* Virius	399. 400.
	Flavius Antiochianus	269. 270. 272.
	Flavius Eurycles Epitynchanus	243.
T.	Flavius Sabinus I.	57.
	II.	68.
	Flavius Claudius Sulpicianus	193.
T.	Flavius Poſthumius Titianus	305.
	Flavius Lollianus Mavortius	342.
	Flavius Eupraxius	374.
	Flavius Leontius II.	355.
C.	Flavius Placidus Severus	382.
	Flavius Valerius Meſſala	399.
	Flavius Anicius Petronius Maximus IV.	c. 420.
	Flavius Annius Eucharius Epiphanius	412.
	Flavius Eugenius Aſellus	c. 470.
	alius	c. 600.
	Flavius Macrobius Longinianus	403.
	Flavius Philippus	c. 408.
	Flavius Peregrinus Saturninus II.	c. 401.
	Flavius Piſidius Romulus	406.
	Flavius Priſcus Attalus	409.
	Florentinus	395. 396. 397.
	Fonteius Litorius .... entius	incer.
	Fulvius	222.
L.	Fulvius Gavius Numiſius Petronius Aemilianus	c. 200.
L.	Fulvius Plautianus	c. 203.
L.	Fulvius Aburius Valens	118.
	Furius Orſitus. *Vide* Virius Orſitus	273. 274.
L.	Furius Victor	incer.

	Fuſcianus	c. 178.

G

A.	GAbinius Priſcus	c. 120.
L.	Gabinius Venuſtus	c. 121.
	Gabinius Vettius Probianus	377.
	Georgius	591.
	Germanus	590.
Q.	Glitius Atilius Agricola	c. 110.
	Gracchus	377.
	alius	415.
	Sanctus Gregorius M.	572.
	Gregorius	595.

H

	HElvius Pertinax	c. 180.
	Hermes	c. 116.
	Hermogenes	350.
	Hierius *Vide* Pierius	440.
	Hilarianus	383.
	Hilarius	408.
A.	Hirtius	V. C. 708.
	Honorius	534.
	Hypatius	379.

I

	IAnuarius	319.
	Ioannes	600.
C.	Iubentius	c. 399.
	Iubentius Pannonius	366. 367.
C.	Iulianus Pomponius Pudens Severianus	c. 366.
C.	Iulius Aſper	c. 212.
C.	Iulius Caeſar	V. C. 705.
	Iulius Caſſius I.	316.
	II.	318.

Iulius

	Iulius Felix Campanianus	c. 210.
	Iulius Proculus	c. 337.
	Iunius Baſſus	359.
M.	Iunius Caeſonius Nicomachus Anicius Fauſtus Paulinus	321.
	Iunius Donatus	257.
	Iunius Flavianus	311.
	Iunius Maximus	286. 287.
L.	Iunius Mucianus	incer.
	Iunius Agrius Tarrutenius Marcianus II.	c. 384.
	Iunius Pomponius Pudens Severianus	c. 366.
	Iunius Pomponius Ammonius	incer.
	Iunius Ruſticus	167
Q.	Iunius Ruſticus	345.
L.	Iunius Silanus	42.
	Iunius Tertullus	340.
	Iunius Tiberianus I.	291.
	II.	303.
L.	Iunius Validianus	253.
	Iuſteius Tertullus	307.

L

	Laodicius	c. 303.
Sp.	Larcius Flavus I.	V. C. 258.
	II.	V. C. 269.
	III.	V. C. 274.
Ti.	Larcius Flavus	V. C. 262.
	Leo	219.
	Libertinus	c. 595.
	Livineius Regulus	V. C. 708.
	Lollianus	254.
Q.	Lollius Vibicus	c. 163.
P.	Lucretius	V. C. 295.

Sp. Lucretius V. C. c. 230.
Lucrius Verinus 323. 324.

M

MAecilius Hilarianus 338.
Magnentius c. 304.
Magnus c. 375.
Marcianus c. 284.
Marcianus 409.
Numa Marcius V. C. 84.
L. Marius Maximus Perpetuus Aurelianus c. 200.
Q. Marcus Coclatinus Adventus 218.
L. Marius Maximus 218.
Maurilio c. 588.
Maximinus 366.
Memmius Vitraſius Orfitus I. 353.
II. 354.
III. 354. uſque ad 359.
Miſitheus 240.
M. Mummius Hilarus incer.
L. Munatius Plancus V. C. 708.

N

NEratius Cerealis I. 352.
II. 353.
Nicetius c. 260.
C. Norbanus V. C. 708.
Nummius Ceionius Annius Albinus I. 256.
II. 261. 262. 263.
Nummius Tuſcus 302.

O

Q. OPpius V. C. 708.
C. Oreſtius Paulinus c. 200.
Ovinius Gallicanus 316.

Ovi-

Ovinius Pacatianus 276. 277.
Ovinius Paternus 281.

P

Pacatianus 332.
Palmatius 412.
Paternus 264. 265. 266.
Paulus Aemilius Regillus c. 14.
Pedanius Secundus 61.
Pegaſus c. 80.
Perennius c. 184.
Q. Permenius Hoſtilianus incer.
C. Perpennianus 217.
C. Perpernius Nautianus c. 29.
Petronius Perpenna Magnus Quadratianus 443.
Petronius Probianus 330.
Petronius Probinus 346.
S. Petronius Probus c. 372.
L. Petronius Taurus Voluſianus 267. 268.
Pierius *Vide* Hierius 440.
Pinius Paulus Silvanus c. 304.
Placidus c. 260.
alius 347.
Ti. Plautius Silvanus Aelianus 80.
Plutinus Euſtathius c. 470.
M. Poblicius Modeſtus c. 140.
Pompeianus 408.
Pompeius Appius Fauſtinus c. 300.
Cn. Pompeius Magnus 43.
C. Pomponius Flaccus Graecinus 17.
Pomponius Ianuarius 288. 289.
Pomponius Victorianus 282.
Poſthumius Lampadius 366.
Poſthumius Syagrius 275.

Poſthu-

Poſthumius Varus . 271.
Praefecti VI. V. C. 708.
Praefecti VIII. V. C. 731.
Praefecti IV. Fer. Lat. V. C. 709.
Praetores Pro-Praefecti Fer. Lat. V. C. 718.
Pueri impuberes Praef. Fer. Lat. V. C. 720.
Principius I. 370.
II. 384.
Probianus 416.
Protadius c. 395.
Publius c. 164.
Publius Optatianus I. 329.
II. 333.

R

Reparatus 526.
Romulius Denter V. C. 4.
Rufinus 376.
Rufius Albinus 335. 336.
Rufius Antonius Agrypnius Voluſianus I. 421.
II. 434.
Rufius Ceionius Voluſianus 364.
Rufius Poſthumianus 400.
Rufius Praetextatus Poſthumianus c. 445.
Rufius Venerius Voluſianus 417.
Rufius Voluſianus 313. 314.
Ruſticus Iulianus 388.
C. Rutilius Gallicus Valens c. 85.

S

Sabinus 238.
Salvantius 527.
Salvius Iulianus Severus c. 150.

Salu-

Digitized by Google

	Saluſtius	386.
	Sanquinius Maximus	39.
	Sempronius Rufus	c. 215.
	Senator	407.
M.	Senſius Genialis	c. 162.
	Septimius Acyndinus	293. 294.
	Septimius Baſſus	317.
	Septimius Mnaſea.	352.
	Severinus	423. 424.
	Sergius Cornelius Scipio Orfitus.	c. 150.
	Sergius Paulus	c. 170.
C.	Silius Patruinus	397.
D.	Simonius Iulianus	c. 357.
C.	Sollius Apollinaris Sidonius.	468.
Q.	Soſius Priſcus Senecio	c. 176.
T.	Statilius Taurus	V. C. 738.
	Statius Rufinus.	308.
	Storacius	443.
	Symmachus	419.
	Symphronius	c. 310.

T

	Tanucius Iſfalangius.	incer.
	Tarquinius	311.
	Tarrutius Baſſus	c. 390.
	Tatius *Vide* Catius.	c. 215.
	Tertullus	360.
	Theodorus	c. 600.
	Titurrius Robuſtus.	283.
	Turcius	c. 275.
	Turcius Almachius	c. 230.
	Turcius Rufius Apronianus. Aſterius.	490.
	Turranius Gratianus	290.
L.	Turcius Apronianus	339.
	alius.	363. 364.

Valen-

V

	Valentinus	c. 470.
..ius	Valerianus	incer.
	Valerianus	366.
	alius	381.
M.	Valerius Meſſala Corvinus V. C.	729.
M.	Valerius Maximus	255.
	Valerius Maximus Baſilius	319. ad 322.
	Valerius Proculus I.	351.
	II.	352.
	Valerius Pinianus	387.
	Vettius Agorius Praetextatus	367.
C.	Vettius Coſſinius Rufinus	315.
	Virius Lupus	278. 279. 280.
	Virius Nicomachus Flavianus	392.
	alius	399. 400.
	Virius Orfitus	273. 274.
L.	Virius Paulinus	253.
M.	Vipſanius Agrippa V. C.	733.
	Vitraſius Orfitus *Vide* Memmius	353.
	Vitraſius Pollio	174.
	Viventius	371.
	Vlpius, *vel* Vlpianus	c. 251.
	Vlpius Limenius	348. 349.
	Vlpius Vettius Sabinus	238.
L.	Vocontius Vicaſius II.	377.
L.	Volumnius Munatianus	incer.
L.	Voluſius Saturninus	c. 72.
	Vulteius Aſiatinus	c. 133.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A

AMmianus quando ſcripſerit? pag. 268.
Eius error oſtenſus. 154.* 224. 233.
Apuleii locus explicatus 75. 76.
Auſonii locus illuſtratus 254.
M. Aurelii Aug. Epiſtola defenſa 83.

B

BAronius notatus 265.
Baronii error oſtenſus 86. 139. 149. 282. 285.
Bollandi error indicatus 167.
Bouherius laudatus 228.

C

CApitolini locus explicatus 86. 125.
Suppletus 88.
Reſtitutus 126.
Contra Caſaubonum defenſus 129.
Circenſes quando celebrati? 332.
Comitiva Formarum quando inſtituta? 111.
Comitum Domeſticorum Ordines quando inſtituti 68. 105. 134.
Conſulum etiam ordinariorum nomina aliquando in Faſtis omiſſa 69.
Contelorii error indicatus 23. 66. 97. 183. Vid. Praef. §. XI.
Coſſus Corneliae gentis praenomen, non nomen 38.

D

DIonis locus emendatus 36.
Explicatus 123.
Illuſtratus 112.
Dodvellus confutatus 121.

E

ETruriae Populi quot? 93.
Euſebii locus emendatus 248.
Eutropii locus tentatus 91.

F

FEriae Latinae pag. 18. & Praef. 5. II.
Firmici aetas 202.
Flavii nomen aliquando nominibus propriis adiectum 228.

G

GLadiatores quando ſublati? 291.
Gorii error indicatus 144. 363.
Coniectura reiecta 217.
Gothofredus notatus 282. 285.
Emendatus 228.
Eius error indicatus 160. 186. 204. 242. 248. 263. 289. 335. 355.
Opinio reiecta 257.
Gregorii Turonenſis locus emendatus 376.
Gudii error oſtenſus 259.

Hagem-

H

HAgembuchius laudatus 256. 272.
Correctus 273.
Heninii error oſtenſus 49.
S. Hermetis Praefecti reliquiae 54. 55.
Hilaria Feſta quando celebrata? 160.

I

IOſephi locus explicatus 34.
S. Iuſtini Apologia II. quando edita? 74.
Locus explicatus 76.

L

LAmpridii locus emendatus 98.
Lex Codicis Theodoſiani emendata 180. 196. 204. 212. 215. 229. 234. 249. 251. 302. 326.
Lipſius correctus 45.
Livii locus ab Vrſini emendatione vindicatus 3.
Ludi Sabini qui fuerint? 115.
Ludi Tarentini qui? 50.
Lydiae nomine vocata Etruria 294.

M

MAecenatis conſilium de inſtituendo Praef. Vrbis 20.
Marmor emendatum 53. 60. 72. 93. 103. 145. 182. 199. 222. 223. 272.
Reſtitutum, ac illuſtratum 151. 256.
Suppletum, ac illuſtratum 307.
Explicatum 266. 269. 334. 370. 381.
Illuſtratum 26. 57. 109. 145. 195. 257. 324. 344. 352.

Martyrium S. Agnetis pag. 166.
S. Agapiti 146.
S. Alexandri Papae 54.
S. Apollonii 95.
S. Aproniani 158. *
S. Baſilidis 163.
S. Caeciliae 124.
SS. Chryſanthi, & Dariae 133.
S. Eugeniae 141.
S. Felicis, & Adaucti 159. *
S. Felicis & Muſtiolae 148.
S. Felicitatis 78.
S. Hippolyti 130.
S. Iuſti 160. *
S. Iuſtini 60.
S. Marci, & Marcelliani 155.
S. Marini 156.
S. Mauri 133.
S. Nerei, & Achillei &c. 51.
S. Papiae, & Mauri 158. *
S. Ptolemaei 76.
S. Rufinae, & Secundae 139.
S. Sebaſtiani, & Tiburtii 155.
S. Serviliani, & Sulpicii 151.
S. Timothei 168.
S. Valentini 140.
Maxentii Tyrannis, & caedes 171.
Muratorius laudatus 285.
Correctus 231.
Eius error oſtenſus 198. 303. 315.

N

NOriſius laudatus Praef. 6. X.
Emendatus 33. 68. 112.

Obe-

O

OBeliſcus in Circo quando erectus? 222.
Oliverius (Hannibal) laudatus 91.

P

PApebrochii error oſtenſus 149.
Piſani ſtatuam Lachanio erexerunt 293.
Piſanae Coloniae Patronus 94.
Plinii locus emendatus 45.
Praefecti Vrbis inſtitutio, munera, tituli, &c. Praef. 5. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. &c.
Praefectus Vrbis Conſtantinopolitanae quando inſtitutus 225.
Praetor Tutelaris quando inſtitutus 73.
Pueri, & Puellae Antoniniani &c. 86.

R

REineſii error oſtenſus 28. 216. 240. 242. 261. 310. 363.
Ritterus confutatus 194. 228.
Rutilii Numatiani locus emendatus 329.
Illuſtratus 293. 299.

S

SAbini Ludi 215.
Scaliger notatus 331.
Scholiaſtes Iuvenalis correctus 48.
Scrinia Praefecturae Vrbanae 137.
Senatorum pecuniae ubi ſervatae? 213.
Senecae locus explicatus 5.

Soda-

Sodales Antoniniani, & Veriani 86. 93.
Spartiani locus emendatus 70.
Suetonii locus emendatus 17.
Reſtitutus 41. & in Praef. pag. XVI.
Symmachi locus emendatus 260.

T

TAciti locus a Merceri emendatione vindicatus 4.
Emendatus 33.
Tertullianus quando Orationes ad Gentes ſcripſerit 88.
Thamucada Numidiae urbs Colonia 82.
Tillemontius confutatus 96.
Correctus 294. 300.

V

VAlerii Maximi locus tentatus 34.
Aetas indicata 35.
Valeſius reprehenſus 96. 251. 309.
Impugnatus 68. 228.
Correctus 290. 296.
V. C. titulus quando inſtitutus 35. 79. & Praef. pag. XXX.
Vicarii Praefecti quando inſtituti? 150.
Vopiſcus quando Aureliani Auguſti Vitam ſcripſerit? 160.

X

XIphilini locus emendatus 60.

FINIS.

ERRATA	EMENDATA
Pag. XI. v. 22. exereret	exerceret
XII. v. 4. Eumque	cumque
XIII. v. 25. ὅμοιον τι	ὁμοιόν τι
XVI. v. 11. βατῆς	βαλῆς
XXX. v. 3. annum Chr. . .	annum Chr. 164.
XXXIV. v. 6. ὁ, κήρυκες	οἱ κήρυκες
LIV. v. 30. pleraque	plerique
15. v. 11. Goltzii	Morellii
47. v. 12. An.	Cir. an.
82. v. 10. Vrbis	Vrbs
99. v. 9. Baſſus	☧ Baſſus
110. v. 15. Chr. 200.	Chr. 210.
121. v. 1. exiſtimavit	exiſtimaverit
124. v. 24. An.	Cir. an.
126. v. 20. Maximi	Maximini
130. v. 13. Chr. 252.	Chr. 250.
147. v. 6. Virius	Furius
148. v. 10. & 15. Chr. 175.	Chr. 275.
168. v. 2. Cir. an	An.
181. v. 19. Paulinus	Paulinus I.
209. v. 5. Proculus II.	Proculus I.
215. v. 23. An.	Cir. an.
244. v. 11. marmoribus	memoribus
296. v. 17. etiam, quod	etiam decus, quod
339. v. 16. 320.	420.
359. v. 2. Cignorium	Pignorium
364. v. 4. 494.	490.
366. v. 1. Feſtus I.	☧ Feſtus I.
368. v. 15. Cir. an.	An.
375. v. 8. ut	aut
385. v. 22. conſequenter	conſequentur

Quinque in locis reperitur *directa*, vel *directae*, vel *dirigitur* ubi legendum *inſcripta*, *inſcriptae*, *inſcribitur*.

VA1
1535532

Digitized by Google

Digitized by Google

146
7
69

146
E
58

Digitized by Google